PROPERTY OF THE
PUBLIC LIBRARY OF THE
CITY OF BOSTON,
DEPOSITED IN THE
BOSTON MEDICAL LIBRARY.

PRESENTED TO THE
*3789.5
Vol. I
Public Library of the City of Boston

SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA
CONDITA A.D.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.

By Walter Channing M.D.
Received March 18. 1856. No. 14024

COLLECTIO OPVSCVLORVM SELECTORVM

AD

MEDICINAM FORENSEM

SPECTANTIVM.

CVRANTE

DR. IOAN. CHRIST. TRAVGOTT SCHLEGEL

MEDICO APVD LONGO-SALISSENSES.

VOL. I.

LIPSIAE

IMPENSIS CAR. FRIDER. SCHNEIDER

1785.

W. Channing Jr

EX LIBRIS G. JORDAN

14024

ILLVSTRI

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO

ERNESTO GOTTLOB BOSE

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE

DOCTORI

PATHOL. PROF. PVBL. ORD. FACVLT.
MED. LIPS. SENIORI ACAD. DECEMVIRO
COLLEG. MAI. PRINC. H. T. PRAE-
POS. APVD LIPSICOS PO-
LIATRO

VIRO

DE ARTE MEDICA

ET IMPRIMIS

DE MEDICINA FORENSI

OPTIME MERITO

HANC COLLECTIONEM

D. D. D.

VNAQVE

SE RESQVE SVAS DE MELIORI NOTA

COMMENDAT

EDITOR.

PRAEFATIO.

Non famae captandae gratia, ſed, vt parti artis medicae, quae huc vsque omnino vel manca, vel non ſatis limata atque illuſtrata fuit, id eſt, medicinae forenſi, cum politia medica connexae, conſule-

 rem,

rem, hanc collectionem ſelectorum opuſculorum ſuſcipiendam putaui. Equidem non dubito, fore permultos, qui hanc operam leuem, immo etiam inutilem iudicent, quum in hac ſylloge non, niſi ſcripta, iam pridem edita, denuo recuſa reperiant: ſed hi erunt fere, qui quadam illaudabili philautia occaecati, ingenio ac marte ſuo tantum contenti, non curent, vtrum ſcripta, docte elaborata atque vtilia, temporum tamen iniuria non raro obliuioni data, ab interitu vindicen-

tur

tur et iterum veluti renouentur, nec ne. Dantur tamen vero, vt opinor, doctores atque cenſores aequi, qui hanc collectionem, a me ſuſceptam, vtique haud paucis medicis profuturam iudicent.

In ea enim diſciplina, quae medicina legalis ſ. forenſis vocatur, multae res nequaquam ſatis perſpicuae et explicatae ſuperſunt, ex quibus variae rationes diſcrepantes eliciantur, atque ſententiae ambiguae componantur; (idquod doctores ce-

leberrimi minime ignorant:) ideoque plurimum rem medicam intereſſe cenſeo, vt, quaecunque ſcripta ad hanc ſcientiam cum illuſtrandam, tum amplificandam aliquid conferre poſſint, etiamſi mole parua atque adſpectu leuia, attamen materia, quam hic pertractatam videas, ponderoſa et memoratu digna, praeter haec maximam partem rara, quia fere per ſolos amicos comparantur, in vnum veluti cumulum coaceruentur, et ab interitu vindicentur. Ego vero hoc, quantum per me

et

et ſortis meae iniquitatem licuit, efficere quam diligentiſſime ſtudui, et, ſi aequi arbitri conatui meo calculum apponant, coeptam hanc telam ſtrenue pertexere continuabo. Si quid enim video, a ſummis doctrina Viris atque auctoribus, quorum ſcripta, iam dudum ab haud paucis deſiderata, et magno ſumtuum diſpendio hinc inde ſtudioſius anquiſita, hic iterum prelo ſubiiciuntur, et ſic maiori vſui aptantur, veniam me facile impetraturum perſuaſiſſimum habeo.

Primum quidem animo mecum conſtitueram, ſcripta ſingula, quae typis digna viderentur, ordine ſyſtematico, quoad materias, diſponere; ſed de tempore conſilium mutaui, quia, quae prae ceteris quaeſiueram, ſtato tempore ſaepenumero comparare mihi non potui, et hac in re pluries oleum atque operam perdidi. Quam ob rem neceſſitate quadam ineuitabili coactus et inuitus in hoc volumine primo ſcripta bona et ſelecta quidem, at vero promiſcue collocata reddere debui,

ne

ne diutius ſpem lectorum deluſiſſe viderer; in fine tamen, niſi quid mihi accidat, ſylloges completae indicem duplicem, vnum ſyſtematicum, alterum realem, vt vulgo dicunt, quam diligentiſſime conficiendum atque adiiciendum polliceor, quo vſus totius operis ſine dubio facilior atque commodior reddi poterit.

Volumen alterum, ſi hoc iuſtis harum cupediarum fautoribus non diſplicuiſſe intellexero, breui inſequetur, et fidem

meam

meam ſpondeo, adhibiturum me omnem operam atque curam, vt ſelectas tantum, et, ſi fieri poteſt, raras opellas contineat.

Omnes autem artis medicinalis patronos atque fautores perhumaniter oro rogoque, vt me, in hoc vtiliſſimo negotio verſantem, velint benigniſſime et ſuadendo, et faciendo ſubleuare. Quisquis enim hanc illamue diſſertationem aut ſcriptiunculam, hac ſocietate meliorum libellorum non indignam, et medicinae forenſi vel

poli-

politiae medicae explicandae aptam recudi deſideret, hanc mecum beneuole communicet, vt calamo fugitiuo excipere poſſim. Exemplum vero originale, vti vocant, integrum, ſaluum ac incolume, quale acceperam, remittendum curabo. Hoc ergo fauoris ſingularis documentum vt ſemper grato animo agnoſcam, ita me ad omnia humanitatis officia paratiſſimum et obſtrictiſſimum ſentio.

Haec Vos, *L. B.*, ſcire intererat, vt, quid a me iure veſtro exigere poteratis, intel-

intelligatis. Hinc, ſi voti mei, aliquid ad hanc ſcientiam, in re publica tam neceſſariam ac vtilem propagandam conferendi compos factus fuero, applaudentibus bonis viris, habebo, cur mihi de coepto meo gratuler. Scripſi Longoſaliſſae a. d. xx. April. CIƆIƆCCLXXXIIII.

CON-

CONSPECTVS

Diſſertationum hoc volumine primo comprehenſarum.

I.

El. Frider. Heiſteri diſſ. de principum cura circa ſanitatem ſubditorum. Pag. 1

II.

Burcard. Dau. Mauchartı diſſ. de inſpectione et ſectione legali, harumque exemplo ſpeciali. R. *I. Mich. Salzer.* 76

III.

Phil. Conr. Fabricii diſſ. exhib. praecipuas cautiones in ſectionibus et perquiſitionibus cadaverum humanorum pro vſu fori obſeruandas. R. *Vrb. Fr. Bened. Brückmann.* 125

IV.

Ioan. Traugott Adolphi diſſ. de infanticidii notis ſectione legali detegendis. Reſp. *Henr. Chriſtoph. Dreyer.* 156

V.

Laurent. Heiſteri diſſ. de ſumme neceſſaria inſpectione cordis vaſorumque maiorum ſub legali

gali infantum ſectione. R. *I. Dan. Farenholz.* Pag. 223

VI.

Ioan. Chriſtoph. Andr. Mayeri diſſ. ſiſtens praecipua experimenta de effectibus putredinis in pulmones infantum ante et poſt partum mortuorum, ſubiunctis nouis quibusdam experimentis circa pulmones infantum ante partum mortuorum inſtitutis. Reſp. *I. Godofr. Reimann.* 251

VII.

Henr. Frider. Delii diſſ. de ſugillatione quatenus infanticidii indicium. Reſp. *M. Ignat. Berger.* 267

I.

EL. FRIDERICI HEISTERI
Diſſertatio
de principum cura circa ſanitatem ſubditorum.
Helmſtadii 1738.

PROOEMIVM.

In ſocietates coiuerunt homines, vt commu- nem ſalutem et vitae commoditates iunctis promouerent viribus, atque hoſtium inſultibus repellendis pares eſſent. Hic omnium ſocietatum, ciuitatum, Rerumpublicarum verus et vltimus finis eſt. Patet inde, membra illarum cunctis inſtructa eſſe debere dotibus, huic ſcopo

obtinendo, requiſitis. Qui ergo curam rerum ad ſalutem publicam ſpectantium gerunt, ſiue qui imperant, his incumbere mihi videtur, vt eos, qui parent, ſiue ſubditi ſunt, dotibus iſtiusmodi imbuere quouis modo allaborent. Quis igitur non perſpicit, Imperantibus et Principibus ante omnia curae cordique eſſe oportere ſecundam ciuium valetudinem? Opera in Republica et pacis et belli tempore perficienda robur et firmam ſanitatem depoſcunt. Ager imbecillis et aegrotantibus haud colitur. Equi et tauri viris tantum robore pollentibus domantur ac reguntur. Qui aedibus exſtruendis manus admouere, qui ex intimis terrae viſceribus lapides ac medalla effodere, qui noctes atque dies ſyluas et loca deſerta permeare, cum feris ac beſtiis decertare debent, ſine inſigni corporis vigore nil agere valebunt. In rebus e longinquo arceſſendis et commerciis faciendis tempeſtatis iniuriae, ſolis aeſtus, hyemis algor, niuis, pluviae, venti incommoda perferenda, maris horreſcentis fluctibus corpora committenda, quibus exantlandis profecto firma requiritur valetudo. Belli vix opus eſt, vt mentionem faciam. Talpa caecior erit, qui haud cognoſcet, hoſtes non niſi viris ſtrenuis, fortibus, lacertoſis fugandos eſſe et vincendos; ridiculum foret, ipſis infirmos, debiles, aegrotantes opponere.

PLATO,

PLATO, a) CICERO, b) ANTONINVS *Philoſophus* c) et plures ſapientum d) *beatam Rempublicam pronunciarunt, vbi philoſophi imperant;* mihi vero ob iam indicatas rationes, tum demum ex omni parte beata praedicanda videtur, vbi imperantes Philoſophi ſimul Medicorum ſubeunt munia et ciuium ſanitatem tueri, robur eorum augere, morborum occaſiones praeſcindere, aegritudines tollere omnibus neruis ac viribus ſtudent.

Quibus vero modis et auxiliis res tanti momenti a Principibus praeſtari queant, ſpecimine hoc inaugurali, quantum per virium tenuitatem licuit, litteris mandare tentaui. Qua in re eo minus me operam oleumque perdidiſſe credo, quum tam nobile et bono publico perutile argumentum nondum ab alio ex inſtituto pertractatum ſciam.

Tribus noſtra diſſertatio comprehenſa capitibus eſt. Primo expoſui, qua ratione pacis

a) Notiſſimum eſt PLATONIS effatum: *tum demum beatam fore Rempublicam, vbi aut Philoſophi regnabunt, aut Reges philoſophabuntur.*

b) CICERO Lib. I. de inuent. haec habet: *Ad Rempublicam plurima veniunt commoda, ſi moderatrix omnium rerum praeſto eſt ſapientia.*

c) Imperator hic, virtutis et ſapientiae laudibus adeo conſpicuus, dictum iſtud PLATONIS pro ſymbolo elegit.

d) conf. celeb. WOLFIVS de Rege Philoſophante, et Philoſopho regnante. In horis ſubſeciuis Marburg. A. 1730. trimeſtr. autumn.

tempore ciuium ſanitas praeſens tuenda et robur promouendum ſit; atque hoc loco potiſſimum edocui, quid eum in finem circa coniugia ineunda, puerorum educationem inſtituendam, cibos et potus ſanitati conuenientes parandos, aerem ſalubrem reddendum et ab halitibus impuris defaecandum, aedificandi rationem, leges veſtiarias, animos honeſtis et valetudini proficuis oblectationibus exhilarandos, vitia corpus eneruantia coercenda obſeruari oporteat.

Altero diſſerui, quomodo curis publicis contra morbos pugnandum, atque ciuibus aegrotantibus ſubueniendum ſit; vbi pluribus oſtendi, in quauis Republica ſtabilienda eſſe Collegia Medica et Sanitatis, quibus potiſſimum harum rerum cura committenda: inprimis vero conſtitui debere Medicos, Chirurgos, Pharmacopoeos, Obſtetrices in arte peritos; praegnantes mulieres demortuas nunquam ſepeliendas, priusquam foetus illis exſectus fuerit, id quod quamprimum, poſt matris obitum faciendum eſt; publica erigenda noſocomia; medicaſtros autem in nulla ciuitate tolerandos; et aegritudinibus certis populis propriis ſeu endemiis eradicandis ſtudendum eſſe: vltimo praecepi, quibus auxiliis morbi contagioſi et totas gentes inuadentes epidemici auertendi, vel tollendi ſint.

Tertio denique disquiſiui, quaenam ab Imperantibus officia tempore belli ſanitatis et ſalutis publicae ergo praeſtanda; atque hac occa-

ſione

ſione tradidi, quid in militibus legendis, in commeatu parando, in veſtitu adornando, in itineribus faciendis, in aegrotis et vulneratis caſtra ſequentibus curandis, in occiſis aut alio modo defunctis copiis terrae mandandis belli duces agere deceat.

Quicquid his de rebus diſputatum a me eſt, deſumtum inprimis profiteor ex attenta obſeruatione conſtitutionum, normarum, conſuetudinum in Rebuspublicis bene cultis ſanitatis cauſſa traditarum et obuiarum, atque egregiorum commodorum in populos exinde redundantium; deinceps ex ſedula animaduerſione noxarum ac errorum, qui propter harum rerum neglectum, ſaepe integris gentibus funeſti et ſunt et fuerunt. Vnde apparet, meditationes meas non ex ingenio tantum profectas, et, vt vulgus dicere amat, *cerebrinas* eſſe, ſed firmioribus inniti fundamentis. Dominus Dominorum hanc lucubrationem in Sui gloriam et generis humani ſalutem cedere iubeat.

SECTIO I.

Qua ratione pacis tempore ciuium ſanitas conſeruanda et robur promouendum ſit.

I.

Beata eſſe Respublica haud poteſt, niſi ciues habet, vegeta et firma valetudine gaudentes. Imbelles enim nec pacis, nec belli operibus idonei ſunt. Principes igitur, ſub quorum nomine omnes Magiſtratus et Imperantes comprehendo, ſumma ope niti decet, vt procurent, *quidquid ſubditos ſanos, validos et robuſtos reddere poſſit*, atque vt remoueant, *quidquid eos aegros, debiles ac infirmos efficere valeat.*

II. Dici vix poteſt, quantum ad corporis ſanitatem atque robur *ortus* ſiue generatio eius faciat a); nam, vt HORATIVS canit b):

Fortes creantur fortibus et bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Curandum itaque, quantum fieri poteſt, vt a parentibus nihil eorum committatur, quae illos eneruent, debilitent et praepediant, vt ne vegetam

a) Secundum Cel. BOERHAVIVM *conceptus ex parentibus ſanis, vegetis, plenae aetatis, rara, ſed feruida venere vtentibus;* firmam naſcituris valetudinem promittit. Inſtit. Med. N. 885. I.

b) Odar. Lib. IV. oda IV.

tam procreare ſobolem valeant. Quam ob rem, quum proceritas ac robur veterum Germanorum a ſera parentum venere et illorum caſtitate potiſſimum ac recte quidem deriuatur: c) noſtris quoque temporibus eo reſpiciendum eſt, vt praematura iuuenum venus et cumprimis ſcortationis crimen ſerio vindicetur, lupanaria ex Rebuspublicis omnino exterminentur, d) proſtibula ex reliquorum conſortio hominum remoueantur, atque coniugia ante imo et poſt iuſtam aetatem procreationi vegetae prolis aptam haud permittantur. His non neglectis, nullum eſt dubium, quin parentes vegeti, fortes et voluptatibus haud exhauſti, liberos ſibi pares et *patrum robora referentes ſint relicturi* e).

c) HERM. CONRINGIVS, ſummum aeternumque Academiae Iuliae decus, hoc multis grauibusque argumentis euicit libro de habitus corporum Germanicorum antiqui ac noui cauſſis: quam cum doctis annotationibus haud adeo pridem rurſus I. P. BVRGGRAVIVS, Med. Francof. edidit, Francof. ad Moen. 1727. 8. vid. p. 142. ſeq.

d) Vid. GEORG. FRANCVS de FRANCKENAV diſſ: qua lupanaria ex principiis medicis improbantur: quae Heidelbergae primum prodiit An. 1674. in 4. deinde vero recuſa eſt in eius ſatyris medicis. Lipſiae. 1722. 8. evulgatis.

e) Hoc veterum Germanorum exemplo eleganter demonſtrat TACITVS lib. de moribus veterum Germanorum cap. 20. quando ait: *ſera iuuenum venus, eoque inexhauſta pubertas. Nec virgines feſti-*

III. Propagatum a parentibus in filios robur conſeruandum, promouendum, excitandum eſt *educatione.* Animaduerto hic aliquam, eamque, me iudice, haud parui momenti, in libris Politicorum lacunam. Omnes enim, (quantum cognoſcere potui,) de puerorum educatione diſſerentes, hanc quidem primam atque praecipuam Principum curam eſſe debere vnanimi docent conſenſu, quia in eadem *fundamentum et principium beatae Reipublicae ac felicitatis humanae cum* PLATONE, LYCVRGO *et* XENOPHONTE *ponunt;* f) ſed quando praecepta eius tradunt, de animis tantum inſtituendis regulas proponunt, corporis vero, tanquam rei nullius pretii, plerique vix mentionem facere ſolent. Quum vero educationis vis non minor ſit in corpora quam animos, g) non ſolum horum verum etiam illorum curam eſſe habendam exiſtimo, atque

feſtinantur: eadem iuuenta, ſimilis proceritas; pares validaeque miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.

f) Vid. Anonymi liber, cui titulus eſt. *Ars bene viuendi et recte imperandi*, germanico idiomate exaratus et inſcriptus: Kunſt zu leben und zu herrſchen cap. 8. § 3.

g) De noxis ex praua educatione in corpora puerorum redundantibus doctiſſ. PRIMEROSIVS iam dudum conqueſtus eſt, quando ait, *multa circa puerorum educationem peccari certum eſt, vnde tam multis grauibusque malis afficiuntur et tam multi moriuntur,* lib. de erroribus vulgi in Medicina L. 3. c. 17.

atque dandas quoque peculiares ſanitatis normas parentibus, in pueris educandis, obſeruandas arbitror. Praecipuas illarum et rationi conuenientes et experientia ſuffultas nunc ſuppeditare annitar [h]).

1. *Infantibus minimum per integrum annum vbera praebere conuenit,* ſi mater vel nutrix bene valet, et nihil aliud eſt, quod hoc impediat aut diſſuadeat: quia lac tenellis infantum corpuſculis blandiſſimum, aptiſſimum et conuenientiſſimum eſt nutrimentum, [i]) atque natura etiam animalibus robuſtiſſimis id pro prima deſtinauit alimonia, unde in firmiſſimos artus, quos miramur, excreſcunt.

A 5 2. Po-

h) Mens mea non eſt, has normas ciuibus inſtar legum praeſcribendas eſſe, quippe quod commode fieri non poterit; ſed tantum *inſtar conſiliorum* cum publico communicandas eſſe, vt parentes, praeſertim inferiorum ordinum, de ſalute tamen puerorum vere ſolliciti, exinde diſcere poſſint, quomodo filios ſecundum ſanitatis praecepta rite educare oporteat.

i) De nutrimentis paruulorum generatim notandum eſt, ea ipſis maxime conuenire, quae acrimonia carent, virtute bene nutriendi inſtructa ſunt, et tenero ventriculo parum negotii faceſſunt; quae vero acria ſunt, exſiccant, conſtringunt, inimica infantibus cenſenda arbitror, idque eo magis, quo propiores ſunt origini. Ex hoc rationes plurimarum regularum a me de alimentis puerorum hic propoſitarum peti poterunt.

2. Poſteaquam ablactati fuere, vel etiam ſi adhuc lactantur, ſed lac forte matris foetui alendo non ſufficiat, lac vaccinum vel caprinum, variaque *lacticinia*, vt pulticulae ex lacte paratae, itemque ſorbitiones ſiue iuſcula omnis generis iis ſaluberrima exhibent alimenta: deinceps creſcente aetate *panis* probe coctus, *fructus horaei* bene maturi, olera, aliaque vegetabilia et denique carnes recentes eaeque iuniores, optima ſunt puerorum fercula: aromata autem, valde ſalita, ſaccharata multa, fumo ſaleue indurata, minus idonea ſunt, eaque ferre ſine noxa vix queunt.

3) *Aqua ſimplex*, bonae notae et pura, vel cum hordeo et aniſo leniter decocta, vel cereviſia tenuis pro potu inſeruiat quotidiano.

4. Nec eſculentis nec potulentis vnquam obruantur; ſed voracitati, communiſſimo puerorum vitio, et foecundiſſimae morborum puerilium matri in tempore obex ponatur, atque temperantiae ac ſobrietati mature aſſueſiant.

5. *Vinum* ante annum XIV vel XV ipſis vix porrigendum, et tunc quidem adhuc parciſſime, recte ita iam monente GALENO, lib. de ſanitate tuenda 1 et 5.

6. *Vino aduſto* ſiue vini, vt vocant, ſpiritu, omnibusque inde praeparatis ita dictis aquis vitae, rore ſolis, ratafia etc. omnino interdicantur; nam inſtar veneni pueris eſt: quia fluida cogit,

git, ſolida exſiccat, indurat, conſtringit et hoc modo corporis incrementum impedit, k) ſenectutem praematuram accerſit, multos morbos inducit, mortemque accelerat. Neque *vſus Tabaci* ipſis conuenit: quia ſiccat atque tenerum eorum cerebrum et neruos laedit, in pueris natura imbecillioribus.

7. *Somnus* vero multus et frequens, praeſertim primis in annis, eis eſt concedendus, l) adeoque nimis mature nunquam ab eodem excitandi.

8. *Corpora tenellorum thoracibus, calceis vel aliis veſtimentorum generibus* non ſunt vehementer coercenda et comprimenda; quia hac ratione aequabilis humorum circuitus turbatur, partes molles conſtringuntur, earum extenſio atque incrementum impediuntur, et ita imbecillitati variisque aegritudinibus feneſtra aperitur.

9. Ex-

k) Canes minores et iuniores deliciis nobiliorum feminarum deſtinatos, ne multum creſcant et magni euadant, ſpiritu vini ſaepius lauari et eundem ipſis quoque ſaepius infundi ſolere, res in vulgus nota eſt.

l) TACITO teſte veteres Germani *dediti fuerunt ſomno ciboque, quoties bella non iniuerunt, quin ſomnum in diem extraxerunt* l. c. cap. 15. et 22. exinde autem CONRINGIVS eleganter concludit: *Indubie multum ad proceritudinem iuuit iſthaec quondam veterum Germanorum in ſomnum ſimul et cibum propenſio. l. c. p. 257.*

9. Excitentur vero, firmioribus factis artubus, laboribus, ambulando, currendo, ſaltando, equitando, digladiando, venando, natando, pila aliisque ludis et exercitiis; ſed non nimis fatigentur.

10. *Non ſemper cubiculis includantur*, ſed potius variis aeris conſtitutionibus ſenſim exponantur, vt et caloris et frigoris et ſiccitatis et humiditatis patientes fiant, iisque ſenſim aſſueſcant: hac enim ratione efficitur, vt deinceps a tempeſtatis iniuriis minus facile laedantur.

11. *Seuerioribus autem meditationibus et ſtudiis* nimis mature non adſtringantur; his enim corporis vires laeduntur et incrementum eius impeditur: quantum enim animi accedit viribus, tantum detrahitur corpori. Ideoque ante decimum annum non niſi leuiora cum ipſis tractentur, et quae ludendo quaſi, ſine acriori mentis contentione diſcere poſſunt, atque tunc demum ad difficiliora addiſcenda ſenſim et pedetentim adigendi. Patet inde ratio cur praecocia ingenia plerumque parua corporis ſtatura ſint et imbecillia et rariſſime longaeua?

12. Denique libido ac *praematura Venus*, vt iam dictum eſt, ſerio prohibeatur; ſiquidem tam incremento, quam robori corporis mirifice officit.

Tanto maiorem vim his praeceptis ineſſe prudentes confident, quando intelligent, pleraque

que eorum *ex more educandi ac viuendi veterum Germanorum* ob corporis molem et robur celebratiſſimorum depromta, adeoque firma ac diuturna experientia probata atque ſuffulta eſſe; et ſperandum eſt, ſi illa probe obſeruantur, ſanam et vegetam iuuentutem Rempublicam ornaturam fore [m]).

IV. Oſtendendum nunc eſt, quomodo creſcentibus annis et virili in aetate ſecunda valetudo tuenda et robur iuuenile conſeruandum imo augendum adhuc ſit. Ante omnia hic *cibi* et *potus* ratio habeatur, vt ſcilicet *ſalubres in Republica procurentur, minus ſalubres vero imo noxii proſcribantur.* De potulentis et quidem primo de AQVA ordiemur. *Aqua* videtur maxime conueniens humano corpori potus genus, et eſt plurimorum tam eſculentorum, quam potulentorum vehiculum, multorum baſis. Hinc *prae omnibus aliis eius ſalubritas procuretur.* Saluberrima eſt fontana, ſaliens, *clara, coloris, odoris ac ſaporis expers;* vel etiam pluuialis, mundis vaſis excepta et aſſeruata, vtpote leuiſſima et ab omni illuuie repurgata. Indagandi igitur ſollicite ſunt fontes, niſi iam adſint in ciuitate, aquis his dotibus inſtructis ſcaturientes. Hi autem, qui iam adſunt, ab omnibus ſordibus diligentiſſime defendantur, aut ſi quae illatae forte ſint,

m) Conf. ſi placet, vberius hac de re TACITVS et CONRINGIVS locis citatis.

ſint, ſolerter repurgentur. Neque ferendum, vt linum aut canabis in fonte, ſtagno, alioue receptaculo aquarum publico macerentur, vbi pecudum greges et armenta ſolent aquari vel vnde ipſi homines ſuos haurire potus ſueuerunt; id quod apud Anglos ſub graui poena cautum eſſe nouimus. n) *Interdum aqua bona ex fontibus in alia loca deriuanda eſt,* atque tunc quidem illud ipſum per aptos ductus et canales, hunc in finem conſtruendos, peragatur. Vt vero haec omnis, quae ſane non parum ad communem ſanitatem conferunt, probe adminiſtrentur, peculiares *fontibus conſtituantur praefecti*, qui eis, vbi opus, detegendis, eorumque detectorum munditiei, aquae ductuum et canalium curam gerant: Germanis dicuntur Röhrmeiſter oder Brunnenmeiſter.

Quibus autem locis natura aquam fontanam negauit, ibi defectus ille naturalis arte reſarciendus erit. *Aqua* ſcilicet *pluuialis* peculiaribus excipiatur vaſis, receptaculis, ſiue ciſternis et in vſus vertatur; vel ſi etiam haec interdum recens non ſit, aut deficiat, id quod nauigantes et belligerantes haud raro experiuntur, aqua impura et minus ſalubris coctione, quiete atque percolatione, optimis vitioſae aquae remediis corrigatur.

V. Si

n) ex Cel. LANCISIO de noxiis paludum effluviis L. 1. P. 1. c. 8. et MANGETI Biblioth. Pharm. p. 47.

V. Si aqua ſalubris eſt, curandum quoque, vt bonae notae *cereuiſia* coquatur, qui potus non ſolum antiquis Germanis, verum etiam multis aliis gentibus iam dudum familiaris fuit. TACITVS o) illum *humorem ex hordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptam;* ATHENAEVS p) vero et alii q) *οἶνον κρίθινον,* hoc eſt, *vinum hordeaceum* appellarunt. Requiritur vero, vt ſit clara, acoris expers, ſatis excocta et iisdem ſemper gaudeat bonis qualitatibus. Frequens enim harum variatio, quando ſcilicet nunc nimis recens ac turbida, nunc dulcis, nunc acida, multorum popularium morborum foecunda eſt mater. Hanc vero potiſſimum a coctione per varios variis in locis, licet in vna eademque vrbe inſtituta, pendere obſeruamus. Vnus enim ignorantia, alter negligentia, hic avaritia, ille arrogantia, cereuiſiam mutat, alterat, corrumpit. Et ex aqua *diuerſa* toto coelo *diuerſa* confici ſolet cereuiſia; atque aeris differentis vis ad mutandas illius conditiones inſignis quoque exiſtit. Quam ob rem publicae erigantur cereuiſiae officinae (öffentliche Brauhäuſer) in locis aquae et aeris ſalubritate conſpicuis; iurati artis coquendi

o) Lib. de moribus Germanorum cap. 23.

p) *Δειπνοσοφιστων* Lib. X. cap. 13.

q) HERODOTVS Lib. II. ait, Aegyptios *οἴνῳ ἐκ κριθων διαχρηεσθαι*, vino ex hordeo vti, THEOPHRASTVS lib. 6. de cauſſis plantarum cap. 15. meminit *των οἴνους ποιουντων ἐκ των κριθων* eorum qui vina ex hordeo conficiunt.

quendi hunc potum magiſtri (geſchworne Braumeiſter) conſtituantur, atque his peculiares adhuc praeponantur inſpectores, (Bierſchäzer) vt omnia tanto rectius perficiantur. Siquidem a multis cordatis medicis animaduerſum eſt, ſolas ſaepe prauas cereuiſiae conditiones inter alios morbos, potiſſimum aeſtate, horrendas produxiſſe dyſenterias et ſaeuas in magnis vrbibus ac regionibus ſtrages ediditiſſe. Vltimo adhuc monendum reſtat, diuerſi generis cereuiſias in ciuitatibus coqui oportere, debiliores ſcilicet et fortiores, albas et fuſcas: vt aeſtate, hyeme, calidiores, frigidiores, vinum bibentes et eo non vtentes, iuuenes ac ſenes, potus ſibi optime conuenientes in promtu habeant.

VI. *Vinis* quoque generoſis carere ciuitas bene inſtituta vix poteſt. Eſſe autem debent ſalubria, pura, et nullis *mangoniis* adulterata. Mangonia dicuntur illae res, quarum admiſtione vinis conditionis vilioris, acidis et ſubinde iam corruptis, ſpecies et fucus conciliatur, vt ſe ſemet ipſis aetate, colore, odore, ſapore praeſtantiora mentiantur. Artificia vero, quibus hunc in finem vtuntur, pleraque ita ſunt comparata, *vt non niſi cum inſigni et euidente ſanitatis, imo etiam vitae diſpendio adhiberi poſſint.* Si quidem in eorum cenſum potiſſimum veniunt, ſulphuris et reſinae fumus plus iuſto admixtus, calx, gypſus, biſmuthum, ceruſſa, ſaccharum ſaturni et lithargyrium; quae omnia ingeſta ſanitati

nitati infenſiſſima ſunt. Inprimis autem ex plumbi proſapia oriunda et maxime *lithargyrium*, diros producunt effectus: febres ſcilicet, cephalalgias enormes, deliria, furores; ſummas praecordiorum anxietates, tuſſim, reſpirationem difficillimam, halitum ſtercoraceum; atroces hypochondrii ſiniſtri dolores, ventriculi inflationes, colicas conuulſiuas, pertinaces alui obſtructiones, conuulſiones, paralyſes et mortem, niſi cito et ſtrenue expellantur r). Seculo decimo quinto et ſexto auri ſacra fames nonnullos nefandos oenopolas commouit, vt adulterando mango-

r) conf. ephem. nat. curioſ. decad. III. An. IV. obſ. 30. 92. 100. An. V. VI. obſ. 261. Adeo funeſti fuerunt huius doli effectus, vt doctiſſimi viri variis ſcriptis illum debellare neceſſum habuerint. Inter hos EBERH. GOKELIVS, Archiater quondam Ducis Würtembergenſis, ea de re libellum edidit, quem inſcripſit: Beſchreibung des a. 1694. 95. und 96. durch das Silberglett verſüſten Weins und der davon entſtandnen Wein Kranckheit, welche grauſahme ſymptomata nach ſich gezogen, wodurch viel hohe und niedre Standes Perſonen entweder eine lange Zeit heftig angefochten worden, oder gar das Leben eingebüſſet haben, ſamt den Arzeney Mitteln die dagegen zu gebrauchen, und Bericht wie der verfälſchte Wein zu erkennen. Vlm 1697. 8. Eodem de argumento ſcripſit etiam IO. VICTOR IAEGERSCHMIDT, Medicus Vlmenſis. Vlm 1698. referenda quoque huc eſt ZELLERI diſſert. de docimaſia, ſignis, cauſſis et noxa vini lithargyrio mangoniſati, Tubingae 1707. 4.

mangoniis, praeſertim lithargyrio, vina, multos homines vita, plures adhuc ſanitate priuauerint. Imperatores igitur mandatis publicis iisdemque ſeueriſſimis facinus iſtud iam Anno 1487. 1498. 1500. 1548. 1577. prohibere coacti fuerunt. [s]) Nihilo tamen ſecius ſub fine praecedentis et initio huius ſeculi annis ſcilicet 1695 et 1705 idem ſcelus in Franconia, Sueuia, Auſtria, ad tractum Rheni, in Lotharingia atque Gallia, cui artificium iſtud in exitium generis humani inuentum natales ſuos debere dicitur, [t]) iterum triſtiſſimos edidit effectus; quo vero tempore et Galliae Regis et Ducis Würtembergenſis iuſſu, peſſimi vini et ſanitatis, imo vitae humanae corruptores atque deſtructores, ſuam nequitiam ſanguine et capite luerunt. [u]) Omnes igitur imperantes decet, vt horum ad exemplum, nefandos homines, qui artibus iſtiusmodi atque fraudibus horrenda committere moliuntur ſcelera et homicidia, poenis coerceant grauiſſimis.

Si *de ſelectu vinorum dicendum*, quid res eſt, profiteri debemus, ea praeſtantiſſima eſſe ac ſaluberrima, quae iuxta tritum vocabulum Cos, *colore odore* et *ſapore*, ſe plurimum commendant, et ſimul caput non grauant, neque diu in ven-

s) Vid. IO. PHIL. DATTII, Conſiliarii Wurtemberg. Volum. rerum Germanicar. nouiſſ. de pace publica L. III. c. 14.

t) Conf. ZELLERI diſſertatio modo allegata.

u) Vid. ZELLERVS loc. cit.

ventriculo et corpore haerent ac ibidem moleſtias creant; ſed quae cito per vrinam aut perſpirationem rurſus eliminantur. Praeterea Germanis Germanica maxime conducunt, et ex his *Nicrana*, *Franconica*, *Moſellana* ac *Rhenana*, reliquis palmam praeripiunt. *Gallica* quoque varii generis et alba et rubra, ſi bonae notae ſunt, neque corrupta, item *Hungarica*, multis admodum ſunt proficua, ſi modice hauriuntur. Notandum tamen haec frigidiores et ſeniores; illa callidiores et iuniores facilius ferre.

VII. Prolectus arte Hermetica liquor, quem *ſpiritum vini* appellant, vti ab adultis, imbecillis et ſenibus modice ac recte vſurpatus magnos vſus praeſtat, ſic immodice hauſtus noxas parit maximas. Recte autem adhibetur, quando eodem raro et tantum inſtar medicamenti vtuntur homines, praeſertim modo nominati. Abuſio vero eius committitur, non ſolum, ſi ad ebrietatem vsque potatur; verum etiam ſi in potum frequentem et fere quotidianum tranſit. Similes enim tunc cum venenis lentam mortem inferentibus *(les poudres des ſucceſſions)* edit effectus. Rara quidem ſunt exempla eorum, quos per ebrietatem vno quaſi impetu enecauit; innumerabiles autem ſunt ii, quibus ſenſim et pedetentim lethalis imo ſtygius factus eſt, ille vitae perpetuandae dicatus liquor. Quando enim nimis frequenter et quaſi pro potu quotidiano ſiue familiari bibitur, fieri haud poteſt, quin humo-

res vehementer commoueat, mobiliores et fluidiores diſſipet, craſſiores relictos cogat, ſolidas partes conſtringat, et induret,[x]) ſaepe autem disrumpat; etenim hi eius ſolent eſſe in corpus humanum vſitatiores effectus. Et inde potatorum illius variarum partium et viſcerum inflammationes, phthiſis, hydrops, apoplexia, podagra, paralyſis et ſexcenta alia mala dependent. Quam ob rem quum, his non obſtantibus, plerisque in regionibus enormes potus huius adurentis exceſſus committantur, et eodem tam multorum ſanitas corrumpatur atque mors inuitetur praematura; ad eius peſtiferum abuſum tollendum vires neruique omnes intendi debent. Hoc autem optime fieri poterit, interdicendo conuenticula in cauponis hoc potus genus praebentibus. Haec enim homines, praeſertim plebeios et potiſſimum iuuenes ad hauriendum illud alliciunt, viros in praua conſuetudine firmant, vtrosque perdunt; obſeruatur enim illos, qui ſemel ei aſſueti, ab ipſo vix rurſus deſiſtere poſſe. Deinde vix alibi, quam in pharmacopolis, inter medicamenta proſtet, et ibi quoque talis determinetur portio, vnico praebenda homini, quae nocere ipſi haud facile queat. Denique nec huius, nec reliquorum inebriantium potuum vis inducendi morbos et deſtruendi corpora tanta erit, ſi *crimen ebrietatis*

x) Ita enim videmus molles noſtri corporis partes, imo ipſum cerebrum, *ſpiritui vini* aliquamdiu immiſſas, indurari.

tatis haud impune perpetrabitur. Prudentiſſimo nuper conſilio Angli, vt noua publica docuerunt, huius potus exceſſibus obicem ponere allaborarunt; id quod pariter *Rex Auguſtiſſimus et Sapientiſſimus* magnae Britanniae GEORGIVS II. in terris ſuis Germanicis fecit, y) optandumque eſſet, vt in omnibus aliis regionibus z) inſtituta haec laudibus nunquam ſatis efferenda imitarentur, ea tamen adiuncta cautela, vt illius vſus frigidarum terrarum incolis paullo magis, calidarum vero minus concederetur: dum his plus, illis minus nocere obſeruatur.

VIII. Magna quidem eſt abuſio potus *Theae* et *Caffee*, vſus tamen longe maior mihi videtur. Poſtequam enim inter Europae gentes et praecipue Germanos ac Belgas in potus familiares tranſierunt, varii morbi minus frequentes, quam antea vbi non niſi cereuiſia, vino et ſpiritu vini vtebantur, eſſe ceperunt. Nam quod hodie malum

y) Vid. Verordnung gegen das Brandtewein trincken und Trunckenheit. Hannover den 5 Dec. 1736.

z) Rex quoque potentiſſimus Pruſſiae milites ſuos, praeſertim eos, quos Pozdami, ob corporum pulchritudinem, magnitudinem et in armis faciendis alacritatem miratur orbis, vſu ſpiritus vini interdixit: vt peſſimo ebrietatis crimini, quod multorum litigiorum, turbarum, vulnerationum imo homicidiorum fomes eſt, reſiſteret, et ſimul infinitorum morborum radicem extirparet, hominumque illorum robur ac ſanitatem tueretur.

lum hipochondriacum, pertinaces, praeſertim apud eruditos, vitaeque ſedentariae deditos, alvi obſtructiones, febres acutae malignae, podagra, calculus, ſcorbutus etc. rarius quam olim, ſaltem in Germania noſtra, occurrunt, magnam partem horum potuum vſui tribuendum eſſe arbitror: quippe qui diluendo, temperando, et attenuando humores, obtundendo acrimoniam, demulcendo ac blande relaxando ſolida, iſtiusmodi affectus praecauent, factosue pellunt atque profligant. Cauendus tamen exceſſus, quia omne nimium, vti in prouerbio eſt, in vitium vertitur. Nec *Choccoladae* effectus tam praui ſunt cenſendi, vt haec cum Thea et Coffée proſcriptionem e Republica mereatur, quam nonnulli exoptarunt. Attamen magis loco medicamenti, quam potus ordinarii ea vtendum eſſe ab imbecillis ac ſenioribus, minus vero a iuuenibus arbitror: quia ad libidinem et intempeſtiuam venerem, ad quam plurimi per ſe ſatis procliues ſunt, ſtimulare ſolet. De *Tabaci* vſu, quem nonnulli ad coelum vſque extollere non verentur, alii ad inferos relegare haud dubitant, lubens profiteor, me neutri horum prorſus aſſentiri. Quamuis enim perſuaſus ſim, ſine inſigni noxa carere nos eodem poſſe, omnino tamen illum damnare nollem, quia dum modice vſurpatur, nemini facile nocet, multis vero in ſalutem cedit, quando nimirum certis in caſibus et tempeſtatibus inſtar medicaminis adhibetur.

IX. Prae-

IX. Praecipua potionis genera breuiter, quantum fieri potuit, pertractauimus; tranſeundum ad *eſculenta.* Quantum victus et potiſſimum antiqua *cibariorum ſimplicitas atque frugalitas* ad ſanitatem firmam conſeruandam, vitamque prorogandam facit, tantum ad robur corporis imminuendum ac deſtruendum, morbosque inducendos et mortem accelerandam enormis harum rerum varietas, copia et luxus confert, qui hodie ad ſummum vbique faſtigium perueniſſe videtur. Egregie HORATIVS commoda ex victu tenui, parco ac modico redundantia et multiplices *noxas, quas luxus eius ſecum fert,* proſecutus eſt, Lib. 2. ſerm. 2. dicens:

Accipe nunc, victus tenuis, quae quantaque ſecum
Afferat: inprimis valeas bene; nam variae res
Vt noceant homini, credas, memor illius eſcae,
Quae ſimplex olim tibi ſederit: at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem uertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides vt pallidus omnis
Coena deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animum quoque praegrauat vna,
Atque affigit humo diuinae particulam aurae.
Alter vbi dicto citius curata ſopori
Membra dedit, vegetus praeſcripta ad munia ſurgit.

Principes igitur, ſi ſalus ciuium ipſis cara eſt, ſumma ope pernicioſos eiusmodi mores abro-

gare laborent. Olim leges *ſumtuariae* Orchia et Fannia, quam Lucilius centuſſim vocat, quod vltra 100. aſſes in conuiuio inſumere vetaret, ſancitae erant; hodie autem de frugalitate et temperantia altum vbique propemodum apud legislatores eſt ſilentium. Sed quot et quantae inde eueniunt noxae? *latius ſemper ſe diffundit luxuria, quo longius a cenſura abeſt:* *teſte* ARNISAEO, a) Medico et Politico quondam Academiae noſtrae Iuliae praeſtantiſſimo; ex quo duplex iactura, cum ſanitate enim pecunia, neruus rerum gerendarum profunditur. Haec, ſi priuatam Medicorum vtilitatem reſpicimus, ſilentio premenda fuisſent: *quum intemperantia ſiue luxuria Medicorum nutrix ſit, ac recte dicatur;* verum quia publica ſalus priuatis commodis ſemper praeferenda eſt, ea hic monere mei eſſe officii exiſtimaui. Sed longe adhuc maiori cura victus defectus eſt auertendus et potiſſimum cauendum, ne anonae caritas regiones diuexet: ſi quidem hanc vrgentem morbi et ſtrages populorum preſſo pede ſequuntur. Nam quos fames haud perimit, hos aegritudines ex ingurgitatione ciborum prauorum et inuſitatorum oriundae trucidare ſueuerunt. Conuenit ergo Diui ad exemplum IOSEPHI b), anona abundante, horrea replere: vt ex his publicis frumenti promptuariis, rei neceſſitate id exigente, ſubſidia ad ciues

a) Lib. Polit. cap. 16. p. 162.
b) Geneſ. cap. 41. v. 33. 36.

ciues ſeruandos peti, iisdemque ab interitu gentes vindicari queant. Quod vero ad *ipſam cibariorum ſalubritatem* attinet, vigilanti attendendum oculo eſt, *vt ea, quae multiplex obſeruatio ſalutifera deprehendit, concedantur et parentur: quae autem nocentia animaduertit, ex Republica proſcribantur.* Aſt ſpeciatim curandum eſt, vt *farina* nullis alienis rebus, praeſertim noxiis, vt lolio temulento, calce vel ſimilibus commiſceatur; *panis ſit probe coctus;* c) *carnes* animalium morbis affectorum, vel iis defunctorum, venales non ſint; *fructus horaci nondum maturi,* aut valde inſalubres, certis potiſſimum in annis, emptoribus haud exponantur, et alia huius commatis. Neque vanum mihi videtur illorum conſilium, qui *plantas veneno diras,* in terris quibusdam largius progerminantes, ſollicite eradicandas ſuadent. Siquidem illarum improuidus et temerarius vſus, ſaepe iam triſtiſſimorum cauſſa effectuum fuit. d) Nec mirum eſt *herbam*

c) Hinc variis in locis publica auctoritate viri ſunt conſtituti, qui non ſolum de legitimo panis pondere, verum etiam reliquis bonis qualitatibus, ipſi conuenientibus, ſolliciti eſſe debent: vernacula noſtra, Brodtbeſichtiger, oder Brodtbeſchauer, audiunt.

d) Tragicas iſtiusmodi hiſtorias permultas reperies deſcriptas in IO. MATTH. FABRI Strychnomania ſeu lib. *de ſolano furioſo.* Auguſt. Vindel. 1677. 4. edit. et IO. IAC. WEPFERI Hiſtoria cicutae aquaticae Baſil. 1679. 4. publicat. et

bam cicutae interdum pro *Chaerefolio* aut *Petroſelino*, radicem vero pro *Paſtinaca* ab imperitis adhiberi; *Bellae donnae fructus* blandiente ſua elegantia ignaros, cumprimis incautos, temerarios, gulae ac palato indulgentes pueros ad illos, ſimulque mortem ingerendam inuitare; *Hyoſcyami radix* pro Cichorii allata Helmſtadii ante aliquot annos conſpicuae cuidam familiae fatalis facile fuiſſet, niſi Parens venerandus mortiferum detexiſſet errorem et homines, quibus epulae iſtae deſtinatae erant, ex orci quaſi faucibus eripuiſſet.

X. *Aeris* vim in corpus humanum magnam quoque eſſe, nullus prudens facile inficias ibit. Serenus autem, motu exercitus, ab halitibus putridis defoecatus, ſanitati conſeruandae maxime idoneus eſt. Quicquid igitur ad has conditiones ipſi conciliandas arte praeſtari poteſt, praeſtandum; quicquid vero ad eas corrumpendas facit, ſollicite remouendum eſſe arbitror. Inprimis *aeris in vrbibus et quidem maioribus cura erit habenda:* quia ob vaporum et exhalationum varietatem et copiam in corruptionem atque putredinem maxime pronus exiſtit. Quam ob rem, ne is facile corrumpatur, vrbes ab omni immunditie liberae ſeruentur: [e]) plateae pauimento firmo

et recuſa ib. 1716. 4. nec non MARDORFII diſſ. de *Maniacis Giſſenſibus a ſolano furioſo*, Gieſſae habita 1691.

e) Vid. PLATTNERI Med. D. et Prof. Lipſienſis cele-

mo probe ornentur, ſedulo euerrantur, et ſordes ac fimeta extra vrbem deferantur. Laudibus hinc a LANCISIO celebratur LVDOVICVS XIV, Galliarum Rex, cuius iuſſu hodie Lutetianae viae, a luto exſuperante, quod antiquitus vrbi nomen dediſſe videtur, longe diligentius quam olim purgantur. f) Aedes et conclauia quauis illuuie ſollerter liberentur; cauendum praeſertim, ne exſurgens ex latrinis foetor noxas creet. Aquae pluuia, niue, glacie, vel quouis modo in vrbem illatae, aliisque ſordibus per canales et ductus exitus parandus: ne quieſcendo in putredinem ruant. Artificum officinae graues, inſalubres, tetrosque ſpirantes halitus, intra moenia non tolerentur: minimum loca a reliquis longe ſeparata teneant. g) Ex horum numero ſunt coriarii, fullones, cetarii, ſalſamentarii, caſearii, olearii, ſaponarii, figuli et lanio-

celeberrimi, praeceptoris et patroni aetatem colendi, diſſ. elegantiſſimam et doctiſſimam de morbis ex immunditiis. Lipſiae 1731. 4.

f) de noxiis paludum effluuiis L. I. P. I. cap. IV.

g) *Olim apud Romanos olidae merces, officinaeque ſordidiores tranſtiberinam regionem occupabant, propter peſtiferam et putentem auram infamem; quam regionem Romani ideo Iudaeis, victis hoſtibus omnibusque quibus infenſi erant, incolendam dederunt:* v. Cel. PLATTNERVS l. c. §. VII. et BARTHOL. MARLIANI vrbis Romae Topograph. L. V. c. 19. in Theſauro GRAEVII T. III. p. 186. et ALEX. DONATVS de vrbe Roma L. III. c. 21. eodem Tom. p. 779.

laniones: quorum omnium officinae et tabernae viciniam nidore infeſtant foetidiſſimo, aduerſiſſimo et infeſtiſſimo.

Publica atque magna noſocomia ſint ab vrbe aliquo modo remota; vel illas ſaltem occupent plagas, vbi minimum nocere valent: quod olim diligenter in domibus, leproſis deſtinatis, obſeruarunt in Germania, quae plerumque extra vrbes conſpiciuntur. Inprimis vero idem de illis moneo et inculco aedibus, in quibus ex peregrinis et quidem *propter luem contagioſam* ſuſpectis regionibus aduentantes moram agere quadragenariam (*la quarantaine*) ſolent. *Exuuiae denatorum* haud ita multo poſt mortem terrae mandentur, et quidem ſatis profunde, praeſertim quando morbis perierunt contagioſis, aut tempore aeſtiuo. *In templis vero nulla ſepeliantur cadauera;* imo et coemeteria extra vrbem, ſi fieri poteſt, collocentur. Id quod a gentibus veterum cultioribus ſancte iam obſeruatum fuiſſe EHRLICHIVS perdocte oſtendit, quando ait: h) Antiquiore tempore extra vrbes poſita fuerunt coemeteria, graece κοιμητηρια, quae proprie dormitoria et loca ad quietem et ſomnum comparata ſignificant, ſicut apud Patriarchas Gen. c. 23. it. 35, v. 19. Ioſ. 24.; quod Iudaei quoque

h) conf. tractat. cui titulus: *Mors ex ſepulchris*, vbi noxas ex ſepultura in templis facta, et coemeteriis intra moenia toleratis oriundas, copioſe exponit. Halae Magd. 1729. 4. p. 11. 12.

que in more habuerunt, vti patet *ex ſepultura Lazari* et filii Naimitanae viduae, item *ex ſepulchro a Ioſepho condito*, quo Seruator conditus eſt, quod quoque extra vrbem poſitum fuit. Romani vero ab initio in domibus, quas ſinguli incolebant, ſuos ſepeliebant; poſtea vero lege XII. Tabular. fuit ſancitum: *in vrbe ne ſepelito;* ad auertendum peſſimum cadauerum foetorem et noxia inde pronata ſanitati effluuia. Quare Romae coemeterium *Priſcillae* extra vrbem erat, vti et apud alios gentiles. Laudatiſſimum PLATONIS inſtitutum fuit, *vt in agro vel alio quodam loco infoecundo et ſterili ſepulchra conſtituerentur, ne viuentibus officiant.* SERVIVS SVLPICIVS ad CICERONEM ſcribit ſequentibus verbis: *Ab Athenienſibus locum ſepulturae intra vrbem, vt darent, implorare non potui, quod religione ſe impediri dicerent; nec tamen id antea vnquam conceſſerunt.* Alexandriae quoque coemeteria extra vrbem fuiſſe hiſtoria conſtat. Apud chriſtianos quoque prioribus temporibus hoc ſtricte obſeruatum fuit, vti ſeculum V teſtatur. CHRYSOSTOMVS enim ait, *omnem ciuitatem, omne caſtellum, ante ingreſſum habere ſepulchra.* Serm. de fide. Rationem cur hoc ſtrictae obſeruationi fuit ſubiectum, gentiles ſuppeditant: *vt vrbibus mundities ſeruaretur et aer minus inficeretur ex cadauerum putreſcentium foetore.* Hactenus EHRLICHIVS.

XI. Non

XI. Non parum praeterea ad aerem ſalubriorem efficiendum confert, *ſi plateae, et viae publicae arboribus, gratos et reficientes odores ſpirantibus, condecorantur:* in quem cenſum potiſſimum veniunt Tiliae, Caſtaneae equinae, Pſeudo-Acaciae, nec non variae ex fructiferarum familia. Belgium, ſi quae alia regio, his ornamentis et ſanitatis praeſidiis ſuperbit. *Vbi vero lacus, ſtagna vel paludes* in vicinia ſita, auram putridis inquinant vaporibus, haec ſunt vel in alia loca, vbi nocere haud poſſunt, deriuanda, vel ſi fieri poteſt, prorſus exſiccanda et in agros, prata, hortos aut ſyluas mutanda. Cedro digna ſunt, quae praeſtantiſſ. LANCISIVS hac de re litteris mandauit lib. de noxiis paludum effluuiis: ſiquidem aureo hoc ſcripto non ſolum *noxas a paludibus ſanitati imminentes,* copioſe oſtendit, et commoda, quae ex harum exſiccatione in ciuium corpora redundant, docte demonſtrauit; verum etiam remedia effluviis paluſtribus corrigendis, paludibus exſiccandis et in fertiles terras mutandis accommodata, ingenioſiſſime propoſuit. Duobus exemplis ab illuſtri hoc viro commemoratis meas nunc ornare pagellas liceat, quippe quae egregie confirmabunt, auram certarum regionum aut vrbium, paludum exſiccatione atque correctione ſalubriorem reddi et emendari poſſe. „Principum ait, „beneficentiam experti Piſaurenſes puriorem ae„rem, exſiccatis paludibus, ducere coeperunt; „atque vbi olim pauciſſimi mortales annum 50 „vel

„vel attingebant, vel ſuperabant, teſtimonio *Le-„andri Alberti,* i) hodie quam plurimos vltra il-„lam aetatem alit: inter quos amitam S. S. D. „N. CLEMENTIS XI, Iuliam Albanam de Oli-„veriis, honoris gratia commemoramus, quae „decrepita vltra annum 85 mentem ſanam, „acrem ac ſapientiſſimam ſeruat.

Hoc in Italia geſtum eſt. Idem vero Germanis quoque noſtris experiri licuit, quod ex litteris ROSINI LENTILII, Conſiliarii quondam et Archiatri Ducis Würtenbergenſis ad LANCISIVM perſcriptis patet. Verba eius ita ſe habent:

„De noxiis paludum effluuiis, quae medi-„taris, non poſſunt non eſſe pulchra et vtilia. „Magnum in ea re ſitum eſſe momentum, ne-„mo facile dubitat. Vnica iam obſeruatione „rem declarabo; *Stutgardia* quae eſt Sereniſſi-„mi mei Principis ſedes, circumquaque monti-„bus cingitur, excepta ſola plaga orientali, qua „verſus Nicrum fluuium, vnius horae intercape-„dine illinc diſſitum, patet nonnulla planities. „Ad moenia ciuitatis orientem et planitiem il-„lam verſus, olim fuit piſcina, ſeu ſtagnum „ampliſſimum plurium iugerum. Infamis au-„tem a multis annis fuit eadem noſtra Stutgar-„dia febribus intermittentibus, ferme non am-„plius epidemicis, ſed endemicis, valde rebelli-

„bus,

i) deſcript. Italiae de Piſauro p. 292.

„bus, ac diuturnis, quae proinde nomen tule„runt, quod vocarentur *Stutgardianae febres*, „Accidit autem ante hos quindecim annos, vt „ſtagnum illud certo fine exſiccatum, in pra„tum amoeniſſimum conuerteretur, et ab eo tem„pore febres intermittentes adeo rarae ſunt factae, „vt ne ſemel quidem epidemiarum nomen me„ruerint; ſed ſporadicae ſaltem nunc hunc nunc „illum inuaſerint, etiam hactenus curatu facilio„res. Apparet inde febres ab effluuiis illius ſta„gni putridis extitiſſe, quae flante euro ſublata „ciuitati inuecta fuerunt, eo quod ventus, alli„ſione ad montes facta quaſi repercuſſus efflu„via dicta longinquius prouehere non poſſet. k) Vides exinde quid et quantum ad prauas aëris conditiones emendandas atque temperiem eius ſalubriorem efficiendam, arte et ſtudio Principis in ſalutem ſubditorum praeſtari poſſit.

XII. *In ipſa aedificandi ratione* haud exiguum quoque ſalubritatis aëreae momentum poſitum eſt. Quo magis enim aër in domiciliis, praeſertim humilibus, incluſus atque compreſſus, quo minus luci et libero aeri ad aedes et conclauia ſiue cameras patet aditus, eo facilius vapores putridi atque excrementitii cumulantur, et contagioſis halitibus fomes paratur. Patet hinc ratio, *cur, lue quadam epidemica ſaeuiente, maxima*

k) LANCISIVS de noxiis paludum effluuiis. Lib. I. Part. I. cap. III.

ma vt plurimum ſtrages per infimam plebem populique faecem edatur? quippe quae caſas depreſſas, paruas, anguſtas; cubicula humilia ac humida inhabitare ſolet. Quam ob rem plateae, latae, aedes amplae, conclauia ſpatioſa, alta, feneſtrae magnae, tantum profecto ad ſanitatem, quantum ad decus et ornamentum conferunt. Adeoque etiam ad has res Imperantes ac Magiſtratus imo et architectos vigilantes aduertere oculos oportet.

XIII. *Nouas* ſi Princeps condere *vrbes, pagos, villas ſuburbanas* velit, inprimis proſpiciat, vt loca iis ſeligantur aeris ſalubritate conſpicua. Praeſtant autem plana vel elatiora profundis, remota ſint a paludibus, propinqua fluminibus. VITRVVIVS, praeſtantiſſimus veterum Architectus, refert, *veteres Romanos oppida et ſtatiua caſtra condituros inſpexiſſe iecinora pecorum, quae paſcebantur in his locis*, (vbi oppida ſua erigere vellent): *quae ſi liuida et vitioſa deprehendebant, ſolum vertebant, alio commigrantes.* Tantopere iſti de coeli temperatione, ſub quo degere volebant, ſolliciti fuerunt!

XIV. Contra aeris iniurias *veſtimentis* teguntur corpora. Quorum luxus atque ſplendor eouſque variis in locis euagatus eſt, vt Principes illum legibus coercendum neceſſe habuerint [l]).

Vellem

l) Vid. leges veſtiariae variis in locis editae, die Kleider-Ordnungen.

Vellem his legibus quaedam adderentur ſanitatem reſpicientes. Ita enim *nonnulla veſtitus genera hodie comparata deprehenduntur, vt non poſſint non valetudini eſſe infenſiſſima.* Mos vehementer comprimendi corpora per thoraces, calceos, ocreas et alia inter omnes propemodum cultiores Europae gentes hodie invaluit. Quantopère vero is anguſtando vaſa, compellendo ſiue conſtringendo viſcera, impediendo atque turbando liberum ſanguinis circuitum, incremento, robori et ſecundae valetudini noceat, in aprico mihi poſitum eſſe videtur. Inprimis tenellorum et mollioris ſexus corpora his anguntur carceribus, quibus tamen illud ipſum pernicioſiſſimum eſt. In tenellos enim propter mollitiem, ſubtilitatem atque infirmitatem partium tanto maiori vi ſuas exercet vires, quanto minorem inuenit renixum. In ſexum amabilem vero duplicem edit noxam. Enimvero et mulierculas ipſas iunceas, debiles atque infirmas reddit; et matres infirmas firmam prolem generare prohibet. Deinde *in media bruma feminae collum et praecordia denudata ventis ac frigori exponunt,* multae ſine dubio hoc conſilio, vt ſpectatorum oculis pateant et his voluptatum illecebris ignes accendant illicitos. Haec autem conſuetudo, quam rerum ſacrarum interpretes toties ex religionis dogmatibus improbant, mihi ex medicis taxanda videtur principiis. Frigus enim vi pollere cogendi fluida et conſtringendi ſolida neminem fugit: quis igitur dubitet, illud ad par-

tes

tes corporis tam teneras atque ſubtiles, quales in collo et praecordiis reſident, admiſſum effe-ctus edere peſſimos, tollere perſpirationem San-ctorianam, motum humorum ſiſtere, tumores et inflammationes producere, glandulas colli, pa-rotides, maxillares, ſublinguales, thyroideas, mammarum indurare, tonſillas, vuulam, laryn-gem, pharyngem, pleuram, pulmones inflam-mere, raucedines, tuſſes, anginas, pleuritides, peripneumonias, tabes ſiue phthiſes et ſexcenta alia mala excitare? Sed prauos iſtiusmodi mo-res illuſtres in Republica perſonae melius exem-plis, quam legibus emendabunt, coercebunt. Denique adhuc monendum reſtat, non ſolum nocere corpora minus tecta et quaſi denudata frigori exponere; ſed et hoc ſanitati aduerſari, *quando aeſtiuo tempore pellibus aut aliis veſtimen-tis nimis calefacientibus vtuntur:* ſi quidem hoc modo nimis ſudando debilitantur, et ad frigus poſtea hyemali tempore perferendum ineptiores redduntur homines. Cui plura hac de re ſcire volupe eſt, is euoluat doctiſſimas diſſertationes IO. IAC. BAIERI de veſtitu Altorffii 1704. et AVG. QVIR. RIVINI de morbis a veſtitu Lipſiae 1721. publicatas.

XV. Corporis *ſanitatem ac robur a mentis ſerenitate* mirum quantum dependere nemo igno-rat, atque hanc ob cauſſam animos ciuium inno-centibus exhilarare *oblectationibus* decet. Inpri-mis autem conuenit easdem cum *corporis exer-*

citationibus coniungere. Hunc in finem porticus, ambulacra amoena, horti publici floribus, plantis, arboribus gratos ſpirantibus odores, et viſu pulchris ornati ſtatuis, cryptoporticubus, (*Grottes*) aquis artificioſe ſalientibus, (*Fontaines*) cadentibus (*caſcades*) illuſtres et ambulationibus adaptati exſtruantur. *Magiſtrorum artium ſaltandi, equitandi, digladiandi* nullus ſit defectus. Ea ludorum genera, quae corporis vires excitant, mentem exhilarant, neque virtuti repugnant, libere permittantur: vt pila minor, maior ventoque diſtenta, (*ballone*) plumis ornata, eburnea, (*billiard*) conus et alia huius generis. Interdum etiam publicis et ſolemnibus oblectamentis populo Imperantes laetos hilaresque pariant dies. Inſtituantur *venationes ſolemnes* et celebrentur *certamina taurorum, vrſorum, leonum* aliarumque ferocium beſtiarum. Huc quoque referendus mos ille in plurimis Germaniae vrbibus receptus, quo ciues quotannis *orbem vel aues ex ligno conditas globulis plumbeis* petendo de priuilegiis quibusdam et immunitatibus ab oneribus publicis decertant, idque in ciuitatibus maioribus multa cum pompa peragunt: atque hoc inſtituto non ſolum in armis exercentur, verum etiam animi eorum reficiuntur, et praeterlapſis hilaritatis diebus tanto alacriores ad priſtinos redeunt labores. Ante omnia vero inſignem mihi laudem promereri videntur *ludi ſcenici, a quibus obſcoenitas abeſt, et dramata muſica;* quippe quae oculos ſpectaculo,

aures,

aures muſica, animum fabulis mirifice demulcent. Denique quum natura hominis ita ſit comparata, vt etiam ex ſola cum aliis ſocietate voluptatem hauriat, ad hanc perfruendam aptiſſimae ſunt cauponae vinum, cereuiſiam, potum Theé et Coffeé porrigentes, in quibus ciues, peractis negotiis, conuenire et requieſcere; attamen ſimul animum gratis et de rebus nouis vtilibusque inſtitutis colloquiis reficere poſſunt, *vt acti labores iucundi fiant.*

XVI. Vti imperantibus incumbit animos ciuium innocentibus et ſanitatem promouentibus exhilarare oblectamentis; ſic quoque illorum eſt officium, *vt voluptates et ſcelera, quae corpora laedunt, debilitant, eneruant et praematuram mortem inducunt, ſerio coerceant.* m) Nullum vulgatius vitium eſt *crapula,* nullum etiam funeſtius hoc ipſo. n) Nam et corpus et mentem corrumpit teſte HORATIO Lib. 2. ſerm. 2.

m) Senex quidam optime adhuc valens, interrogatus aliquando,

Cur tibi tam facilis cur tam iucunda ſenectus?
reſpondebat:
Libera quod vitiis tota iuuenta fuit,

et hoc ipſo ingenioſe docebat, quantum ad vitam longaeuam et ſenectutem iucundam reddendam vitae genus vitiorum et ſcelerum in iuuentute expers faciat.

n) Hanc ob cauſſam varii Principes iſtud publicis reprimere mandatis tentarunt: Vid. Verordnung

- - - - quin corpus onuſtum,
Heſternis vitiis, animum quoque praegrauat vna,
Atque affigit humo diuinae particulam aurae.

Parit humorum abundantiam atque ſic ad omnes a πλεϑωρα oriundos, qui ſane quam plurimi ſunt, diſponit morbos; fluida omnia vehementer commouet, in tranquillo ac moderato motu turbat; ventriculum, inteſtina, cunctaque vaſa nimis, quam par eſt diſtendit, ſuo robore priuat, ad agendum in contenta inepta reddit, imo ſaepe eadem disrumpit. Inde autem heluonum ſiue potatorum appetitus proſtratus, vomitus matutinus, pallor faciei, pedes oedematoſi, leucophlegmatia, ἀνασαρκα, ἀσκιτης, podagra, arthritis, phthiſis, febres acutae, inflammatoriae et infinitae aliae calamitates pendent, ita vt recte poëta ſcripſerit:

Enſe cadunt multi, ſed plures crapula ſternit.

Quamobrem, quum crimen iſtud tam vulgare ſit et eodem tot homines deplorandas ſibi pariant aerumnas, ſe ipſos iugulent et in αὐτοχειρίας ſcelus incidant, tolerari illud nullo modo debet. In auliis Principum, in Academiis, in nuptiarum, baptiſmorum et funerum ſolemnitatibus, in artificum et opificum conuentibus ac ceremoniis perpotationes enormes, hucusque multis adhuc in locis conſuetae et licitae, abrogentur.

Ciues

nung gegen die Trunckenheit und das Brandwein trincken. Hannover d. 5. Dec. 1736.

Ciues quotidiana ebrietate delirantes minis et poenis in ordinem redigantur. Ebrii delinquentes ſecundum PITTACVM bis puniantur, quia bis peccarunt. o) Athenienſes in ebrios actionem inſtituebant. p) Rex MINOS lege prohibuit, ne ad ebrietatem vsque compotationibus indulgerent. q) Ruſſorum BASILIDES, qui in aliis, vt multi volunt, Tyrannum, in hoc optimum ac prudentiſſimum Principem ſe praeſtitit, quod, qui publice ebrii conſpicerentur, in carceres coniiciendos iuſſerit, non depromendos inde, niſi triduo ante Paſcha. r) Imperator MAXIMILIANVS s) crapulae indulgentes cum ignominia a ſuis excluſit officiis. De GEORGIO WILHELMO, Duce quondam Brunſuic. et Luneburg. ſapientiſſimo, atque Cellenſi vltimo, referunt, quod hoc genus hominum ipſi maxime exoſum fuerit; quia, vt dicere amabat, veneri, ludo et aliis quibusdam vitiis dediti tandem cum tempore a prauis deſiſtunt moribus: qui vero Baccho addicti eiusque mancipia facti, nunquam ſe corrigunt. Et verum omnino eſt illud:

Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.

C 4 Ipſe

o) Vid. ARISTOT. 3. ethic. c. 5. Polit. L. 2. cap. vlt. LAERT. in vita PITTACI.
p) ARNISAEVS oper. polit. cap. XV.
q) PLAT. in Min.
r) ODERBORN in vit. Baſilidis.
s) ARNISAEVS l. c.

Ipſe *Mahumedes* ſuos ſectatores omni potu inebriante ſub grauibus poenis interdixit; dubio procul hoc conſilio, vt mentem ſanam in corpore ſano conſeruaret. Cur igitur hodie inter multas Chriſtianas et ceterum bene moratas gentes crimen illud impune adhuc perpetratur?

XVII. Venus cum Baccho coniunctim in generis humani exitium furit et quibus hic pepercit, hos illa nouit perdere. Tantopere enim antiqua ſeueritas in deſuetudinem abiit, vt iam adoleſcentia virorum peccatis ſe contaminare neutiquam vereatur. *Corrumpere et corrumpi ludus* (eine galanterie) *cenſetur hodie, et a ſeculi moribus non veniam tantum, ſed ferme applauſum inuenit.* t) Permultae magnarum ciuitatum foedis ſcadent lupanaribus, et laſciuis abundant proſtibulis. Sed quid inde? *Florida iuuentus in vitium cerea, flectitur* u) facile his malorum illecebris ad perpetrandas abominandas libidines; eo ipſo autem ſuccos optimos firmo et robuſto corpori conſtituendo aptos conſumit, fit elumbis ac languida, et virili aetate appropinquante, conſuetudo facta eſt altera natura, prauos deſerere mores haud poſſunt, ſeminalem laticem invtiliter profundunt, nullam vel debilem procreant ſobolem, et ſemet ipſos miris obnoxios reddunt

t) CONRING. de habitus corpor. Germ. antiqui et noui cauſſis. §. 88.

u) HORATIVS in arte poetica.

dunt aegritudinibus. Hoc enim amoris igne humores quaſi aduruntur, corpora exſiccantur, languor, tabes, febres hecticae, et multi alii morbi inducuntur. Quid dicam de horrendo ſcortatorum flagello, *lue venera?* Ante hos trecentos annos, quemadmodum plerique ſentiunt, adhuc erat incognita; x) hodie vix alius morbus medicos frequentius exercet. Olim inter res infames adhuc ponebatur, nunc inter ornamenta et decora a nonnullis referri ſolet. Exinde autem euenit, quod tam multi ſe nobis cum horrore ſpectandos praebeant, qui curtato naſo, deperdita vuula, perforato palato, raucifona voce, ſcelera etiam in occulto et tenebris perpetrata inuiti produnt adque propalant. Sed non ſufficit tetris libidinibus deditos tetra hac puniri lue; ſed ita malum iſtud comparatum eſt, quemadmodum medicinam facientes quotidie experiuntur, vt infamis nebulo honeſtiſſimum virum, nefandus maritus caſtiſſimam thori ſociam, laſciviens vxor optimum maritum poenarum, ſceleribus ſuis acquiſitarum, participem reddere valeat; imo ad innocentes vsque infantes haec miſeria

C 5

x) Sunt quidam, qui *luem veneream antiquiſſimum morbum atque ipſam lepram veterum eſſe volunt,* hocque comprimis nuper adhuc euincere magna cum veriſimilitudine voluit Anglus quidam eruditus, cui nomen BECKETVS, in docta diſſ. Actis ſiue Transactionibus philoſ. Acad. Reg. Londinenſis inſerta N. 365. p. 47. et in Epitome eorum a MARTYNIO edita Part. III. p. 652.

ſeria per haereditatem tranſit, et ſaepe contingit, vt parentes ſuis filiis poſt funera nihil aliud relinquant, praeter morbos, qui vitam ab illis proterue transactam manifeſtant. Tanta eſt blandientis veneris ſaeuitia!

Sed non ſolum corporis robur, verum etiam animi vigor et fortitudo turpium exercitio libidinum proſternitur. Id CYRVS probe agnovit, vtpote qui ſola hac arte Lydios aliquoties ante rebellantes domare ſciuit: *iis enim*, teſte IVSTINO y), *arma et equos ademit, iuſſitque lenocinia exercere: et ſic gens induſtria quondam potens et manu ſtrenua effoeminata mollitie luxuriaque virtutem priſtinam perdidit; et quos ante* CYRVM *inuictos bella praeſtiterant, in luxuriam lapſos otium et deſidia ſuperauit.* Perſas vero eosdem, qui antea, quum durum et agreſte vitae genus gererent, Lydios et Babylonios molles et meretricios vicerant, luxuria et voluptate poſtea eneruatos Macedonum ſuperauit durities; illos Romani nondum vulgatis libidinibus imbecilles; hos ex Martis filiis Bacchi et Veneris mancipia factos Heruli, Gothi, Hunni aliique Barbarorum. Haec ergo quum ita ſint, facile perſpicitur, quod omni cura et opera veneris ſaeuitiae repugnandum ſit. Inprimis vero *lupanaria ex Rebuspublicis exterminanda*, ficuti iam dudum magnus ille Medicus et Philoſophus GE. FRANCVS

y) Lib. I. cap. 7.

cvs de FRANCKENAV ſuaſit [z]); deinde proſtibula ex reliquorum conſortio hominum releganda. Aſt non in alia loca transmitti debent, vbi eadem crimina rurſus committerent; ſed in cuſtodias carceresque ſunt includenda: neue Imperantibus nimio ſint oneri, curandum, vt ibi nendo, fila ducendo, tibialia fabricando aliisque operibus victum ſibi acquirant; quemadmodum eiusmodi inſtituta variis in locis haud ſine laude conſpiciuntur. Demtis his malorum illecebris, et animi ciuium fortiores et corpora vegetiora remanebunt.

SECTIO II.

Quibus auxiliis ciuibus aegrotantibus ſuccurrendum et ſanitas illorum amiſſa reſtituenda ſit.

I.

Hactenus rationem conſiderauimus, qua Imperantes ſecundam ſubditorum valetudinem tueri, robur promouere, frequentiores morborum occaſiones praeſcindere deceat. Nunc vero perſcrutandum eſt, *quomodo aegrotantibus ciuibus ſuccurrendum et ſanitas eorum amiſſa reſtituenda ſit.* Ad hunc finem aſſequendum ante omnia neceſſum erit, vt in quouis Imperio, Regno, Ducatu, Principatu et Republica boni Medici, Chirurgi, Pharmacopoei, Obſte-

z) in diſſertatione medica, iam ſupra indicata, *qua lupanaria ex principiis medicis improbantur.*

Obſtetrices conſtituantur. Quia vero Politici ſoli neque de horum ſcientia aut peritia, neque de aliis rebus huc ſpectantibus ſatis iudicare poſſunt, ſtabilienda ſunt *Collegia Medica vel Sanitatis*, quibus cura earum rerum omnis committatur: qualia variis in locis, inſtituto ſummis profecto laudibus celebrando, iam condita nouimus. Inprimis talia inter Germanos Norimbergae, Auguſtae Vindelicorum et Berolini non ſine inſigni ciuium emolumento florent.

Compoſita autem haec eſſe ſolent ac debent, ex certo quodam Medicorum numero, ſcientiae, peritiae et integritatis laude inclutorum. Quorum vnus Praeſidis, Senioris, Decani, vel quocunque illum titulo inſignire placet, locum teneat. Hic reliquis praeeſt, eos conuocat, neceſſaria proponit, dirigit, et quicquid e re collegii eſt, obſeruat atque procurat. Medicis adiuncti ſint Iure conſulti et Politici, qui eorum conſilia, quoties opus eſt et rei grauitas id poſtulat, auctoritate ſua ad effectum perducere debent.

Collegii autem talis eiusque membrorum officia flagitant, vt 1) Medicos Chirurgos et Pharmacopoeos, qui in aliquo regni aut Reipublicae loco artem ſuam exercere, vel caſtra ſequi, militumque curam gerere volunt, examinibus tentent et inquirant, num ea polleant peritia, ſcientia atque aliis virtutibus ac qualitatibus, vt ſalus hominum curae illorum tuto committi queat;

2) vt

2) vt certis deſcribant libris modum optime parandi et conficiendi medicamenta; ne cuilibet Pharmacopoeo ea pro arbitrio praeparare aut immutare liceat, et vt Medici exactiſſime medicamentorum praeparationes cognitas habeant. Hi libri *diſpenſatoria* ſeu *Pharmacopoeiae* vulgo dicuntur. Quos collegium Medicum Berolinenſe atque Auguſtanum euulgauit, prae ceteris hodie in Germania excellunt, eosque plurimi etiam pharmacopoei aliis quoque in locis ſequuntur.

3) Medicamentis aequa imponant *pretia.* (*ſie müſſen apotheker taxen ſezen.*)

4) In *morbos endemios*, ſi quinam dominantur, ſollerter inquirant, eorum cauſſas et occaſiones rimentur, has quantum fieri poteſt, remouendas et praeſcindendas curent, atque ſi radicitus exterminari haud queunt, optimae morbo ſanando inueniendae methodo ſtudeant, inuentam vero cum aliis medicis communicent.

5) Si in ipſius regionis ſiue Reipublicae alicuius viſceribus *lues quaedam epidemica* ſaeuit, cauſſam eius expiſcentur, et tam auertendae a bene valentibus, quam tollendae in aegrotis optima publicanda curent remedia. Sin vero in vicinia furit, Principi vel Magiſtratui conſilia ſuppeditent, quibus auxiliis a ſuis arceri poſſit finibus, aut ſi iam intrauit, qua ratione ſupprimi, vel in herba, vt aiunt, ſuffocari mox rurſus queat. *Contagiorum* denique *inter pecora graſ-*

ſan-

ſantium curam quoque habeant, quia regionibus ingens ſaepe damnum inde imminet; atque doceant, quomodo his optime, perſpecta prius mali natura, indole et cauſſa, obuiam ire oporteat, quaque potiſſimum ratione renitendum ſit, ne virus, belluas proſternens ad genus quoque humanum ſerpat. a)

6) Quum vi officii tenentur, *Reipublicae bonis Medicis, chirurgis et pharmacopoeis proſpiciendi*, ſumma quoque ope eos niti decet, vt *artis Machaoniae cultoribus* omnia in promtu ſint ſubſidia, quae ad hanc diſciplinam addiſcendam pertinent, et vt nulla re, huic ſcopo neceſſaria, deſtituantur. Maxime autem Magnates et Principes inducere allaborent, vt in academiis profeſſores Medicinae ſolida eruditione, indefeſſa induſtria, animoque iuuentuti ſtudioſae inſeruiendi paratiſſimo, praeditos conſtituant; theatra anatomica, hortos botanicos, officinas chemicas exſtruenda curent et iubeant; et vt neque cadauerum pro arte anatomica et chirurgica addiſcenda, neque aliorum ſumtuum ad hos fines obtinendos impendendorum vllum eſſe defectum patiantur.

7) *Noſodochia* pariter eorum curae ſubiecta ſint. Adeoque eo reſpicere debent, vt tot idonea erigantur, quotquot ad miſeros egeſtate et morbis

a) Vid. hac de re, ſi lubet, LANCISII libellus de peſte bouilla.

morbis preſſos ſuſtinendos et ſeruandos ſuffi- ciunt. Haec vero magno ſtudio ita ſunt adaptanda, vt ſimul in Medicae et Chirurgicae arti addictorum vſum cedant. Quod optime fiet, ſi talia aegrotantium hoſpitia cumprimis in academiis ſtabilientur.

8) *Medicaſtros, agyrtas, circumforaneos, hiſtriones* et alios huius farinae homunciones, qui artem, quam faciunt, vel ſaepe prorſus non, vel ſaltem haud rite didicerunt, adeoque flagella ſunt et peſtes Reipublicae, ciues auro, ſanitate et ſaepe vita priuantes nullo modo tolerent. Ceterum ad omnes quoque res, priori capite expoſitas, vigilanti attendant animo, cunctaque ſuis conſiliis atque ſtudiis ita dirigere allaborent, vt in publicam ciuium ſalutem vergant.

II. Quae breuiter attigimus momenta numero praecedenti, nunc pleraque dilucidius et vberius pertractaturi ſumus. *Officia, qualitates et virtutes Medicorum* agmen ducant. Qui igitur tanquam Medici in Republica ſuſcipi et artem ſuam exercere volunt, coram Collegio Medico appareant, teſtimoniis probent, quod in Academiis rite ſtudiis incubuerint, ſint doctores legitime promoti, atque peculiaribus adhuc examinibus a Collegii iſtius membris tententur, num ſcilicet ſaluti vitaeque humanae ſalua conſcientia praeſici queant. Sed non tantum doctrinae atque peritiae, verum etiam vitae habeatur ratio. Oportet enim eos, vt HIPPOCRATES in iure-

iureiurando ſuo voluit, eſſe *ſobrios, caſtos, pios et conſcientioſos. Vt enim Medico ignorante nihil periculoſius, ſic Medico irreligioſo nihil funeſtius* eſt.

Iuxta eundem HIPPOCRATEM ἐν ἰητρικῇ ἀφιλαργυρίη, ἐντροπὴ, καταστολὴ, κρίσις, ἡσυχίη, ἀπάντησις, καθαριότης, γνωμολογίη, ἀδεισιδαιμονίη, ὑπεροχὴ θεία. *In Medico eſſe debet pecuniae contemtus, pudor, modeſtia in veſtitu, iudicium, lenitas, vrbanitas, munditiés, recta elocutio, ſuperſtitionis auerſatio, praeſtantia ſumma* L. de decenti habitu.

Nullus alterius fortunae inuideat, quod idem diuus ſenex praecipit, οὐδέποτε ἰητροῦ λογισμὸς φθονήσειεν ἂν ἑτέρῳ, ἀκιδνὸς γὰρ ἂν φανείη: *nunquam Medicus alterius bonam famam deniigret vel corrumpat: ſic enim propriam animi impotentiam proderet.* Neque aegris de nimio quaeſtu conquerendi occaſionem praebeant. Vt vero hoc non fiat, attamen labor et ſtudium eorum praemio haud careat, dum inde viuere, pretioſos libros et inſtrumenta ſibi comparare, remque familiarem ſuſtentare coguntur, normae quaedam in compenſandis illorum laboribus obſeruandae praeſcribantur, quae vero tantum mediocris ordinis ac facultatum hominibus ſcriptae ſint. Aequum enim et iuſtum eſt, vt maioribus fortunae opibus beati, reſtituta ſanitate, theſauro omnium pretioſiſſimo, cumprimis poſt morbos difficiliores imo difficillimos, Medicorum operam

ram et ſtudium liberaliori ſoſtro remunerentur: quia illi toties pauperibus ſuis ſubuenire conſiliis debent; a quibus ſaepe, praeter grati animi ſignificationem et bona vota, nil ſperare licet. *Praeterea Chirurgi, Pharmacopoei et obſtetrices eorum curae ſubiiciantur.* Pharmacopolia a Poliatris ſingulis annis minimum ſemel, vel etiam, vbi opus, aliquoties viſitentur, et peruestigentur, medicamentis neceſſariis inſtructa ſint, nec ne, et an bene omnia comparata. Denique etiam illud monendum eſt, ſi doctos, peritos et virtutibus enumeratis pollentes Medicos Imperantes exoptant, illos, praeſertim vero conſtitutos Poliatros, quos *Phyſicos* vulgo appellant, dignitatibus et honoribus ornent, iisque larga concedant ſtipendia. Honoribus enim atque proemiis ad magna et audenda et perficienda excitantur ingenia; negatis vero illis, negliguntur etiam virtutes; atque vbi non deſunt Mecaenates non deerunt quoque boni Medici. Denique etiam numero eorum limites et termini ponantur, vt neque pauciores adſint, quam ad ſanandos aegros requiruntur, neque plures, quam Respublica alere poſſit. Vid. conſtitutio Medicis terrarum Pruſſicarum et Brandenburgicarum praeſcripta.

III. Medicis prudentes atque exercitati iungantur Chirurgi. Hi pariter Collegio Medico ſe ſiſtant et coram illo ſuam aperiant peritiam. Neque ſat erit ſcire artem coquendi emplaſtra,

vel vnguenta, quemadmodum multis in locis exiſtimant; ſed oportet eos callere anatomen ſiue corporis humani fabricam, noſſe ſitum viſcerum, maiorum arteriarum, venarum, neruorum, tendinum, perſpectam habere oſſium figuram, numerum, nexum, ſtructuram, vt eo felicius fractis, luxatis, vulneratis aliisque laeſionibus et morbis mederi valeant. Qui praeterea curationibus et actionibus chirurgicis difficilioribus, quas *operationes* vocant, exercendis animum inducunt, vbi chirurgus non vulnera accipit, ſed facit, hi felici cum ſucceſſu illaeſaque conſcientia agere haud poterunt, niſi anatomes non ſolum vulgaris et rudioris, verum etiam ſubtilioris cognitione probe ſint imbuti. b) Sed in his aeque, vt in Medicis, *ſobrietas*, *temperantia et pietas* maxime deſideratur: cumprimis etiam *lenitas et humanitas* ſummopere ipſis neceſſaria eſt, quippe quae ad leniendos atrociſſimos aegrorum dolores, quos ſaepe ſuis excitare coguntur actionibus, multum conducit. A morborum internorum curatione, niſi ab eruditis praeceptoribus eas rite prius didicerint, prorſus abſtineant, et in laeſionibus externis grauioribus, quae ſine remediis internis non ſanantur, Medicum peritum in auxilium aduocent. Nec abs re erit

b) Vid. Parentis diſſert. *de ſubtilioris Anatomes neceſſitate*, Reſpondente HAHNIO itemque *de maiori anatomes neceſſitate in Chirurgia quam Medicina*, Reſpondente G. WAGNERO editae.

erit in caſibus ſaepe obuiis certis ſancire legibus, quid aegri chirurgis ſoluere teneantur, vt et horum et illorum querelae hac ratione tollantur. *Vellem chirurgos a tonſoribus ſeparatos eſſe;* vt illi, praeſertim diſcipuli, tempus non radendis barbis, ſed lectione bonorum ſcriptorum, ſectionibus cadauerum frequentibus, viſitando noſocomia aliosque aegros, vnde proficere poſſunt, conſumant, ſicque ad artem, quam profiteri aliquando volunt, non illotis, vt aiunt, manibus, ſed omni, quae a bono chirurgo exſpectari poteſt, ſcientia et peritia inſtructi accedant, eamque in ſalutem atque emolumentum generis humani exercere aliquando valeant. conf. conſtitut. Chirurgis Region. Brunſuicenſ., Pruſſ. et Brandenb. praeſcript.

IV. Neque defectus eſſe debet Medicamentariorum ſiue *Pharmacopoeorum* artis ſuae peritorum. Antequam vero ipſis priuilegia conficiendi medicamenta et diſpenſandi conferuntur, examini Collegii Medici etiam ſe ſubmittant, et de ſua, huic arti exercendae requiſita, ſcientia reſpondeant. Deinde illis inculcetur, vt *ſimplicia*, tam indigena, quam exotica, intemerata ſibi comparent, ſollicite in locis conuenientibus ac vaſis idoneis aſſeruent. *Compoſita* vero ex probis atque ſelectis ſimplicibus ſumma cura conficiant, ad ductum certi alicuius diſpenſatorii, vt Brandenburgici vel Auguſtanorum vel alius, quod pro norma a Collegio Medico ipſis propo-

nitur. Inprimis autem in praeparatione emeticorum, purgantium, mercurialium, opiatorum, aliorumque vehementiorum medicaminum ingredientia, proportionem et reliqua, huc pertinentia, exactiſſime obſeruent. *Formulas remediorum*, ſic vti a Medicis praeſcriptae fuerunt, parent; nil praeter eorum voluntatem in illis commutent, omittant, vel ſubſtituant. Si vero lapſum quendam pennae, vel errorem in formula deprehendunt, vel aliquid legere aut intelligere nequeunt, Medico, qui eam ſcripſit, id modeſte indicent, atque illius ea de re ſententiam exquirant. Schedulas ab ignotis et haud probatae auctoritatis Medicis ne quidem aſſumant, multo minus medelas iuxta illarum praeſcriptum parent. Praecipue vero medicamenta efficaciora et fortiora, heroica dicta, vt emetica, purgantia, opiata, mercurialia, maxime etiam menſtrua et partum pellentia, nemini propinent, niſi a legitimo Medico ordinata fuerint. Idem de *venenis* cuiuscunque generis dictum ſit: praeterea autem haec exacte ſecluſa et a reliquis medicaminibus ſeparata eſſe debent; peculiares quoque bilances, marmora, piſtilla, mortaria, cirbra pro eorum tractatione ſeruentur, ne damnum hisce inferatur.

Curatio autem morborum, et internorum et externorum, quam in pharmacopoliis non addiſcere, atque hinc rite callere haud ſolent, ipſis prohibita ſit. Praeterea eaedem *virtutes*, quas

Medi-

Medicis et Chirurgis neceſſarias iudicaui, a Pharmacopoeis pariter abeſſe nullo modo poſſe arbitror, *Sobrie, pie, temperanter viuant;* cumprimis etiam munditie ſint ſtudioſi, ſummaque ope nitantur, vt famulos atque diſcipulos his qualitatibus inſtructos ſibi aſſocient. *Si pharmacopolia* a Medicis, publica auctoritate conſtitutis, *viſitantur,* eos humaniter excipiant, omnia ſimplicia et compoſita, quae deſiderantur, oſtendant, nihilque abſcondant. Si quid iners, inutile, aut corruptum cenſetur, illud aboleant, abiiciant, et praeſtantiſſima mox in eius locum ſubſtituant. Multo minus vitia, parum efficacia aut corrupta ſimplicia levi pretio coemant; ſed, his neglectis, recentia ſemper et optima in officinas ſuas inferre ſtudeant, vt quaeſitum effectum conſueta doſi praeſtent. Denique pretia remediorum a Collegio Medico ſtabilita ſancte obſeruent. Nam ita vbique fere conſtituta ſunt, vt praeſtantiſſima remedia pro iis aegrotantibus tradere ac vendere poſſint, nec opus ſit, aegros et medicos corruptis aut inertibus fallere remediis, vid. conſtitut: Pharmacopol. region. Brunſuicenſ. Pruſſ. et Brandenb.

V. *Obſtetricibus* quoque prudentibus Respublicae haud careant. Priusquam vero cura parturientium et naſcendorum harum manibus traditur, earum non ſolum in arte obſtetricia, quae profecto difficillima eſt, c) verum etiam in re

 ana-

c) Quemadmodum hoc quum ex libris de arte obſtetricia,

anatomica ſcientia, vel a Collegio Medico, vel a Poliatris exploranda eſt. Si quid enim iis ſcitu neceſſarium, certo id eſt partium generationi in mulieribus dicatarum notitia. Praeſertim vero noſſe debent, quomodo hae in grauidis et parturientibus ſe habeant: imo ſitus praecipui foetus in vtero, potiſſimum partus tempore, ipſas haud lateant. Vt vero haec omnia rite addiſcere poſſint, Medici his in rebus probe experti ſunt conſtituendi, a quibus erudiantur: id quod plerisque in locis neglectum hucusque fuit. Quamuis enim quilibet fere de imperitia obſtetricum, deque erroribus, quos ſaepe committunt, conqueratur; pauci tamen inter Politicos, imo pauciſſimi ſunt, qui vel cogitant quomodo hoc emendari et eiusmodi feminae ad munus ſuum idoneae reddi queant; quaſi ſcientia haec ſponte ipſis in mentem ac manus inuolaret, aut inter ideas mulieribus innatas pertineret. Pariſiis, Amſtelodami, Argentorati et Lipſiae huic malo mederi ſtuduerunt, ſcholas condentes, in quibus ars obſtetricia docetur; quorum exempla, vt aliis quoque in locis ſequerentur, optandum eſt. Sed mulieres, quae huic operi exercendo ſe dare cupiunt, non ſolum artis peritae ſint, verum etiam *piae*, *ſobriae ac chriſtianae vitae*

tricia-, MAVRICAEI, obſtetricis Brandenburgicae, DEVENTERI, HOORNII, WIDEMANNIAE, tum ex chirurgia Parentis cognoſci poteſt.

tae laudem prae ſe ferant. Enimuero tam matris quam infantis, duorum hominum ſalus atque vita in earum poteſtate ſita eſt. Innumeras calamitates atque triſtiſſimos euentus ex bonarum obſtetricum defectu neceſſario oriundos DEVENTERVS, Medicus Belga, in arte obſtetricia verſatiſſimus, Principibus et Magiſtratibus ante oculos ponere eosque ad has noxas declinandas exhortari, ſumma ſtuduit induſtria: libro qui inſcribitur *artis obſtetricandi nouum lumen* Part. II. enim, in praef. haec habet: Magi„ſtratus in breui hoc ſpecimine videre poterunt „et percipere magna incommoda et calamitates, „quibus exponuntur ſubditi, neceſſaria opis pe„nuria in illis anguſtiis, quando illorum filiae vel „vxores parturientes vel negliguntur, vel malis „adeo modis mulctantur, quibus hactenus nil „aliud fuit praeſidii, niſi in ſolis lacrimis, qui„bus neceſſarii ſubſidii penuriam deplorabant. „conf. conſtitut. obſtetric. Brunſuic. et Bran„denb.

VI. Interdum mulieres praegnantes, vel per morbum, vel in partu intereunt, vel per vim externam emoriuntur. Foetui tunc, niſi mature ipſi ſuccurritur, breui ſimul pereundum eſt, vel viuus vna cum matre, quod vel ipſi ethnici ſummum nefas et peccatum eſſe crediderunt, miſerrime ſepelitur. Quamobrem atrum iſtiusmodi et horrendum facinus abhorrens prudentiſſimus *legis Regiae* auctor ſanciuit atque praece-

pit, d) *ne mulier praegnans demortua vnquam ſepeliatur, antequam foetus illi* (quia alio modo ſuccurri non poteſt) *exſectus fuerit;* imo illum necis reum iudicauit, *qui contra fecerit*, quoniam *ſpem animantis, cum matre peremiſſe videtur.* Sed lex haec omni laude maior, ab ethnico lata, a chriſtianis poſtea, quod mirandum ac dolendum, obliuione propemodum deleta fuit, ita, vt plerique Theologi, Iureconſulti, Politici, et Medici de ea colenda atque obſeruanda vix cogitauerint. Qua propter fieri etiam aliter non potuit, quam vt ſaepe iſtiusmodi infantes, qui matura defunctae matris ſectione ſeruari potuiſſent, neglecta eadem, certae morti relictae miſerandum in modum interierint. Quam impium, crudele et abominandum vero illud ipſum ſit, venerandus Parens iam dudum peculiari hoc de argumento ſcripta diſſertatione, e) multis grauibus edocuit rationibus; cum quo etiam nunc *per Deum et omnia ſacra rogatos eſſe volumus Principes et Magiſtratus quoscunque, vt rem tanti momenti curae cordique habere velint, et non ſolum ex amore chriſtiano miſereantur talium infantum, quorum ipſi etiam ethnici, vt ex laudata Lege Regia conſtat, ſerio miſerti fuerunt; ſed* etiam

d) Digeſtor. L. XI. Tit. VIII.

e) Quae ſub titulo prodiit diſſert. Medico-forenſis, qua rationibus theologicis, legalibus et medicis oſtenditur, *foetum ex vtero matris mortuae mature exſcindendum eſſe*, Altorfii 1720. 4.

etiam ob quintum S. Decalogi praeceptum, omnibus praefectis, aliisque iuſtitiae atque rerum publicarum adminiſtratoribus itemque ſacerdotibus et obſtetricibus ſerio praecipiant, ne tales infantes negligant, ſed ſummam adhibeant curam, quo eiusmodi in caſibus, vbi parturientibus vitae periculum imminere percipiunt, mox Medicos et Chirurgos expertos in auxilium aduocent, vt hi tales mulieres, ob crimen culpamue horrendi infanticidii ab vrbe vel integra regione auertendum, poenamque diuinam praecauendam, in tempore aperiant, ipſumque infantem ex certo mortis periculo eripere ſtudeant. Vid. diſſ. modo citat. §. XIII.

VII. Nihil funeſtius ciuium ſaluti *medicaſtris*, nihil autem in plerisque Rebuspublicis his ipſis frequentius. Agyrtae, circumforanei, iudaei, vetulae, carnifices, gregum paſtores, balneatores et ſexcenti alii Hygeae ſacra illotis aggredi manibus, atque in eius meſſem falces immittere non erubeſcunt; quemadmodum hoc rectiſſime tritum illud ſermone prouerbium teſtatur:

Fingit ſe Medicum quiuis idiota, ſacerdos,
Iudaeus, vates, hiſtrio, raſor, anus.

Quot vero et quantae in genus humanum noxae redundant, ſi eiusmodi homines aegris medendis manus admouent, qui nec corporis ſtructuram intelligunt, nec morbos cognoſcunt, multo minus eius ſedem aut cauſſas tenent, ſimulque remediorum vires, doſes, praeparationes et vſus

 igno-

ignorant? Profecto cum HIPPOCRATE f) prudentiſſimi Medici in hunc vsque diem agnouerunt, artem medicam artem eſſe longam ſeu difficillimam, eiusque exercitium illis etiam, qui omnem aetatem et omne ſtudium in ea colenda conſumſerunt, multum negotii faceſſere, multas noctes inſomnes, diesque ſollicitos creare, quando vere ſalutem aegrorum quaerunt, et intemerata conſcientia artem ſuam, non in detrimentum aut interitum, ſed in emolumentum et conſeruationem mortalium exercere volunt. Saepe enim caſus incidere ſolent, vbi ſagaciſſimis etiam aqua haeret, et ii vix omni ſua prudentia, ſcientia, experientia ſatis cauere poſſunt, ne aut committendo, aut omittendo peccent. Quid igitur de his exſpectandum eſſe putas, qui ne primis quidem, vt aiunt, labris medicinae praecepta deguſtarunt? Horrenda facinora, neces et ſtrages ſaeua nebulonum iſtorum temeritate perpetrari oportere, res ipſa loquitur. Quantopere autem abominanda horum nequitia increpanda et damnanda, tantopere coeca illorum amentia deridenda aut dolenda potius eſt, qui ſe, ſanitatem, vitamque huius generis homuncionibus confidunt. Nullus facile horologium, annulos gemmis ornatos, aut alia pretioſa, ſi aliquid detrimenti paſſa ſunt, homini harum rerum rudi reparanda committit. Quam multi vero ſunt, qui ſanitatem pretioſiſſimum theſaurum et diui-

tiis

f) Aphor. I. Sect. I. vbi ait; *Ars longa, vita breuis*.

tiis maiorem regalibus, cuiuis ſine haeſitatione reparandam offerunt! ſed ipſimet plerumque temeritatis ſuae poenas luunt, et ſero, ſed damno ſaepe irreparabili, ſapiunt. Lepide et ingenioſe iſtiusmodi homines inter veteres iam perſtrinxit PHAEDRVS ſequenti fabula, inquiens: g)

Malus quum ſutor inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere coepiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſiuit ſibi famam ſtrophis.
Hic quum iaceret, morbo confectus graui,
Rex vrbis eius, experiendi gratia,
Scyphum popoſcit, fuſa dein ſimulans aqua
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Hoc bibere iuſſit ipſum poſito proemio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis vlla Medicum ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex aduocata concione haec addidit;
Quantae putatis eſſe vos dementiae,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes.

Quae quum ita ſint, non poſſum non cum HILDANO, Manu et ingenio praeſtantiſſimo, exoptare: „Vtinam Reges et Principes, quos Deus „veluti patres familias conſtituit, impoſtores il„los imperitiſſimos, qui vbique fere tam arro„ganter ludunt de corio humano, ex officio re„primant; ex officio inquam, quemadmodum „enim paterſamilias infantibus ſuis, vt ignem et „venena tractent, non permittit, ne ſibimet ipſis „et aliis damnum inferant: ſic quoque huiusmo-

„di

g) Fabul. Lib. I. XV.

„di impoſtores et imperiti homines, qui ſuam „ipſorum animam et ſalutem, aliorum vero cor„pora et ſanitatem tot periculis exponunt; in Re„publica bene conſtituta, minime tolerandi eſ„ſent. Neque vnicuique, quod nonnulli obiice„re ſolent, licitum eſſe deberet, corium ſuum, „cuicunque libuerit, venale offerre. Hic enim „non de corio humano, ſed vita et valetudine „hominum, de quibus magiſtratus, curam quo„que habere debet, agitur. conf. eius opera latina p. 916.

VIII. Nunc ad *Noſocomia* ſe vertit oratio noſtra. Haec ſunt hoſpitia, in quibus miſeri, egeſtate et morbis preſſi, excipiuntur, atque tamdiu alimentis ac remediis, ſumtibus tractantur publicis, donec priſtinam recuperarunt valetudinem. Quamobrem, ea in qualibet Republica ſumme neceſſaria eſſe, patet. Nulla enim eſt ciuitas, quae non propemodum, praeſertim ſi vicinia loca, pagos et villas ſimul conſideraueris, abundet hominibus, quorum paupertatem morbi duriorem, imo duriſſimam, reddunt. Sed in exſtruendis his aedificiis ante omnia ſitus habeatur ratio: in ea enim loca ſunt collocanda, quae aere puro, ſincero, libero gaudent; ne praui huius halitus efficiant, vt medentes et medicamenta in caſſum laborent; remota tamen paullulum, ſi fieri poteſt, eſſe debent ab vrbibus, aut ſaltem certis ſuis cancellis incluſa et ab aliis aedibus ſeparata. Etenim multitudo vaporum

rum noxiorum, ex tot et tam variis morborum generibus aegrotis exſurgens, facile in vicinia habitantibus nocere poſſet. Deinde nullus ſit defectus eorum, qui decumbentibus opem ferant. Doctis igitur *Medicis*, exercitatis *Chirurgis*, peritis denique *Pharmacopeis*, Noſodochia deſtituta eſſe nullo modo poſſunt. Neque *miniſtri*, qui munditiei, alimentorum, verbo omnium rerum ad ſuſtentationem pertinentium curam gerunt, deficiant. Multo minus adminicula, tam alendo, quam curando neceſſaria, abeſſe debent. *Lignum* calefaciendis cubiculis ſufficiat; lecti et calorem praebentes et quieti apti adſint; cibi atque potus ſalubres morbisque conuenientes rite praeparentur, et iuſto tempore porrigantur; vltimo *medicamenta*, quaecunque a medicis praeſcribuntur, comparentur atque adhibeantur. Et quando *chirurgicae curationes inſtituuntur*, vt trepanationes, cataractarum acu ſuppreſſiones, ſectiones fiſtularum, herniarum, calculorum, amputationes artuum, mammarum, cancrorum, ſarcomatum aliorumue tumorum, ac ſimiles, ſedulo proſpiciendum eſt, vt hae operationes rite peragantur, aegri poſtea debito tempore deligentur, cibentur, et quam diligentiſſime rurſus ſanentur. Tandem adhuc monendum duxi, in academiis, ſi vllibi, Noſocomia exſtrui oportere. Hac enim ratione quamplurimis inſeruiunt, varioque modo. Nam non illud ſolum inde commodum euenit, quod pauperes aegroti ibi recipiantur et a malis ſaepe gra-

vif-

viſſimis curentur, quibus alias prae egeſtate aut inopia, vt ſaepius fieri ſolet, moriendum eſſet; ſed hoc etiam accedit, quod ibidem ſcientiae ſalutiferae cultores optime in ipſo artis exercitio inſtitui queant, vt tanto felicius poſtea aliis in locis curationes aegrorum ſuſcipere valeant. Porro, ſi qui his in aedibus emoriuntur, non tantum morborum natura et ſedes egregie per cadauerum ſectiones explorari poteſt, quo ad ipſam artem perficiendam nihil praeſtabilius; verum etiam hac ratione diſcendi cupidis deſideratiſſima patet occaſio, ipſam corporis humani fabricam cognoſcendi. Praeterea in operationibus chirurgicis grauioribus et inſtrui et ſe-ipſos etiam exercere poſſunt. Quae commoda profecto tanta ſunt, vt nihil maius ad incrementum ac perfectionem Medicinae atque Chirurgiae, adeoque etiam ad commoda vniuerſae Reipublicae conferri queat.

IX. Dantur morbi certis regionibus et populis vel ſolis proprii, vel iis adeo familiares, vt nullibi frequentius obſeruentur. Hos dixerunt *endemios*. Annotarunt ſolertes artis ſalutaris profeſſores in Anglos tabem pulmonalem et rhachitidem; in Belgas, ſcorbutum ac calculum; in Tyrolenſes, Salisburgenſes et Heluetios, ſtrumas; Hiſpanos, melancholiam hypochondriacam; Polonos, plicam; Gallos cum Belgis et Anglis, cataractam maiorem, quam in reliquas nationes, exercere tyrannidem. Nec Germani a

talium

talium morborum labe immunes ſunt pronunciandi. Qui enim ſeptentrionales inhabitant plagas, ſcabie vel ſcorbuto maxime diuexantur; qui autem verſus auſtrum ſedes ſibi fixerunt, febribus acutis, haemorrhagiis et arthriticis affectibus magis tentantur. Praecipue autem Saxoniae ſuperiori periculoſiſſimum illud febrium exanthematicarum genus, quod *purpuram* ſiue *febrem miliarem* appellant, incunabula ſua debet, vbi etiam in hunc vsque diem frequentiſſime graſſatur. h) Quid vero maius, quid excellentius praeſtari poſſit, quam mala iſtiusmodi funditus extirpare et integras gentes ab illis liberare? Excitent itaque Imperantes rerum naturalium ac ſalubrium cultores, vt illorum fontes, origines, cauſſas ſedulo inquirant. Hos autem vix alibi quam in aere, victu, aqua, vino, cereuiſia, conſuetudinibus, viuendi genere, certis populis peculiaribus, quaerere conuenit. Detectis cauſſis, modos et artes illis tollendis aptos, excogitandi indefeſſo allaborent ſtudio. Ad haec autem ſtrenue tentanda, licet magni laboris et haud leuium ſaepe ſumtuum opera ſint, non ſolum ipſius rei praeſtantia; ſed feliciſſimi multis in locis ſucceſſus, variaeque gentes hac ratione a diris eiusmodi malis liberatae, vehementer exhortantur. *Stutgardia*, ſedes Ducis Wurtembergenſis, febribus peſſimi moris, Stutgardianae dictis,

h) Vid. HOFFMANNI diſſ. de morbis certis regionibus et populis propriis, Halae 1703.

dictis, olim afflicta, has ipſas, ſtagno quodam vicino in pratum conuerſo, vix amplius agnoſcit: *Piſaurum*, ante exſiccatas paludes, vix vnum vel alterum nouerat ciuem decem luſtra attingentem; hodie vero ibidem permulti octogeſimum aetatis annum ſupergreſſi viuunt, vigentque. i) Forte pulmonum tabe tot Britanni non conſumerentur, ſi alia ratione, quam lithantracum ope frigus pellerent ac alimenta pararent. k) Forte *calculus Belgas* non frequentius, quam alias excruciaret gentes, ſi ab immoderato lacticiniorum cum acetariis vſu abſtinerent. l) Forte Gallorum, Anglorum, Belgarum oculi rarius chirurgorum manus ad ctaractas ſupprimendas exercerent, *ſi loco caminorum fornacibus, vti Germani, vterentur.* Interdum vero morborum endemiorum cauſſae adeo abſconditae latent, vt nulla cognoſci opera poſſit. Interdum, ſi etiam oculis iſtae patent, ita ſunt comparatae, vt tolli nullo modo queant. Rebus ita ſe habentibus, omnem mouere lapidem decet, ad optimam methodum et praeſtantiſſima auxilia morbis eiusmodi curandis excogitanda. Sed ad haec tam inuenienda, quam ad illa eruenda remedia, quibus mala endemia radicitus exterminantur, magna ingenia

i) Vid. ſupra Sect. I. N. XI. pag. 36. ſeq.

k) Tertia fere pars hominum hoc malo Londini rapitur, aſſeuerante HOFFMANNO, l. c.

l) HOFFMANNVS l. c. et DENISIVS obſeruat, de calculo.

ingenia mirifice excitabuntur, ſi hunc in finem adhibiti labores a Principe aut Magiſtratu honoribus et proemiis compenſantur. Laudibus itaque celebrandus hic eſt Amſtelodamenſium ſenatus, qui IACOBVM BEAVLIEV (vulgo *Frere Jacques*) inuentorem nouae cuiusdam methodi calculum ex veſica exſcindendi, praeter plures alias grati animi teſſeras exhibitas, inſtrumento aureo ad artem pertinente honorauit, cui inſcriptum erat: OB CIVES SERVATOS. Vide Parentis chirurgia latina proxime proditura, Part. II. cap. 143. de ſectione laterali.

X. Tandem accedimus ad exponenda Imperantium officia *morbis graſſantibus epidemicis praeſtanda.* Inter hos *dyſenteria*, *febres malignae*, *petechialis*, *Hungarica* et ipſa denique *peſtilentia* praecipui ſunt. *Peſtis* tamen omnium ſaeuiſſima eſt: hinc potiſſimum quoque diſpiciendum erit, quomodo huic furenti optime reſiſti poſſit. *Sed alia ſunt agenda, ſi lues iſta in ipſis terrae alicuius viſceribus iam ſaevit;* alia, ſi in vicinia tantum tragicos ſuos adhuc edit effectus. Si adhuc extra fines alicuius imperii, regionis vel vrbis, tunc omnem curam adhibere Magiſtratum oportet, vt illam a ſuis arceat limitibus. Nam,

Turpius eiicitur, quam non admittitur hoſtis.

Tollendum igitur mox erit omne cum infectis locis commercium. Nullae merces, cumprimis

ex lana aut goſſypio confectae, pecunia, litterae, beſtiae, homines, ſub grauiſſima, imo ipſius mortis poena, ex illis plagis venientes admittantantur, donec necare deſierit. Hac enim ratione iam ſaepius integrae eaeque magnae regiones a peſte immunes conſeruatae ſunt; quamuis in vicinia vehementiſſime ſaevierit. Atque tunc quidem, ſi iam deſiit, per aliquod adhuc tempus certis in locis extra vrbes quadragenariam agere moram debent, (*quarantaine* appellant) quicunque ex terris iſtis aduentantes regiones, quas lues peſtifera non diuexauit, intrare cupiunt. Litterae quoque ac merces, inde recens aduectae, ibidem aeri prius libero aliquamdiu exponantur, atque fumo aceti, vel vapore baccarum aut ligni iuniperi etc. ſuffumigentur. Aſt ne per ſolum aera virus illud propagetur, repugnandum eſt, conſilio et remedio diui HIPPOCRATIS, igne. Exſtruantur rogi ex ligno abietis, pini, quercus, iuniperi, variisque aliis plantis aut ſtirpibus, praeſertim e regione locorum peſtifera lue infectorum, et aliquoties in die concrementur. Neque vana tunc eſt frequens maiorum exploſio tormentorum bellicorum. Non ſolum quia aer hoc ipſo vehementer commouetur ac contremiſcit, quo purior redditur; verum etiam quia ſpiritus ſulphuris et nitri, in puluere pyrio contenti acidi, malignos vapores egregie corrigere atque potenter deſtruere valeat. Minor quoque vis erit veneni ſuum propagandi contagium, quando illud nullum inuenit

nit fomitem, aerem ſcilicet putridis inquinatum halitibus. Omnes igitur cauſſae et occaſiones, quaecunque eum impurum efficere queunt, ſumma cura praeſcindendae. Vrbes, pagi, villae a quibusuis ſordibus, in putredinem facile pronis, diligentiſſime repurgentur. Demortua animalia in profundis cryptis terrae mandentur; minime autem cadauera eorum, vt alias ſaepe, ſed more peſſimo, fieri ſolet, iuxta vias publicas inſepulta eiiciantur. Tenendum praeterea eſt, quod iam illo tempore, quo nondum feralis iſte generi humano morbus, regionis alicuius terminos tranſiuit, aſt hoc fieri facile poſſe, haud vana praeſagia metuere iubent, quod, inquam iam tum Medici, Chirurgi ac Pharmacopoei aſſumendi, et omnia, quaecunque tam ad victum, quam ad medicamenta pertinent, larga ſatis copia comparanda ſint. Praecipue curandum, vt ſufficiens copia vini, aceti, pomorum citreorum, tanquam efficaciſſimorum contra peſtilentiam remediorum, praeſto ſit. Haec enim poſtea, praeſente iam peſte, obtineri amplius nequeunt: dum nemo aliquid in eiusmodi regiones inferre vult. Vnde relatum legimus, quod ex harum rerum defectu interdum plures, quam ex ipſa vi morbi, interierint.

XI. *Quando in ipſis regionis alicuius viſceribus peſtilentia furit*, ante omnia ortus ſiue cauſſae eius indagandae; ſimulac vero detectae, ſi fieri poteſt, extemplo tollendae. Deinceps ad

peſtem fugandam conſtitutis Medicis, Chirurgis, Pharmacopoeis, miniſtri ex vtroque ſexu ſelecti iungantur, qui aegrotantibus alimenta afferant, et ad opem ipſis ferendam, officiaque praeſtanda prompti ſint atque parati. Hi tamen aeque, vt medentes, peculiaribus notis a reliquis diſtinguendi hominibus, quo bene valentes, praecipue puſillanimes, eorum fugere conſortium poſſint; ſi quidem illis propter quotidianam cum aegris conſuetudinem, vel ipſismet, vel veſtimentis tantum ſemper fere aliquid veneni contagioſi adhaerere ſolet. *Nec ager aut pagi inopes relinquendi:* ſed Medicis, Chirurgis, Pharmacopoeis, omnibusque praeſidiis, pellendo morbo neceſſariis, proſpiciendum ipſis eſt. Praeterea *aedes contagio affectorum ſuis quoque ſignis notentur,* vt eaedem cognoſci ac euitari poſſint: *exuviae defunctorum citiſſime, extra moenia ſepeliantur*, atque hoc quidem noctu, ſine pompa; ne meticuloſis terror horrorve, affectus tunc temporis periculoſiſſimi, crebris funeribus incutiantur. *Aer interim quoque ſolertiſſime repurgandus eſt*, excitato fumo per acetum, ſuperfuſum lateribus aut laminis ferri candentibus, puluere pyrio, explodendo tormenta, accendendo ignes, comburendo, vbi ligni copia eſt, rogos, remouendo ſordes quascunque in putredinem pronas. Peculiaribus inſuper ſcriptis et conſtitutionibus publicis manifeſtandum erit, quomodo quilibet contra peſtis virus optime ſe munire queat, vel corpus ſuum ita diſponere,

nere, vt ſi forte eadem corripiatur, illius vis maiorem inueniat renixum, adeoque minori ſaeuire vehementia valeat. Iisdem libellis iuſſu Principum ſiue ſummorum Imperantium exponendum quoque eſt, quibus curis quouis in loco, magiſtratus atroci huic morbo obuiam ire debeat. m) *Aliis quoque contagioſis et epidemicis graſſantibus morbis*, diligentiſſime eorum cauſſa erit indaganda, atque ſi reperta, et id fieri poteſt, in tempore remouenda; ceterum om-

m) Huius generis libelli permulti typis expreſſi ſunt, ex quibus prae ceteris commendari merentur, qui de peſte Polonica, Pruſſica, Danica, Hungarica, Auſtriaca, Hamburgenſi et Ratisbonenſi in lucem prodierunt. Egregia quoque ſunt illa praecepta, quae cura et iuſſu Ducum Brunſuic. et Luneb. RVDOLPHI AVGVSTI et ANTONI VLRICI 1680 ad peſtem a ſuis regionibus auertendam et fugandam publicata fuerunt, quibus, iisdem Principibus glorioſiſſimis proſpicientibus, annexa eſt appendix de dyſenteria profliganda, eodem tempore funeſta. Atque hoc etiam in loco depraedicare debemus, Sereniſſ. Ducis Brunſ. ac Luneb. nunc regnantis, CAROLI, Domini noſtri clementiſſimi, mirificam pro ſalute publica ſollicitudinem: qua effectum eſt, vt, quum anno 1736. in terris ſuae poteſtati ſubiectis, dyſenteria vehementer graſſaretur, conſilia euulgarentur, quomodo illo tempore bene valentes ſanitatem praeſentem conſeruare et ab iſta lue ſibi cauere deberent; decumbentes vero morbum iſtum optime pellere ac ſanitatem amiſſam recuperare poſſent.

nia pariter remedia adhibenda, quae a bene valentibus luem auertere, in aegrotis vero tollere cito, tuto et optime valeant.

SECTIO III.

Quaenam ſint imperantium officia ſanitatis publicae cauſſa tempore belli praeſtanda.

I.

Expoſuimus nunc Principum curas, circa valetudinem ciuium tempore pacis verſantes; reſtat adhuc, vt illorum *officia ſanitatis publicae cauſſa, tempore belli praeſtanda*, breuiter pertractemus. Hic potiſſimum ipſorum ratio eſt habenda *militum*. Vbi praecipua belli Ducis cura mihi in eo verſari videtur, *vt iuuenes ſeu viros ſeligat fortes, vegetos, robuſtos.* Ipſis enim non ſolum cum hoſte, verum etiam tempeſtatis iniuriis, cibi et potus inopia, ac prauis qualitatibus, quietis ſufficientis defectu, aliisque ſexcentis calamitatibus ſaepiſſime decertandum eſt. *Imbecilles igitur, debiles, infirmos, inter milites, ne ſuſcipi quidem multo minus ad arma gerenda cogi oportere, patet;* niſi forte ſumma neceſſitas illud iubeat. Compoſito ex manu ſelecta exercitu, et eodem contra hoſtem educto, Imperatores, ſummo ſtudio atque opera curare debent, vt nunquam *commeatus* deficiat. Vti enim Venus, ſic etiam Mars, ſine Baccho et Cerere friget. Imo rerum geſtarum annales docent, quod

ſaepe,

ſaepe, hoc neglecto, vaſtae copiae non ferro, ſed inedia et morbis inde oriundis interierint. Memorabile, aſt horrendum exemplum in HERODOTO relatum legitur: vbi commemoratur, exercitum a CAMBYSE Perſarum Rege contra Aethiopes, longaeuos dictos, miſſum, propter neglectum rei frumentariae apparatum, in tantas redactum fuiſſe anguſtias, vt conſumtis omnibus alimentis, iumentis quoque et equis, milites tandem ſortiti, ex ſe ipſis decimum quemque comederint. Lib. III. c. 5. n) Sed non tantum *de victu parando*, aſt quoque de eius ſalubritate ſint ſolliciti. Adeoque ſedulo operam nauent, vt cibus et potus, ſanitati conueniens, in caſtra aduc-

n) Propter huius rei incuriam grauiter etiam aliquando ALEXANDRI M. copiis fame et peſtilentia luctandum fuiſſe, CVRTIVS memoriae prodidit. Conſumtis, inquit, alimentis, Macedones primo inopiam, deinde ad vltimum famem ſentire coeperunt, radices palmarum, namque ſola ea arbor gignitur, rimantes. Sed quum haec quoque alimenta defecerant, iumenta caedere aggreſſi, ne equis quidem abſtinebant. Famem deinde peſtilentia ſequuta eſt: quippe inſalubrium ciborum noui ſucci, ad hoc itineris labor, et aegritudo animi vulgauerant morbos; et nec manere ſine clade, nec progredi poterant: manentes fames; progreſſos acrior peſtilentia vrgebat. Ergo ſtrati erant campi pene pluribus ſemiuiuis, quam cadaueribus Lib. IX. cap. X. Quae ex recentiori hiſtoria huc peti poſſent exempla, ſilentio praetermittere conuenit.

aduehatur, valetudini autem aduerſans, ab iis arceatur. Praeterea quia milites variae tempeſtati expoſiti, *veſtitu* contra eius iniurias ſufficiente, corpus tamen non grauante, muniantur, vt tam Syrium vrentem, quam Iani frigora perferre valeant. In caſtris *munditiei* gnauiter ſtudendum; ne aer vaporibus putridis refertus, morbos gignat contagioſos. Illicita et impura *Venus*, quae vt plurimum Marti aſſociare ſolet, ſeverioribus coerceatur legibus; quia hac ipſa viri militantes effoeminantur, o) eneruantur et tetris ſaepe morbis inficiuntur. Hoc bellum Neapolitanum inter Hiſpanos et Gallos ſub fine ſeculi decimi quinti geſtum declarauit. Vnde Galli turpiſſimum morbum, qui lues venerea ſeu morbus gallicus vulgo ſolet vocari, reportauerunt; a quibus deinceps ad ceteras Europae gentes propagatus fuit. Concedendum pariter non eſt, vt *ebrietati* impune indulgeant. Eos enim debilitat ac elumbes reddit; et ſaepe iam, quemadmodum hiſtoriarum monumenta probant,

o) Gens Lydia induſtria quondam potens et manu ſtrenua, effoeminata mollitie luxuriaque virtutem priſtinam perdidit, et quos ante Cyrum inuictos bella praeſtiterant, in luxuriam lapſos otium et deſidia ſuperauit. IVSTINVS Lib. I. c. 7. Secundum CVRTIVM nullus locus diſciplinae militari magis nocuit Babylone. Quia nihil vrbis eius corruptius moribus nec ad irritandas irretiendasque immodicas voluptates inſtructius. Lib. V. c. I.

bant, in culpa fuit, vt hoſtis truces edere ſtrages atque inſignes adipiſci victorias potuerit. Ita enim vaſtus Scytharum exercitus, qui per viginti octo annos Aſiae imperium obtinuerat, inebriatus aliquando tenui Medorum manu ad internecionem vſque caeſus eſt, teſte HERODOTO Lib. I. cap. 106. *In itineribus faciendis* cauendum quoque ſollicite eſt, ne exercitus nimis longis ac continuis, ſine interiecta mora aut quiete, inſtitutis migrationibus fatigetur. Delaſſatus enim hoſti vix reſiſtendo, multo minus vincendo et fugando par erit.

II. Haec omnia, quanta fieri poteſt ſollicitudine, obſeruanda ſunt. Ea tamen accurate ſemper obſeruare, propter ipſam belli rationem impoſſibile eſt. Quamobrem variae et multiplices caſtra ſequentibus ineuitabiles ſunt aegritudines. Hae igitur, omnium tamen maxime vulnera, quae in praeliis committendis, in vrbibus oppugnandis, in excurſionibus faciendis, vario modo, punctim, caeſim, per ſclopeta, tormenta vel alia ratione belligerantibus infliguntur, petunt medelas et auxilia. Quae quum ita ſint, opus, quin imo neceſſe eſt, vt Principes curent, *ne milites aegrotantes, aut vulnerati inopes relinquantur.* Conſtituantur hunc in finem periti *Medici, Pharmacopoei et Chirurgi*, qui decumbentibus ſubueniant. Hi vero omnibus arti exercendae requiſitis medicaminibus ac inſtrumentis abundare potius, quam carere debent. *Erigantur*

tur quoque Noſocomia caſtrenſia, vbi cuncta, quae tam ad curandos, quam alendos aegros neceſſaria, praeſto ſint. Quibus rebus ſi probe militantibus proſpectum eſt, non dubitandum, quin tanto maiori animo caſtra ſequentur, et cum hoſte congredientur; dum omnia in promtu vident auxilia, quibus, ſi forte vulnerantur, ſanari atque ſeruari poterunt. Denique etiam hoc tacere non poſſum, quod non tantum ius et decorum belli, verum etiam propria victoris atque multorum aliorum hominum ſalus a victore ſemper flagitet, caeſas in pugnis, certaminibus, praeliis, vrbium oppugnationibus et expugnationibus vel alio modo trucidatas aut *defunctas copias cito profundeque ſepeliendi*. Etenim neglecta vel retardata horum cadauerum ſepultura, ea breui putreſiunt; et tetri ex iis exſurgentes halitus ſaepe tantopere auram inquinauerunt, vt peſtilentiam, vel ſaltem huic quam proximos morbos induxerint, longeque maiores, quam ipſe hoſtis ſtrages ediderint. Poſt cruentum ad Arbela proelium grauiſſimos morbos odor cadauerum totis iacentium campis vulgauit, teſte CVRTIO. Lib. V. c. 1. Id quod vltima Philippoburgi obſidio, recentiſſimum exemplum, egregie confirmat: vbi peſſimae indolis febres ex foetore, a tardiori occiſorum ſepultura producto, exortae, plures adhuc Gallos, quam ipſa Germanorum, arma interfecerunt.

III. Ca-

III. Calamum hic figere liceat, quum ex hactenus dictis potiores Imperantium curas pro ciuium ſanitate conſeruanda, robore promovendo, morbis auertendis, pacis et belli tempore ſuſcipiendas ſatis patere exiſtimem. Si Numen ſupremum vitam ac ſanitatem concedet, eas aliquando vberiori illuſtrare commentario meditabor.

II. BVR-

II.

BVRCARD. DAVID. MAVCHARTI

Diſſertatio

de inſpectione et ſectione legali, harumque exemplo ſpeciali.

Tubingae, 1736.

Reſpond.

IO. MICHAEL SALZER.

PRAEFATIO.

Segnius irritant animos immiſſa per aures,
Quam quae ſunt oculis ſubiecta fidelibus, et quae
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Horatianum hocce dictum longe ſe diffundit lateque per totum ſtudii phyſici atque medici ambitum. Phyſicae, quam vocant, ſpecialiſſimae partes, Botanica, Chemia, Anatome ſexcenta profecto ſuppeditant in hanc rem ſpecimina. Segnius autem non modo irritant afficiuntque animos, quae vel libris ſaltem, vel viua etiam voce traduntur in hac doctrina, ſed

ſed tardius quoque arripiuntur, obſcurius concipiuntur atque difficilius retinentur: Cum e contrario phyſicum quoduis obiectum, ſub ſenſus cadens, vno obtutu ſaepe rectius intelligatur, quam exquiſitiſſima atque ampliſſima deſcriptione.

Quanti pariter interſit medici, hauſtis quidem antea debitis principiis, in rem praeſentem deſcendere, affectus p. n. les inſpicere ac rimari actu, illi maxime inter Practicos nouitios experiuntur, qui ſine praeuia manuductione, in praxin irruunt clinicam, et illotis manibus accedunt ad lectus aegrotantium. Vſus ergo etiam hic facit artificem!

Quamobrem vel ſolum hoc argumentum mihi ſufficere videtur pro reddenda thematis electi ratione. Cum enim pleniſſima nuperrime cunctis medicinae ſtudioſis facta ſit copia, occaſione quidem homicidii triſtiſſima, methodum inſtituendae inſpectionis atque ſectionis legalis oculis auribusque hauriendi, illam ipſam pro ſpecimine inaugurali proponere, atque ſic non modo clariſſ. Dom. commilitonibus ampliſſimam dubiorum materiem, ſed et Venerandis, qui pariter opponendi ſpartam beneuole ſuſcipient, Dominis Profeſſoribus exoptatiſſimam tam ſupplendi, quam emendandi, ſi opus videatur, praebere occaſionem, operae praetium duxi.

Memori certe teneo mente, quod toties nobis inculcauit Dom. Praeſes: *Ακριβειαν* anatomicam

micam eſſe primarium medicinae cimelium. Et quamuis communiter illa magis de Profeſſore, quam Practico requiratur Medico, vel ſolus tamen rite inſtituendi ſectionem legalem rigor et dependens inde iudicium medicum ſatis ſuperque teſtantur, quam prope ſummum anatomiae ſtudium et triuiales, vt ita loquar, tangat medicos, tantoque magis deuinciat illos qui ſolitarii in ſingulis prouinciis, ſine conſortio et adiumento verſatiorum, grauiſſimo tali inſudant obiecto, e cuius dextra, vel inepta excuſſione et adminiſtratione vel inſons capitali poena plectitur, vel maxime ſons abſoluitur.

Quam inſcite, quam imprudenter, quam proterue graſſantur eheu ſaepius inepti Medici atque Chirurgi in viſcera mortuorum! quam audacter ludunt de corio humano! Quam certam, quam deplorandam ex incertiſſima, falſa atque inſulſa obſeruatione ac hypotheſi viuis facile afferunt internecionem!

Vtinam et hoc ſibi capiant nonnulli Iure Conſulti, qui communi principio: Artifici in ſua arte credendum eſſe, ſeducti, quasuis ſubinde renunciationes medicas, dummodo ſint clarae et poſitiuae, pro norma ſuarum deciſionum ſimpliciter acceptant, neque ad lapidem lydium expertiorum atque plurium medicorum reuocant! Minima enim circumſtantia variat etiam hîc totum ius.

Inprae-

Inpraeſentarium itaque breui primum perſtringam potiora de rite inſtituenda inſpectione ac ſectione legali praecepta, deinde vero ipſum qui huic diſſertationi anſam praebuit, caſum ſubnectam atque ſcholiis nonnullis illuſtrabo. Faxit DEVS feliciter!

Inſpectionis atque *ſectionis* notionem adeo communem facilemque puto, vt noctuas ferre Athenas videri poſſet, qui circa horum terminorum explicationem deſudare voluerit: Nihilo tamen ſecius pauca erunt de illa praelibanda. Quamuis enim inſpectio et ſectio legales pari vt plurimum paſſu ambulent, neque ſectio poſſit debeatque ſine inſpectione adminiſtrari, male tamen confundi ſolent hi termini et pro aequi pollentibus ſiniſtre haberi. Nec confuſioni parit excuſationem limitatio inter viui et mortui inſpectionem. Siue enim corpus viuum, ſ. exanime ſubiiciatur medico tali ſcrutinio, quamdiu ſolo ſtat oculorum iudicio, nec cultro examinatur anatomico, nonniſi ſimplicis nomen inſpectionis mereri, quamprimum vero cruentae inferuntur manus, et partes corporis diuiduntur anatomicis inſtrumentis, tum demum ſectionem poſſe adpellari, nec ſolo inſpectionis titulo inſcribi debere per ipſam rei naturam abunde patet.

Praedicatum vero, quod hiſce additur, *legalium,* ſtatim innuit, non hic ſermonem eſſe de

quauis

quauis et priuata inſpectione ac ſectione, quas Medicus et Chirurgus ſua ſponte, vel amicorum rogatu ſuſcipiunt in viuis mortuisue, vt ſufficientem hauriant notitiam tum morbi atque ſymptomatum, tum praecipue cauſarum morbificarum: ſed agi potius de tali, quae per leges atque magiſtratum imperatur.

Sunt vero quam plurima *medicinae* huius *forenſis obiecta*: Grauiditas, vera, legitima, partus legitimi, clandeſtini diiudicatio, partus caeſareus, abortus, monſtra, aetas foetus ac adultorum, ſexus dubius, potentia l. impotentia virilis, ſterilitas mulierum, infectio venerea, aut alia impuritas foeda, contagioſa, fluor albus, malignus, epilepſia, atretae etc. diuortii cauſae medicae: melancholiae, maniae, delirii iudicium, virginitas integra l. laeſa, ſodomia, morborum ſimulatio, veneni aſſumtio, propinatio, faſcinum, ſiniſtrae malaeque curationes, damnum permanens, homicidium variaeque corporis humani laeſiones violentae etc. etc.

Horum quidem alia ſimplicem depoſcunt ocularem inſpectionem, alia in mortuis ſcil. coniunctam ſectionem. De altera hac claſſe mihi erit ſermo potiſſimum, adeoque de *Inſpectione* et *ſectione legali rite inſtituenda iudicioque medico*, quod renunciationem vocant, debite formando. Quanto enim inſpectio vulnerum in viuis, monente Bohnio, eſt incertior et coniecturalis magis, tanto debet eſſe in mortuis euidentior atque certior.

Cum

Cum autem in eo maxime cardo rei tum vertatur, vt adhibito acri ſtudio atque iudicio cauſa mortis eruatur, per firma ſtabiliatur argumenta et claris atque poſitiuis verbis declaretur, atque ſic *mixtura* quaedam *diagnoſis* ac *pathologiae* ſit pro fundamento, in aliis vero quam plurimis caſibus, vbi de ſola viuorum inſpectione agitur, ipſa *prognoſis* ſit *pars* primaria et *eſſentialis* medicae renuntiationis, ipſeque finis, propter quem ſuſcipitur inſpectio, non video, quo iure celeberr. Bohnius, in ſuo de renunciatione vulnerum tractatu, hanc medicinae partem ſoli vindicauerit pathologiae.

Neque enim quae illuſtre medicorum decus, Frid. Hoffmannus medicinae ſuae rationalis ſyſtematicae ſtatim in praelegomenis contra ſemioticam in genere affert, eamque numero partium medicinae, ſeparatim et diſtincte tradendarum expungit; ſtringere videntur. Ratio, certe quam affert, quod ſcil. ſymptomata morborum, quae in pathologicis tradi debeant, ſigna et dignoſcendi et diiudicandi aegritudines ſimul miniſtrent, nondum euincit, quod probare debebat, quod pace quidem tanti Viri dixerim. Si enim vel maxime ſola morborum ſymptomata ſint ipſiſſimum Semioticae fundamentum, in pathologia tradendum, hinc tamen haud conſequitur, ergo Semiotica ſpecialiter et diſtincte non eſt tractanda; Imo potius, quia ſolidae et rationali curae medicae locus eſſe non poteſt,

niſi agnitis prius morbi, ſubiecti et cauſarum ſignis, illaque ipſa morborum Symptomata, quorum indagare cauſas iubet pathologia, conſtituuntur et examinantur tanquam harum cauſarum ſigna, in medicis inſtitutionibus haec pars, quae de ſignis agit, per ſua generalia et ſpecialia praecepta diſtincte doceri meretur: Quid ſit ſignum, quotuplex, qui fontes, quae cautelae etc. Et tum demum haec recte in pathologia ad quosuis Speciales affectus morbificos applicantur propius.

Sed neque Symptomata morborum ſola conſtituere Signa dignoſcendi atque diiudicandi multis facile patet exemplis: Res, medicis ſic dictas naturales et non naturales, aetatem, temperamentum, ſexum, diſpoſitionem haereditariam, influxum aſtrorum, aerem, cibum, potum, ſomnum, vigilias, excreta, retenta, animi pathemata, motum, quietem, nec non iuuantia et nocentia, quae omnia ſcil. phaenomena fontes conſtituant ſignorum anamneſticorum, diagnoſticorum atque prognoſticorum, quis ad Symptomata morborum indiſcriminatim referre audeat? Taceo, quae nonnullis lubrica videntur, genethliaces, phyſiognomiae, chiromantiae, antropometriae principia, vnde futuros e longinquo proſpicere morbos ſatagunt et praeſentium diuinare euentum. Hinc, tenui meo iudicio, praeſtat veterum medicorum inſiſtere veſtigiis et nonnullorum e recentioribus aemulari ſtudium,

ſtudium, qui Semioticam, eiusque praeſertim prognoſticam partem ex profeſſo tradiderunt.

Sed redeundum eſt e diuerticulo in viam, atque nunc progrediendum ad illas *quibus inſpectionis* et ſectionis legalis *prouincia demandari* ſolet, *perſonas.* Primariae procul dubio ſunt *medicus* atque bini *chirurgi;* in caſibus ſexum femininum praeciſe reſpicientibus, ſubinde etiam obſtetrix, eaeque, vel iuramento olim iam praeſtito ad eiusmodi munia obeunda, vel tum demum obſtrictae et legitime ad hunc actum vocatae a Magiſtratu: quibus iuxta leges et morem huius ducatus duo adiunguntur Scabini ſ. teſtes, atque Actuarius, quorum omnium officium eſt, partim ſolicite et prudenter inquirere ac diiudicare partes laeſas, partim viſo reperto fidem oculis manibusque teſtari, partim obſeruata fideliter ſtatim annotare.

Lubens hic mitto varias quaeſtiones et cautelas in foro iuridico ventilandas; Id tamen facile conceſſero, palmam, et ipſum maxime *ſectionis negotium* illi rectius deferri et iniungi, qui arte ſecandi et ſcientia anatomica magis eſt imbutus, id vnice dolens, quod ſubinde coecus coecum ducat, neque in Germania multi reperiantur Chirurgi qui de hac praerogatiua certare poſſint cum Medicis. Obſtetrices vero vt plurimum in tam ſpiſſis ignorantiae tenebris caligant, vt ſupra ſexum potiorem in eiusmodi ſcrutiniis atque iudiciis minime poſſint exſplendeſcere.

ſcere. Quaeſiuit aliquando Dn. Praeſes ex obſtetrice quadam veterana, inter reliquas genitalium muliebrium partes, quid tubae ſint fallopianae, haſce res, reſpondit ſimpliciſſima mulier, nos quidem foeminae, ſiluam nigram inhabitantes non poſſidemus. Sufficiat vnicum, loco mille aliorum, ſimplicitatis et ignorantiae ſpecimen.

Ante Sectionem, vel *ſub* illa *ipſa* caueat ſibi medicus, ne praecoci iudicio aut fluctuante haeſitantia, aut tumultuaria confuſione Rabulis nonnullis vel excipiendi, vel et cauillandi praebeat anſam, neque etiam thraſonica oſtentatione et intempeſtiua, praeſentes anatomen docendi, ſedulitate gloriolam captando tempus inutiliter terat, το εϱγον vero tractet perfunctorie.

Tempus Sectionis, ſi arbitrio medici relinquatur, varium eſt. Sectio, quae per legem, ſic dictam, regiam praecipitur, nullam admittit moram; mox enim, vel quam minimo fieri poteſt interuallo, ab obitu grauidae matris liberare ſuo ergaſtulo embryonem oportet. Tempeſtate etiam calida atque humida in genere citius cultro anatomico ſubiicere cadauera decet, illorum praecipue, qui inflammatione, gangraena, ſphacelo et ſimilibus putredinem fouentibus morbis ſunt defuncti. Vnde pro circumſtantiarum varietate, 12. vel 24. a morte horis ordinario ſolet inſtitui ſectio. Ne tamen foetidiſſima putridorum effluuiorum nebula ſuffocentur ſecto-

res

res atque adſtantes, reponi cadauer (niſi commotionem aliae prohibeantcircumſtantiae) poteſt in locum frigidum, aut glacie obtegi, ſpirituque vini irrorari, inter ſecandum vero aëre libero ventilari hypocauſtum, aut variis imbui medicatis fumis, tabaci praeſertim.

Sunt vero ſubinde caſus, qui *cadauerum commotionem* atque *translationem* non aeque admittunt, quibus ſcil. vel diſtrahi vulnus et fractura vel in vaſe infarctus interno liquor exprimi et diffundi, vel haerens alicubi ſingularis cauſa mortis dimoueri, vel tenſae partes membranaceae molliores que rumpi, vel alia mala poſſent induci.

Quanto igitur minus in *cadaueribus* iam *putrescentibus* et diu a morte *effoſſis* iterum, diſtinctae et plenae inquiſitioni medico-legali ordinario locus ſupereſt, tanto maiori etiam iure nauſeabundum, *inutilem noxiumque* hunc *laborem deprecantur* atque reſpuunt *medici*, vel ſaltem in extrema talis officii neceſſitate largiore praemio ſunt digniores.

Ad manus ſunto *adaequata inſtrumenta*, Cultri anatomici varii, volſella, tubulus, forfex, ſpecilla, ferra, cunei, ſpongiae, acus, filum, vaſa fictilia maiora atque minora, aqua repleta. *Locus ſectionis* ipſo partim lumine ſolis, candelarum cereorumque flexilium ſufficienter ſit illuſtratus, et cadauer ſuper aſſeres, vel tabulam, aut alias, in iuſta altitudine ſupinum collocetur,

atque linteis veſtibusque ſuis exuatur, obſeruato tamen et hoc medici decoro, vt ne vltra neceſſitatem verendas partes nudo adſtantium adſpectui perpetuo proſtituat. In variis tamen caſibus, e. g. contuſionis, calcitrationis et aliarum laeſionum externarum, herniae incarceratae, veneni accepti, *partes externae virorum genitales* ſolicite non minus *inquiri debent*, ac *muliebres* in ſuſpicione laeſae virginitatis, abortus, puerperii, grauioris procidentiae vel haemorrhagiae vteri. Tum inſpicitur omnium primo totum vndique corpus et inquiritur, annon *ruboris, liuoris, ſugillationis, contuſionis, tumoris, ſolutae vnitatis, depreſſionis, luxationis, fracturae, neglectae* in foetibus *ligationis funiculi vmbilicalis* et ſimilium occurrant veſtigia? quam ſagacem tum diſpicere medicum oporteat et vel *leuiusculas laeſiones* externas *ſtudioſe rimari*, in fraudem et necem callidae gentis, maxime infanticidarum variae docent hiſtoriae: e. g. adactae per tenellam foetus fontanellam acus in cerebrum vsque, impulſi fili orichalcei acutioris per narium alterutram et os cibriforme, it. alius in abdomen vsque, probabiliter per anum et inteſtinum rectum, intruſi, quale horrendum affert exemplum celeberr. b. Harpprecht a). Vnde diſpaleſcit in caſibus variis intricatis *attendendum* eſſe porro *ad* omnia, quibus humanum corpus patet, *oſtia: Narium* foramina, num obturata, obſtructa, aut

violentae

a) Conſil. Tubing. Vol. I. Conſ. XVI.

violentae compreſſionis indicium praebentia? *Oris*, an ſanguine, ſpuma, cibis regurgitantibus aut aliis heterogeneis infarcta? *aurium*, num ſanguine, pure etc. perfluant.

Etiamſi vero nulla *laeſionis externae veſtigia* compareant, ideo tamen non ſemper euincitur, nullam talem eſſe illatam; hinc neque ſectionis labore medico licet ſuperſedere b). Alias vero detractis faſciis, compreſſis, emplaſtris, plumaceolis, turundis, ſi quae talia e chirurgica tractatione praecedanea occurrunt, *ſpecialiſſimum* externi loci affecti *ſcrutinium* inſtituitur, atque *laeſionis regio, magnitudo, directio, profunditas* aliaeque qualitates examinantur, terminisque technicis deſcribuntur. In limine huius operis grauiſſime mox impingunt illi qui anatomiae minus gnari regiones corporis externas, varia denominatione diſtinctas, miſere confundunt. Quamuis enim Bohnio facile largiar, non eſſe de abſoluta neceſſitate, omnium integumentorum, per quae traiecit vulnus, ſolicitam ſemper inſtituere vel ſectionem, vel enumerationem; ſubinde tamen et haec cura non eſt ſuperflua, et *technica ſingularum partium appellatio* de ſectoris et eruditione et diligentia non vanum exhibet teſtimonium.

b) Conferatur Bohnius de renunciat. Vuln. pag. 24. 25.

In *vulnere* porro rite determinando attendendum eſt, an *inflammatum, gangraenoſum, lividum, ſiccum, ſuppurans, ichoroſum, cruentans,* ſiue ſanguinem, et qualem, an ſincerum, ſpumoſum, grumoſum aut aliud eructet liquidum? an *tumidum,* emphyſematicum? an aliis *heterogeneis,* laciniis veſtium, indufii, aut ſolidis aliis *obturatum?* quaenam fuerint *immiſſae turundae,* plus minus durae, longae, cauae? Quaenam *epithemata, vnguenta, balſama, TRae iſchaemae,* illitae?

Cadauer in eum *ſitum,* quo vulnus fuit inflictum, *reſtituatur*, quantum fieri poteſt, vel ſaltem in relatione indigitetur. Quantum enim differat ſitus internarum atque externarum partium, pro diuerſitate ſitus totius corporis erecti, inclinati, iacentis et varie conuerſi hominis, autopſia facile docet, et Celeberr. Winslouius paſſim in ſuis ſcriptis anatomicis inculcat.

Vulnus ſpecillis mollioribus-flexilibus, e minoribus cereis, vel plumbeis filis, aut aliis, ſuſpenſa manu, et ne quid nimis, *exploretur*, ſolicite cauendo, ne vel hac opera vulneris dimenſio et directio peruertantur, vel intus molliores et lacerae partes pertundantur vlterius. Vnde ſtatim patebit, an cutaneum ſaltem, et nonniſi corporis integumenta, an vero profundius muſculos aliasque partes molles durasue et in ipſam vsque cauitatem aliquam traiecerit ſ. ventrem? Vbicunque ergo vulneris vel vnius, vel plurium mani-

manifeſtum habetur veſtigium, ibi oculos manusque figit Sector, illamque corporis partem omnium primo ſcrutatur ac ſeparatis detractisque integumentis variisque adiacentium impedimentis, ab externis ad interiora prouide pergit.

In apertione vero abdominis communem illam Chirurgorum methodum iure meritoque damnauerim, quae valida maiore acu incurua filum robuſtum traiicit per vmbilicum, vt ſuſpenſo et eleuato hoc, eo tutius adornari poſſit ſectio integumentorum abdominis, citra laeſionem inteſtinorum, quae ſcalpelli in cauum penetrantis ſe ſtatim obiiciunt apici. Incidit ſic incautus facile in ſcillam, qui vult vitare charybdin, et hac encheireſi plus ſemel effectum eſt, vt acu filoque traiectis, ipſum ſubtus iacens aliquod inteſtinum fuerit comprehenſum, et ex hoc vulnuſculo ſubſederit.

Non leue profecto negotium faceſſit et periculum laeſionis, ſumma *inflatio* et *turgeſcentia abdominis*, ex inteſtinis flatu diſtentis: Cui ergo ſic caute obuiam eundum, puto, vt, horizontali directione, vel ſaltem leuiter inclinata cultri anatomici, minime acuminati, ſucceſſiua fiat inciſio longitudinalis inter muſculos rectos abdominis ſupra vel infra vmbilicum, vsque in peritonaeum, et vulnuſculo huic poſtmodum vel ingeratur altera manu ſpecillum ſulcatum, apicis obtuſi, inque huius ſulco recondatur altera manu culter, vel forficis brachium inferius, vel ipſa

F 5 forfex

forfex, cuius alter apex obtuſus in globulum effictus eſt, hac parte immittatur, quodcunque vero horum inſtrumentorum, peritonaeo leniter appreſſum vltro citroque commoueatur, vt inteſtinum ab eo inciſionis loco placide remoueatur, tumque ſectionis elongatio facile et tuto perficiatur.

Diductis crucitatim integumentis libere ſe praebent conſpicienda *abdominis contenta*, quae nimis feſtinante et incauta manu peruolare ſolent nonnulli, detento ſemper anatomico cultro in alterutra manu, ſatis eſſe rati, ſi auerſum, et ad carpum directo apice, eum teneant et quaſi abſcondant, quorſum vero turgidi et fluctuantes inteſtinorum gyri, aut ventriculus, facile impingunt vulnusque accipiunt, et grauiſſima alia ſequuntur incommoda. Cum enim naturaliter, hi canales ſint plus minus diſtenti, et eorundem collapſus ſ. ſubſidentia, primo ſtatim obtutu, ſolutionis continui ſ. vulneris inferant ſuſpicionem; itaque plurimi intereſt, haec caua viſcera relinquere illibata.

Antequam ergo ad ſpeciale loci affecti examen pergatur, niſi quidem ille peculiari e ratione Sectoris attentionem primus ſibi vindicet, *cauum abdominis* inquiritur, annon hic ibi, maxime in pelui, ſero, ſanguine, chylo, lympha, bile, vrina, alimentis, fecibus, vermibus, aut aliis heterogeneis p. n. ſit repletum? *an viſcera abdominis* colorem, figuram, ſitum, connexionem,

nem, ſubſtantiam, qui naturaliter ipſis competunt, ſeruent, an *ventriculus* et *inteſtina* ſint vacua et collapſa, aut praeter modum turgida et infarcta, flatibus, ingeſtis, fecibus, ſanguine etc.

Ex hoc inteſtinorum labyrintho vt ſe facilius extricare poſſit Sector, filo hoc opus eſt ariadnaeo: Vel enim a ventriculo incipiens duodenum, ieiunum, illum ordine ſic proſequitur, vt altera manu ſemper contineat partem inteſtini iam exploratam, altera vero per totum canalis inteſtinalis tractum, ſine violenta tractione pergat: vel in regione illaca dextra, vbi inteſtinum ileum inſeritur colo, tanquam in biuio adſcendat partim per omnia tenuia verſus ventriculum, partim per craſſa ad anum vsque deferatur.

Ipſa de cetero *viſcera* ſunt *incidenda*, *veſica* tam *vrinaria*, quam *fellea* aperiendae, vel tactu ſaltim explorandae, annon p. n. ſe quoddam contentum ſolidum alant? *Vaſa ſanguinea maiora* ſunt inueſtiganda, num integra, num venae debito ſanguine repletae? Nulla, vno verbo, pars nobilior et extantior ſicco eſt praetereunda pede, vt in renuntiatione liquido poſſit determinari, illas vel naturaliter in vniuerſum conſtitutas fuiſſe, vel hoc illoue vitio laboraſſe.

Neque enim tum agitur ſolum de partibus extrinſeca violentia laeſis, ſed et de omni qualicunque alia, ſ. externa, ſ. interna cauſa mortis, ſ. primaria, ſ. ſecundaria et ſocia, ſ. lethalitatem

per ſe ſ. per accidens fundauerit? Maxima profecto intereſt differentia, num vulnus, aut quaecunque grauior alia iniuria externa in hominem inciderit ſanum, robuſtum, conſiliis medicis obedientem, num vero in valetudinarium, debilem, refractarium, intemperantem. Nec minus importat et percuſſo et percuſſori, num cura medico - chirurgica dextre geratur?

Plurima, quae hactenus circa ſectionem abdominis monui, ad *pectoris* quoque *apertionem* redundant. *Specialia* tamen haec paucis videntur annectenda: Separatis, qui ſterno coſtis atque clauiculis adhaerent vtrinque muſculis pectoralibus, appendices coſtarum cartilagineae in extremo coſtae proximo, diſcinduntur, vna cum interpoſitis muſculis intercoſtalibus et ſubiacente pleura ex vtroque latere, ſumma ſterni pars, ſ. manubrium a clauiculis muſculisque affixis caute ſoluitur, ne vaſa ſubtus incedentia maiora lacerentur: Tum ex vtroque latere alternatim elevatur attolliturque ſternum, medicusque introſpicit oblique, atque ſic de mediaſtini ſitu, connexione et ſtatu in genere vel naturali, vel p. n. ſi iudicat. Quo facto, ipſum hoc mediaſtinum ab interna ſterni et coſtarum, quibus affigitur, ſuperficie liberat; ſic totum ſternum verſus inferiora et diaphragma reclinat, aut, ſi impedimento ſit, reſecat. Alii ſternum ab infimis ſuis vinculis liberant, ſupra vero clauiculis affixum ſeruant et verſus collum reclinant. Abun-

Abundet per me ſuo quisque ingenio, nemini dicam ſcribo, nec diffiteor poſſe caſus obuenire, qui ipſam hanc ſibi poſtulent methodum; Priorem tamen abs me commendatam ſua etiam habere commoda, certum habeo ac exploratum.

Aperto ſic thoracis vtroque cauo *pulmones ſe* mox oculis ſiſtunt. Ad variegatum, maculisque liuidis et nigricantibus conſpicuum eorundem in adultis *colorem*, tanquam ad ſcopulos ſtatim allidunt plurimi medici atque chirurgi, pyxide nautica in vaſto hoc anatomiae oceano non inſtructi, et mirabundi declamant contra foedum hoc coloris portentum. Quaſi vero hic adultis non ſit aeque naturaliſſimus, ac roſeus ille et grate rubellus infantibus! Seriam vero attentionem merentur aliae coloris mutationes in *rubrum*, purpureum, coccineum, *liuidum*, atrum; inflammatorium, gangraenoſum, ſphaceloſum, vel totalem, vel partialem, vel ſuperficialem vel profundiorem. Nec non *ſubſtantiae* vaſculoſo-ſpongioſae l. naturalis *mollities*, l. *durities*, calloſitas, ſcirrhoſitas: *Tuberculorum*, *vomicarum exvlcerationis*, *haemoptyſis*, *bronchiorum* et *tracheae obſtructionis* et infarctus, *vaſorum* maiorum *polypoſae interceptionis* et reliquus grauior ſtatus quicunque morbificus.

E primariis phaenomenis attentione dignis ſolet et illud recte annotari, num ſcil. *pulmones* vel *naturaliter inflati*, vel *ſupra modum* aere in veſiculis expanſo *turgidi*, an plane *collapſi* et

ſubſi-

ſubſidentes? Quale ſcil. pro lapide lydio ſolet eſſe, quo, in ſuſpicione infanticidii examinetur probeturque, viuus ne an mortuus in lucem editus ſit foetus? Quantae vero hoc criterium cautioni ſubiectum ſit, ſolidiſſime iamdudum euicit Celeberr. B. Dn. D. *Zellerus* in diſputatione de ſubſidentia pulmonum etc. Haec vero, in aliis caſibus medico-forenſibus, vulneribus ſcil. pectoris obuia pulmonum ſubſidentia meum thema alio adhuc reſpectu tangit, quatenus mox indigitat ſauciatam eſſe alicubi pulmonis ſubſtantiam, cuius vulneris ingreſſus et egreſſus, ſi ſponte non pateat, facile detegitur facta inſufflatione aëris in tracheam vel ramos bronchiorum maiores mediante tubulo maiore, vel et ipſo folle. Hinc ſua luce radiat cautela, quam in diſſecandis coſtarum appendicibus cartilagineis, diſſecandis et pulmonibus ſubinde tenaciter pleurae adhaerentibus cautiſſime, et cum diſpendio pleurae potius, quam tunicae et ſubſtantiae pulmonum, ope digitorum l. cultri liberandis, ſolicite debet obſeruare; vel leuiſſima enim membranae pulmonum illata excoriatione et vulnuſculo omnis ſtatim illo pulmonis lobo euadit aër.

Vtrumque *cauum pectoris*, praecipue verſus ſuum fundum ellipticum ſuper diaphragmate, antequam pulmonalis ſubſtantiae inciſionem et ſectionem moliatur, dehinc excutit medicus, an *vacuum*, vel *repletum ſero, ſanguine, pure, chylo* etc.? quorum tum quantitas, qualitas atque lo-

cus

cus annotantur. Vna eademque hac opera facile ſimul inquiritur in *vaſa ſanguinea maiora*, aortam, venam cauam, azygam, ſubclauia, carotides, art: venamque pulmonalem. An *venae maiores* ſanguine *turgidae* (arterias enim vacuas, aut pauciſſima ſaltem purpura ordinario refertas nouimus) an vero *inanes*? an *ſubſtantiam, diametrum* et *permeabilitatem* ſeruarint illibatas? an vero *aneuryſmate* dilatata, pure *eroſa*, in oſſeam duritiem *condenſati eorum parietes*, aut *polypoſis* et *grumoſis* infarcti ſint concrementis.

In memoriam incidit hac occaſione Domino Praeſidi biga obſeruationum anatomico-practicarum: *alterius* de *vulnere ductus thoracici*, quod e relatione et autopſia B. Eiusdem ſoceri D. D. Ioh. Zelleri, ſupra laudati, in proelio ad Hochſtadium famoſo acceperat olim Illuſtriſſ. Dn. Comes et Generalis de Styrum, lenta morte et inedia confectus, quoniam nutricius ille ros chyloſus e thoracico ductu iugiter exſtillans in cauum pectoris et vulnere huius expulſus foras, maximum et omne tandem corpori nutrimentum ſubtraheret. Alterius vero de iuuene quodam ſtudioſo, phthyſi vlceroſa mortuo, quemque ipſe ſecuit Altorfii Anno 1718. ſtudio medico incumbens Dominus Praeſes, celeberr. Heiſtero tum praeſente et dirigente. Cauitate ſcil. pectoris vtraque reſerata eundem vlceroſae depaſcentiae foetorem oppertus, qualem paucis antea

tea ſeptimanis in alio expertus eſt tantum, vt manus ſuas, foedo liquamine contaminatas, quadriduo vix ab illis foetidiſſimis purgare valuerit atomis; exhalantem e copioſa colluuie potius gratiſſimam ſenſit fragrantiam, inſolito hoc phaenomeno mirifice perculſus. Re penitius perſpecta deprehenſus eſt *oeſophagus*, adhaerente vlceroſo pulmone, vltimis procul dubio morbi vitaeque diebus, *exeſus* et *perforatus* huc reddidiſſe ingeſtorum, maxime potionum analepticarum ſuaueolentium copiam.

Vnde patet, in variis medii ventris vulneribus non modo reſpiciendum eſſe ad variam liquidi extrauaſati conditionem, ſed ad fontes quoque diuerſos, vnde haec emanauerit, ipſumque adeo ſectorem requiri exercitatum in ductus thoracici, aliorumque artificioſa inueſtigatione, quam quidem encheireſin hic potius ſupponere, quam tradere oportet, ne videar extra aleas nimium vagari.

Vltra iam progreſſuro in viſcerum partiumque pectoris exploratione *pericardium* cum ſuo ſe offert incluſo corde. Illius in ſaniſſimis occurrens lympha, *aqua pericardii* dicta, ignaros nonnullos in admirationem rapit intempeſtiuam. Niſi ergo vel quantitate, vel qualitate notabiliter peccet inter phaenomena p. n. minime referri meretur. Supereſt *Cor*, iuxta prius allegatas regulas examinandum et recta ſectione a ſuo apice verſus baſin vtrinque in ſuis ventriculis

lis ita aperiendum, vt ne valuulae, quae eiusdem quatuor maioribus vaſis antiſtant, diſcindantur. Perſpectis hiſce cauis digitoque per valuulas in auriculas et vaſa illa maiora immiſſo, vel de libertate naturali horum commeatuum, vel de obſtructione grumoſa, polypoſa, aut variis aliis, quae occurrere ſolent, impedimentis deciditur.

Ampliſſima hic foret occaſio, in doctrinam de polypis excurrendi, ſed ſubſiſtam in ſolo hoc monito, vt nec turpiter haec phaenomena in ſectione praeteruideat medicus, nec citra rationem et neceſſitatem nimis exaggeret et eiusmodi *cordis polypum* maiorem pro cauſa mortis primaria in vulneratis atque violenta morte peremptis facile venditet, caeterum vero in deſcriptione eiusdem meminerit, cuiusnam ſubſtantiae, dimenſionis, coloris et adhaeſionis fuerit.

Diaphragma, tanquam pars maximi momenti, ab vtraque ſuperficie, in peripheria centroque ſuo tendineo-vaſculoſo probe luſtrandum eſt: nec omittenda *pleurae*, adeo ſenſilis et vaſculoſae, *oeſophagi*, atque *thymi* denique, inquiſitio, quos quidem pariter ac pancreas in abdomine, ſicco plerumque pede ſolent praeterire.

Ad ſupremum ventrem, *Caput* iam adſcendentem in omni anatomia verſatiſſimum ſuppono ſectorem, qui varias laeſiones eius intricatas et profundas ſcite rimari et aptis deſcribere terminis nouerit. *Cutis capillatae* inciſionem non

G profunde

profunde nimis in frontem extendat citra neceſſitatem, ne poſtea hominum conſpectui, quod ſolet, expoſita cadaueris facies defoedata neceſſariorum indignationem atque nauſeam commoveat. In *cranii* circulari ſectione et detractione ſibi caueat, quantum fieri poteſt, a meningum ipſiusque cerebri laceratione, nec inter phaenomena p. n. referat, quod ſaepe factum noui, tenacem vndique durae matris adhaeſionem ad internam cranii ſuperficiem. Ad laeſiones *oſſium cranii varias* probe attendat, inprimis capillaceas alterutrius, vel vtriusque tabulae fiſſuras, depreſſiones, feſtucas etc. quasnam illae membranas, vaſa, partes cerebri ac cerebelli, quosue neruos praeciſe affecerint. An nulla liquidi extrauaſati, abſceſſus, vomicae veſtigia? *Sinus* durae matris, *longitudinalis* potiſſimum binique *laterales* inquirantur, an polypoſis aut grumoſis referti ſint concrementis; reliquae *venae*, an turgidae, vacuae? *Carotidum* atque *Vertebralium* arteriarum trunci pariter ſunt inſpiciendi ſeparatim et incidendi. Caeterum quomodo cerebri ac cerebelli ſectionem adornare deceat, ad Williſium, Vieuſſenium, Winslouiumque prouoco et aliqua ſaltem momenta, renunciationem medicam ſpectantia, ſuperaddo.

In *ventriculis cerebri*, eisque anterioribus potiſſimum, nec non ad medullam oblongatam obuium ſubinde liquidum, ratione quantitatis et qualitatis recte examinandum eſt et deſcribendum;

dum; *glandulae* vero *pinealis*, quam animae cogitantis metropolin fecit Carteſius ſatis inepte, occurrentia vitia, et vel ipſam indurationem calculoſam, quemadmodum et *plexuum choroideorum* per hydatides conformationem laeſam, tanquam cardinale phaenomenon, quod percuſſo necem vel attulerit, l. feſtinauerit, minime eſt extollendum, cum per anatomen practicam conſtet, eiusmodi morbos ſine vitae periculo diu et conſtanter latitaſſe.

Cranii vero ſubſtantia et fornix, quoad craſſitiem ſolicite debent conſiderari, num in loco laeſionis extraordinariam exhibeant et quaſi foliaceam tenuitatem, quae leui etiam percuſſioni tanto maiorem conciliauerit energiam, non vi externae, ſed extraordinariae oſſis debilitati tribuendam. Obueniunt paſſim crania, quae in frontali, occipitali atque parietalibus oſſibus, licet regulariter valde craſſis, hic ibi tamen quaſi papyraceam habent tenuitatem, quam vel acu paulo validiore liceat perfodere. De *fontanella* infantum ſupra iam memorata, ſpecialius et attentiſſime examinanda, ceu loco, quo membranaceum hoc cranii interſtitium leui acicula in cerebrum vsque pertundere poſſint ſoleantque maleficae mulieres, paucis hiſce memoriam refricare neceſſe duxi.

Si *partes* *ενκεφαλου* laeſionem, ſ. extuſillatam, ſ. ab interna cauſa conceptam prae ſe ferunt, oportet illam ipſam, atque partes cohaerentes, in *ſitu ſuo naturali* relictas, primum per-

luſtrare et poſtea demum, ſi maior ſectionis commoditas vel ἀκρίβεια id exigant, exemptas vlteriori ſubiicere ſcrutinio, quod de cunctis etiam reliquis partibus ac viſceribus corporis eſt tenendum.

Quamuis autem vna et ſimplex occurrat ſaltem occiſi laeſio in vna alteraue corporis parte, *tres* tamen hoſce *ventres incidere* et percurrere, ſi non de abſoluta ſemper eſt neceſſitate, tutius tamen et conſcientioſo ac diligenti medico conuenientius iudico, quum reuera multae in corpore graues delitеſcere poſſint mortis cauſae, quae data per externam cauſam occaſione demum euigilent et in actum deducantur. Summi Viri, Tulpii c) aureum de legali inſpectione monitum huc mutuari licebit: ſcil. abditorum morborum cauſa, inquit Ille, haud ſatis fuerit inquiſiuiſſe in naturam vulneris, niſi ſimul perſcruteris corpus vniuerſum, ne inconſiderate adſeueres quenquam ſubiiſſe ſpeciem eius vt occiſi, quem ſors ſua peremit.

Rariores enim ſunt illi caſus, vbi vel iuxta I. I. Waldſchmidii aſſertum d) absque inſpectione, ex ſolis circumſtantiis, lethalitas vulneris pronunciari poſſit, vt hoc iudicio medico ſtare teneatur Iuris Conſultus, in caſu ſc. notorio et vbi

c) Tulp. Obs, med. L. 4. C. 7.
d) Waldſchmid in Coroll. I. diſp. chirurg. Cartes: oppos. P. 2. p. 21.

vbi nulla morbi alius ſigna apparuerunt. Neque ſimpliciter puto adſtipulandum Zittmanno [e]) qui praetendit, in capitis laeſione inſpectionem nihilominus eſſe legalem, vtut medius et infimus venter non aperiantur.

Quam itaque hactenus in trium ventrium examen ſolicite collocaui, nec penitus exhauſiſſe tamen praeſumo, operam, ad reliquas etiam corporis laeſi partes, *collum* atque *artus* iam oportet extendere. Paucis vero res huc redit: vt accurate pariter et diſtincte pars laeſa diſſecetur et ſuo quaeque nomine denotetur, grauiores *muſculorum*, *membranarum* laeſiones, vulnera, contuſiones, inflammationes, gangraena, ſphacelus, tumores, vlcera deſignentur: *neruorum tendinumque* puncturae, diſſectiones omnimodae, l. dimidiae, aliquae corruptiones, nec non *vaſorum* vulnera clare definiantur, an trunci aut his vicini maiores rami in totum, l. in tantum diſciſſi fuerint. In *laeſionibus articulorum* ſtatus ligamentorum, tendinum, cartilaginum, glandularum mucilaginoſarum Haueri, ſynouiae, vaſorum, oſſiumque eſt percontandus. *Oſſium* de reliquo fiſſurae, fracturae, depreſſiones etc. indigitandae.

Hoc omni, tanquam primario, defunctus officio medicus iam porro inter obſeruanda, et partim renunciationi ſuae inſerenda refert *occiſi*

 ſexum,

e) Zittmann, med. forens. C. 4. obs. 38. p. 919.

ſexum, *aetatem*, *temperamentum*, *vitae genus*, *idioſyncraſiam*, *valetudinem*, it. *an ieiunus*, aut bene *paſtus* et fortaſſis *obrutus vino*, vel graui percitus *ira* fuerit, an praeceptis medicorum durante cura *morem geſſerit*, quaenam ſtatim ab accepta iniuria externa et per decurſum morbi expertus ſit *notabiliora ſymptomata?* In quo *ſitu* et *actione* corporis, ſub ipſa laeſione accepta, fuerit conſtitutus? an dehinc *conciderit* et graui *lapſu* ſe ipſum offenderit? Quis *modus* quaeque *vis* fuerit *percutientis?* *Ictu*, *iactu*, *caeſim*, *punctim*, *ſclopeto*, *contuſione*. Vnde comparatione et impetus et inſtrumenti et vulneris inuicem facta, de magnitudine, profunditate ac grauitate laeſionis tanto facilius iudicatur.

Denique ipſam medico-chirurgicam talem occiſi, ſi quae praeceſſit, tractationem ſubinde debet excutere, et bene geſtam confirmare, male et negligenter vero adminiſtratam libere et absque omni partium ſtudio indicare ac refellere. Commendari meretur omnibus medicis atque chirurgis pro obſeruationis et tractationis aegrorum atque vulneratorum regula, inſtar omnium, Pechlini Ephemeris vulneris thoracici et celeberr. Boerhauii deſcriptio noui morbi. Imo exoptandum eſſet, vt nonnulli medici atque chirurgi, qui ſibi ſolis ſapere videntur, tempeſtiue plures alios expertos atque doctos adſciſcerent collegas, vti quidem per leges patrias id chirurgis ſerio iniungitur. Plus enim vident oculi, quam oculus.

Super-

Supereſſent pro colophone iam quoque *laeſiones* mortiferae ab acceptis hauſtiſue medicamentis *draſticis*, *philtris*, *venenis*, *cauſis magicis*, *ictu fulminis* etc. quorum effectus in viuo mortuoque ſubiecto curioſe colligendi et e principiis non ſaltem anatomicis atque medicis, ſed etiam chymicis ſunt metiendi. Verum enim vero arduum atque prolixum hocce thema inpraeſentiarum ſepono, ac Dno. Praeſidi alia forſan occaſione abſoluendum relinquo.

Id tamen et ingenue fateor, et pro iuſta medicorum excuſatione, modo non abutantur illa, praetendo, tum in his ipſis modo allegatis mortis cauſis, tum et e cenſu reliquarum externarum, magno conatu, pertinaci ſtudio et indefeſſa diligentia Medicum nihilominus *euidentem certamque mortis cauſam* inſpectione ac ſectione *non ſemper eruere* poſſe; cuius quidem difficultatis, aut impoſſibilitatis cum plures eſſe poſſint cauſae, ſpecificam allegare et rationibus ſtabilire tenetur f). Si forte laeſionum diuerſarum neutra pro mortalitate inferenda ſufficiat, num earum binae vel trinae, collectiue ſumptae idem praeſtent, diſpice iubet modo laudatus Bohnius g).

Agmen claudit ipſum iudicium medico-chirurgicum ſ. renunciatio, per quam Iudici clare

 et

f) Confer. Bohn. de renunc. vuln. p. 175.
g) - - - - de offic. med. P. 2. C. 4. p. 589.

et certo conſtet de medici ſententia, de laeſionis vi, vel abſolute-vel-per ſe-vel per accidens lethali, appoſita pro more clauſula ſalutari: Salvo rectius ſentientium iudicio.

Neque tamen hic ſufficit illud αυτοσ εφα. Non aeque attenditur authoritatis ratio, ac rationum pondus. Ideo, ſi grauis ſit caſus, ſi iudicium demorſos vngues ſapere debeat, inſpectoribus poſtquam opera inſpectionis et ſectionis defuncti ſunt, et per Actuarium omnia phaenomena conſignari curauerunt, non eſt denegandа temporis otiique venia, vt cuncta phaenomena domi trutinare, optimos quosque autores euoluere ac conſulere atque ſic maturum magiſtratui demum tradere iudicium valeant, ſubſcriptionibus medici, chirurgorum, actuarii atque teſtium munitum.

Quibusnam vero fundamentis ſuperexſtruere debeant ſuam de lethalitate ſententiam, breui hoc ſpecimine academico nec tradendum nec cramben a dignioribus coctam hic recoquendam exiſtimo. Quare iam ad ipſum *caſum ſpecialem*, cuius in praefatione facta eſt mentio progredior, illumque prout per inſpectionem et ſectionem legalem repertus, deſcriptus atque iudicatus eſt, tanquam ſpecimen actuale eorum, quae hactenus theoretice tranſegi ipſius etiam formulae renunciationis, propono, additis vltra nonnullis ſcholiis:

Cum nobis infra ſubſcriptis abs T. Iudice commiſſa ſit ſparta, demortui heri circa ſeptimam

mam veſpertinam iuuenis Chriſtophori Matthiae inſpectionem et ſectionem ſuſcipiendi atque earundem non modo plenam adornandi pro conſcientia hiſtoriam, ſed et noſtrum de ratione vulneris occiſi, mediante cultro d. 29. modo elapſi menſis Februarii, inflicti iudicium fideliter exhibendi; Itaque hora pomeridiana prima hodie nos contulimus in defuncti hypocauſtum, atque ſequentia obſeruauimus:

1) Defuncti corpus exanime in ſuo lecto et ab obitu immotum ac intactum, hinc demum in proximum quoddam ſtratum, ſectioni commode inſeruiens transferri curatum.

2) Eiusdem abdomen valde turgidum tenſumque.

3) Detractis induſio, faſciis, quae rite applicitae erant, atque epithematibus, vino aromatico imbutis,

4) Totum non modo dorſum et vtrumque femur, ſugillatione notabili, liueſcentia, ſed etiam

5) In ſiniſtra regione hypochondriaca impoſitum emplaſtrum, cui, dum remouebatur, adhaerebat

6) Turunda, e lineo carpto, dimidii fere pollicis longitudine, efficta, ſero potius cruento: quam ipſo vel ſanguine, vel pure impraegnata.

7) Dehinc vulnus in hypochondrio ſiniſtro, ſpithamae longitudine ab axilla, et quinque pollicum ſupra marginem oſſis ilii obuium.

8) Idem hic vulnus nec tumidum, nec emphyſematicum,

9) Nec p. n. rubens, vel inflammatum, multo minus inſtar dorſi, (n. 4.) liuidum; aliqualis tamen liueſcentiae veſtigia verſus anteriora et inferiora ſesquipollicem a labiis vulneris diſtabant.

10) Sub attactu et exploratione externa neque pus, neque ſanguis vel aliud quidpiam exſtillauit:

11) Longitudine ad $\frac{2}{3}$ pollicis accedens exacte reſpondit ferali cultro illi, qui tamen omnium cum admiratione nullum fere apicis atque aciei exhibuit acumen.

12) Cutis externa vulneris hians aliquantiſper, et oualis figurae, ſic tamen vt reſpectu extremorum et anguli anterioris paulo acutius eſſet, atque ſubinnuere ſic videretur, cultri dorſum in vulneratione directum fuiſſe verſus vulnerati dorſum, aciem vero in anteriora impulſam.

13) Vulnus penetrauit inter tertiam et quartam coſtam ſuperiam, propius tamen ad marginem ſuperiorem quartae, quam ad inferiorem tertiae, non ſtatim recta in cauum abdominis, ſed nonnihil oblique ſub muſculis, obliquo nimir. externo abdominis et intercoſtali-

ſtalibus, verſus dorſum progrediens in cauum abdominis demum hiauit, directione tamen et via cum coſtis parallela, non transuerſa.

14) Arteria atque vena intercoſtalis vna cum neruo ſub margine coſtae ſuperiacentis tertiae emergentes, deprehendebantur, exquiſita ſectione ac exploratione, immediate ſupra vulnus illaeſae.

15) Per accuratum hoc vulneris examen, et ſolicite factam muſculoſae carnis, ibidem obuiae, ſeparationem clare patuit, quod ſupra (n. 9.) memorata liueſcentia ſit profecta a ſuperficiali ſugillatione muſculi abdominis obliqui externi; inſimul vero

16) Molecula quaedam pinguedinis, nuclei auellanae minoris dimenſione, nec inflammata, nec alias corrupta e vulnere proſpiciat.

17) Aperto abdomine emanauit vndique, notabili quantitate, ſanguis, ſatis fluxilis, ſed ad atrum potius colorem vergens, quam pulchre rubellus floridusue?

18) Inteſtina omnia atque ſingula cum ventriculo flatibus admodum diſtenta ac turgida.

19) Vtrumque inteſtinorum tenuium latus, quo ſe mutuo exceperunt contactu, ſtria conſpiciebatur oblonga, rubra, inflammatoria notatum.

20) In ileo autem, atque praecipue colo, vbi in latere ſiniſtro connectitur cum peritonaeo,

proxi-

proximeque ſub vulnere, occurrebat grauis inflammatio, quae duas palmas ſuper inteſtini ambitum ſe diffuderat.

21) Sub hoc inteſtinorum, plane non collapſorum, et cultri ictu nullibi laeſorum, examine et varia vltro citroque facta conuerſione, ac coli in latere ſiniſtro ſeparatione

22) Porro deteximus vlteriorem extrauaſatum ſanguinem, partim fluidum, partim vero fuſcum, feculentum, vti et in regione peluis atque lumborum.

Facto ita ſucceſſiue ſpatio circa vulneris interiora noſtro ſe conſpectui obiecit clarius.

23) Illa (n. 16. indigitata) portiuncula pinguedinis, tanquam extremitas folliculi adipoſi ſingularis a vicino rene adſcendentis et cum peritonaeo vndique connexi (quales renibus frequenter, ſubinde etiam ſatis copioſe circumfunduntur) quae tamen nullam a cultro ſubiit laeſionem.

24) Lien e contrario apparuit non modo iuſto minor et contractior, pallidior et rugoſus, ſed etiam

25) Vulneratus atque ſic perfoſſus in latere ſiniſtro, vt, pollicis latitudine, ſupra marginem eius infimum funeſtus ille culter totam traiecerit ſubſtantiam, ac vniuscuiusque digito facile permiſiſſet tranſitum.

26) Vul-

26) Vulnus hoc lienis quaſi collapſum et conniuens fuit in parte illius gibba, patens vero atque hians in ſuperficie auerſa, ſ. ſima

27) Illud ipſum tamen vulnus nulla praebuit ſigna nec inflammationis, nec intumeſcentiae, nec ſuppurationis, nec alieni a reliquo liene coloris

28) Sub ipſa lienis facta poſt exſectione et varia de manu in manum commotione ne guttula quidem ſanguinis ſeriue exſtillauit, imo, qui per illud immiſſus fuerat digitus, poſt extractionem vix tantillum rubore tinctus comparuit.

29) Ille ſolum margo ſ. limbus inferior lienis, n. 25. allegatus, ab infarctu quodam ſanguineo duriuſculus turgebat, totum vero de reliquo parenchyma molle flacceſcebat.

30) Quemadmodum vero ex magnitudine et profunditate huius vulneris facilis erat coniectura progreſſae ſine dubio vltra puncturae, ſic facta quoque ulteriore, digitorum adhuc ope, absque cultro, diductione ac ſeparatione, emicuit inſuper ſub plurimo ſanguine grumoſo circumfuſo

31) Renis ſiniſtri vulnus, qui ergo a vicinis partibus ſuaque tunica adipoſa, quae, maiore ſanguinis ſuffuſi quam pinguedinis quantitate circumdata, primum renalis vulneris impetum excepit, ſeparatus, nec non adhaerente anterius copioſa ſanguinis purpura vndiquaque

que liberatus, oſtendit cultri per medium renem in anteriore huius parte ingreſſum atque verſus dorſum defuncti et muſculum pſoam egreſſum vix latum vnguem a vaſis ſanguineis maioribus, ad limen concauae renis ſuperficiei poſitis.

32) Quo ipſo vel tandem loco vti finis laeſionis et terminus ad quem extitit, ita neque ſubſtrata hic tunica adipoſa perfoſſa, ſed integra et illaeſa fuit reperta, iam ante ſeparationem renis; Hinc quoque ſpecillum, per anterius vulneris orificium immiſſum, in inferioribus ſubſtitit: et dicta illa tunica adipoſa obtectum manifeſte ſe praebuit tangendum, vltima etiam huius vulnuſculi minima fuit dimenſio, et apice cultri conformis.

33) Quamuis autem hoc renale vulnus oblique deorſum totam renis ſubſtantiam tranſuerſim proxime ad peluis fornicem traiecerit, ipſam tamen peluim nec attigit, nec penetrauit; vnde ne guttulam quidem cruoris haec ipſa continuit.

34) Neque hoc vulnus renis, aeque ac lienare illud vel minimum tumoris, aut inflammationis, aut gangraenae praebuit indicium.

Quae porro phaenomena exhibuit abdomen, paucis huc redeunt.

35) Ventriculus atque hepar a ſtatu naturali nihil quicquam recedebant, niſi quod ille, ſicut n. 28. iam monitum eſt, flatibus eſſet diſtentus.

36. Ve-

36) Vena caua ſanguine, et veſica vrinaria ſuo latice penitus erant inanes. Exigua pinguedinis copia tam omento, quam reni dextro adhaeſit.

37) Pancreatis dimidia ſuperficies ſiniſtra et ſuperior magna obſidebatur inflammatione, qualem n. 26. de colo atque ileo retulimus.

Ad *thoracis* iam inquiſitionem accinctis, ſternumque ideo in cartilagineo ſuo coſtarum interſtitio ſeparantibus

38) Oculis ſe noſtris mox obiecit in ſiniſtro thoracis cauo contentus, dimidiae librae copia, ſanguis fluidus, diaphragmate interim intacto penitus ac illibato relicto.

39) Vnde adhibita ſeria inquiſitione, et alterna immiſſione accenſi cerei in cauum pectoris atque abdominis, tandem deprehenſum eſt foraminulum rotundum, piſum vix admittens, quod ſupra dicto ſanguini aditum in pectoris cauitatem aeque conceſſit, ac ſpecillo immiſſo commeatum liberum a pectore in abdomen.

40) Ceterum extra ordinem parum exhibuit thorax. Pulmonum lobi erant ſani, niſi quod in dextro latere ſanguine ſpumoſo infarcti eſſent; cor autem, latice vitali tanto magis orbum, concretionem potius in vtroque ventriculo aleret polypoſam veram.

41) Poſt

41) Poſt cranii reſerationem nihil quicquam p. n. le ſed cerebrum omnibus partibus abſolutum eſt repertum.

Quemadmodum ergo e deſcripta hucusque ſpecifica veriſſimaque vulneris conditione nos Inſpectores illud pro abſolute lethali declarare ac renunciare tanto minus dubitauimus, quo magis omnia hactenus enarrata ex ordine phaenomena et omnium atque ſingulorum medicinae forenſis auctorum claſſicorum teſtimonia pro noſtra militant ſententia, imo quo euidentiora fuerunt vbique indicia, quod vulneris conſolidationem ne quidem inceperit vel meditata ſit natura, ſed, quaſi omnem eius ſpem abiiciens, ſuamque ſtationem derelinquens, triſti ſe fato ſubmiſerit:

Ita non ſaltem nos Inſpectores atque Sectores viſo huic reperto, qua potuimus euidentia et claritate exhibito, cum annexo iudicio Medico-Chirurgico; ſed nos reliqui etiam abs Tit. Iudice ad hunc actum legalem deputati Teſtes allegatorum phaenomenorum, ex ipſa attentiore autopſia pleniſſimam adſtruimus fidem: Egoque etiam Actuarius omnia ſtatim in ipſo ſectionis et inſpectionis actu fideliter calamo excepta, pro graui officiorum et conſcientiae obligatione noſtris ſubſcriptionibus atque ſigillis impoſitis aſſerimus atque confirmamus Tubingae d. 4. Mart. 1736.

(L. S.)	Inſpectores.	(L. S.)	Deputati Teſtes bini.
- -	Medicus.		
- -	Chirurgi bini.	- -	Actuarius.

Spe-

Speciminis loco hunc caſum nonnullis illuſtraturo annotationibus praemittenda videtur ſuccincta *ſymptomatum* potiorum hiſtoria: quibus laborauit vulneratus, nec non *curae Medico-Chirurgicae hiſtoria*, prout illam ipſi mihi obſeruare partim, partim vero ex authentica haurire licuit relatione.

Statim ab inflicto vulnere, quod ſtans et immotus acceperat, per plura craſſaque veſtimenta penetrans, abs ſodali, grauiſſima percito ira, *largiſſima* ſucceſſit e vulnere *haemorrhagia*, ſubſequentibus *lipothymia* et *ſumma virium* per aliquod tempus *exhauſtione* ac *vomitibus* aliquot ingeſtorum, non ſanguineis.

Feces alvinae, nec *vrina*, cruore fuerunt tinctae, illae tamen ſegnius ſuccedentes clysmate carminatiuo-emolliente feliciter ſunt promotae, et vrina, quae primo die pallidior, ſecundo autem turbida ſimul et cum ſedimento limoſo conſpiciebatur, tertio demum die, quo mortuus eſt aeger, rubello magis et ſanguineo colore, absque ſedimento coepit imbui, neque tamen ſincero ſanguine ipſo miſceri. *Vrinae* etiam *excretio* fuit libera, et aſſumptis et ſudori, quo iugiter madebat aegrotus, proportionata.

Calor atque *ſitis* ad extremum vsque, et circa veſperam maxime, vrgebant moleſtiſſime. *Dolor* in et a vulnere quaſi *nullus*, niſi a contactu duriore, l. decubitu in latus affectum. *Vi-*

res reſtauratae nonnihil, *vomitus* ceſſantes, niſi medicamentis, quae ſumme nauſeabat aeger, prouocati, tanto autem moleſtiores *ſingultioſi ructus*, toto triduano morbi decurſu crebro recurrentes, ad ingeſta maxime ſ. alimentoſa, ſ. medicamentoſa: *Pulſus* a potiori magnus atque celer, *reſpiratio* primo die ſatis libera, altero magis ſubinde anheloſa.

Abdomen ab initio non tumidum, ſecundo autem die nonnihil inflatum et in hypogaſtrio tenſum; *Vulnus* poſt detractam primam deligationem vix ſanguinis ℥ß exſtillauit et in ſubſequis plane nullum amplius reddidit, nec inflammationis, nec alia mala praebuit indicia, quin potius in ſecunda et tertia deligatione iamiam incipientis bonae ſuppurationis veſtigia commonſtrauit.

Somnus binis a vulnere noctibus paucus et interruptus, absque tendinum ſubſultibus, ſed cum perpetua corporis iactatione, quae tamen vltima ſ. tertia nocte fuit pacatior. Toto hoc triduo non *delirauit* niſi ſecunda nocte per interualla. Circa veſperam tertii diei *pulſus in celerem* et *tremulum* conuerti, *motus conuulſiui* ſuperuenire, et, poſt breues harum inducias, ſana compoſitaque mente *diem obire* ſuum aeger.

Therapiae haec fuit ſumma: Temperantia antispasmodica, cordialia, traumatica, diaeta, tenuis,

tenuis, abſtemia, regimen exquiſitum ſerio, praeſertim inculcatum externi caloris moderamen: Acidularum et cereuiſiae potum, quem ſummis precibus iugiter efflagitauit vulneratus, non admiſere medici. Vulneri primum moderata iſchaema, dehinc balſamica, digeſtiua applicita, iniectio vulneraria e blandis traumaticis, ſed e vulnere vt plurimum tota regurgitans, turunda mollis, ſemel per nycthemeron caua, immiſſa: Epithemata e ſacculis in vino decoctis ſpecierum reſoluentium et inflammationi reſiſtentium vulnus ampliſſime contexerunt calida. Abdomini tenſo vnguentum emolliens carminatiuum et largiter camphoratum: epigaſtrio litus ſtomachici deſtinati. Decubitum in latus affectum, quem pro facilitando ſanguinis extrauaſati effluxu ſuaſerant, ferre non potuit aeger. Clysma carminatiuo-emolliens ſemel iniectum.

Iam ergo ad ipſa *ſcholia*, numeris ſuis reſpondentia inſpectionis articulis, ſupra recenſitis. Ad

1) Haec obſeruatio non eſt ſuperflua, ſicuti inter praecepta inſpectionis ſupra iam indicavi, imo, quae hoc in caſu inſuper adhibita eſt cautio, vt ſcil. ſtatim ab obitu corpus exanime certis cuſtodibus fideliter et perpetuo vsque ad ſectionis legalis tempus fuerit ſtipatum, frequenter imitanda foret. Quid enim maleferiato percuſſoris hoſti facilius eſt, quam gladium, cultrum aliudue inſtrumentum, quo

partes internas grauius laedere poſſet, denuo in vulnus defuncti clam inſinuare, ac doloſe? quemadmodum et ex imprudentia facile peccant ſubinde chirurgi aliique, qui vulnera in cadaueribus inſtrumentis digitisue intempeſtive et inepte geſtiunt explorare.

2) Turgida abdominis tenſio in qualicunque abdominis vulnere non eſt neglectim habenda. Quamuis enim a flatibus et fecibus accumulatis, aliisue non magni momenti cauſis oriri queat, metum tamen incutit non vanum imminentis inflammationis et gangraenae inteſtinorum, praeſertim ſi febris iuncta ſit vulneraria inflammatoria.

3) Examinari debet non modo, quae medicamenta, quisque apparatus chirurgicus incumbant vulneri, ſed et ex ordine et diſtincte debent a vulnere detrahi. Peccant hic quamplurimi tumultuaria praecipitantia et peruerſione in vulnerum deligationibus.

4) Vulgi iudicio eiusmodi ſubiecta vel ſuffocationis, vel apoplexiae, vel conuulſionum morbo periiſſe ſtatim ex hac liueſcentia arguuntur. Vera cauſa eſt ſanguis ſtagnans, fermentans, in putrefactionem ruens. Vnde livor in horas augetur, quo diutius aſſeruatur cadauer, per ſectionem vero et exenterationem magis l. praeuenitur, l. ſiſtitur.

5) Quam

5) Quam vana eheu ſpes emplaſtrorum, in quibus tamen noſtri chirurgi ſacram ponunt anchoram, in vulneribus profundis! Sunt verius in tali caſu opercula, et ſimpliciter continendis turundis, plumaceolis, applicitisque medicamentis inſeruiunt. Riſui ſane merito exponuntur, qui luxata fractaue oſſa ſimilibus quoque emplaſtrorum repagulis continere ſatagunt.

6) Turundarum inepto vſui grauiter ſe oppoſuere varii ſapientiores chirurgi praeſertim Belloſte; Ab antiquo tamen praeiudicio nondum ad ſe redierunt quamplurimi ex hodiernis. Stolidiſſimus aeque ac pernicioſiſſimus eſt ille vulnerum infarctus per lintea carpta et turundas. Sic enim conſolidatio impeditur protrahiturque, dolores vel excitantur, vel augentur et febris accenditur vulneraria etc. Neque his incommodis ex aſſe ſatisfaciunt turundarum excauationes, quae puri, ſanguini, ſero, e vulnere effluxuris viam debite pandant. Sed haec de abuſu valent. In hoc vulnere turunda et mollis et curta et caua fuit recte adhibita, poſt mortem vulnerati non amplius laudabili pure imbuta deprehenſa, cum tamen altero decubitus die incipientis iamiam ſuppurationis adparuerint veſtigia. Ratio eſt in promptu: Febre acuta, calore creſcente, ſpasmis atque conuulſionibus imminentibus canaliculi lympham ſuppurabilem plorantes

ſtringuntur, ſpecifica fermentatio ſuppuratoria ſupprimitur et appulſus humorum ad vulnus arcetur, vt etiam hoc caſu nonniſi tenuis ichor peruaſiſſe ſit obſeruatus. Sanguis vero e lienari atque renali vulnere potius et facilius in cauum abdominis exundauit, quam per vulnus abdominis, naturali ex lege grauium, quae non aſcendunt.

7) Regio vulneris in abdomine facile prodebat, quae partes ſubtus laedi potuerint. Cum tamen nec directio ſ. via infixi cultri, nec profunditas penetrationis ſemper innoteſcant, iudicium ſuſpendere praeſtat, et autopſia in interioribus reſeruare.

8) Ad emphyſema reſpiciendum hic erat ideo, quod e vulneris externi conditione ſuſpicio poterat ſubnaſci, ipſius caui pectoris vulnere reſerati: In tali enim non infrequens eſſe ſolet.

9) Status hic vulneris album adiicit calculum curae medico-chirurgicae. Obuia vero aliqualis liueſcentia in vulneris peripheria putredinoſae fermentationi ſanguinis poſt mortem magis magisque inualeſcenti debetur.

10) Quod omne, quicquid extrauaſatum erat, in cauum abdominis facilius deplueret.

11) Vulnus abdominis cum latitudine cultri commenſuratum innuere videbatur, in viuo maxime adhuc ſubiecto, cultrum non latiſſima mediaque ſui parte, adeoque non adeo profun-

profunde penetraſſe. Symptomata vero et ſectio aliud docuere. Stringunt ſe ante ſuppurationem vulnera cutanea, atque ſic minorem mentiuntur extenſionem primitiuam.

12) Coniecturale in medico requiri ingenium demonſtrat, clauem abſtruſarum morbi mortisque cauſarum.

13) Ad deſcriptionem marginum coſtarum attendenti patebit, numerum coſtarum quinque ſpuriarum iniri a ſterno ad inferiora. Sed et haec exactitudo in reſpectu propinquitatis vulneris ad margines coſtarum non eſt de lana caprina, nam

14) In vulneribus, quae coſtarum ſ. verarum, ſ. ſpuriarum interſtitia peruadunt, imo et in paracenteſi pectoris, attendi meretur inceſſus primo venae intercoſtalis immediate in ipſo ſulco, qui margini, ſ. labro inferiori coſtarum, exceptis prima vera et duabus ordinario vltimis ſpuriis, inſculptus eſt, dehinc adiacentis arteriae et ad extremum nerui, quae vero quo magis ad extremitates coſtarum anteriores accedunt, eo magis ab ipſa coſta recedunt, et in interſtitiis vltimarum ſpuriarum verſus mediam eius partem magis diriguntur. Horum vaſorum vulnera et puncturae turbas ſubinde ſatis moleſtas dare ſolent.

15) Refero ad ea, quae paulo ſupra commentatus ſum in n. 9.

16) Portiunculam hanc pinguedinis, omento ſolidiorem, huic non deberi facile concludebatur; aſt ex appendiculis coli adipoſis eſſe, probabilius videbatur. Vulnus enim ipſum quoque renem perfodiſſe nondum conſtabat, ipſaque vrina, vere nunquam cruenta toto decubitus triduo, contrarium perſuadere poterat.

17) Itaque nec arterioſus nec mere venoſus, ſed ſtatim parenchymaticus declaratus adhuc ante conſpectum vel lienis vel renis vulnus.

18) Phaenomenon ſub ſtrictiore diaeta et inflammatione inteſtinorum valde ordinarium etiam in vulneribus abdominis. Affectat aer internus, in cauo inteſtinorum calore inflammatorio et fermentatione putredinoſa rarefactus, ſpatium magis magisque amplius, atque ſic inteſtina valide diſtendit.

19) et 20) Inteſtina omnium viſcerum partiumque internarum citiſſime ac facillime incurrunt inflammationem. Cur? Veroſimiliter ob vaſorum ſanguineorum, copiam, ſubſtantiae membranaceae tenuitatem, contentorum fermenteſcentiam, quibus et aër ſuum addit ſymbolum. Sed grauis agitatur quaeſtio in anatome practica et forenſi: Num talis inflammatio ante mortem praeextiterit, an vero demum ſecuta ſit? Tempeſtas, morbus defuncti, ſectionis tempus, breui, l. diu poſt mortem ſuſceptae, lucem accendunt huic controuerſiae.

22) Ten-

22) Tantam ſanguinis quantitatem non miratur, qui lienem renemque cultro perfoſſos attendit, vtpote viſcera, ſanguine refertiſſima. Niſi ipſa tunica adipoſa, ſanguine grumoſo vndiquaque infarcta et tenſa ipſi vulneri et haemorrhagiae aliqualem poſuiſſet obicem, et maior ſine dubio ſanguinis quantitas rene effluxiſſet, et largior ſic haemorrhagia, vulnere lienari aucta, mortem attuliſſet citius.

23) Curioſa eſt eiusmodi particulae pinguedinis ſe ſponte in vulnus illiacae venae immergentis, ſicque terminum lethalitatis abſolutae breviſſimum prolongantis ad decimum vsque tertium diem, hiſtoria, quam recenſet Bohnius de Renunc. vuln. p. 43. In noſtro autem caſu miraculum hoc, vel aliud ſimile, e. g. a grumo ſanguinis obturante vulnus, tanto minus ſperare licebat, quod nec ſimplex, nec ſuperficiale, ſed profundum bini viſceris adeo vaſculoſi fuerat.

24) Quod tantum non omni ſanguine, per vulnus emanante, orbus eſſet.

26) Vnde ab initio ſuperius ſ. anticum vulnus adſpicientibus videbatur ſaltem ſuperficiale et inſtar rimae.

27) Acceſſiſſet procul dubio vel tandem inflammatio, vel gangraena in funeſto tardiori euentu, vel ſuppuratio leuis ad ſalutem et vitam aegri, niſi grauiores mortis aliae cauſae praeveniſſent.

31) Ita ſcilicet - - - lateri capulo-tenus abdidit enſem!
quis detritum per tot impedimenta, facilitate adeo perniciſſima, tam profunde adigi poſſe cultrum crediđiſſet?

32) Ita ſaepe terminum ad quem et finem vulneri facit non aheneus, qui valide reſiſtat, murus, ſed alia in anterioribus impedimenta et ipſa vis motus tandem elangueſcens. Meminit Dom. Praeſes, ſe in vulnere ſclopetario, per dorſum, hepatis gibbam partem atque diaphragma traiectum globulum, diu quaeſitum, inueniſſe tandem e tenui membrana mediaſtini pendentem.

33) Vnde non ſtatim mictus cruentus nec vrinae difficultas ſubſequebantur, illius tamen prodromi tertio demum emortuali die ſe prodiderunt in vrina prius per biduum pallida, poſt vero rubella, ſanguinea. Ipſa renis irritatio et conſtrictio ſpaſmodica tenue modo ſerum pallidamque tranſmiſerunt vrinam ab initio, his nonnihil ceſſantibus portiones ſanguinis craſſiores, purpurae globuli ſucceſſiue faciliorem quoque tranſitum inueniſſent. Ex hoc renali vulnere pependerunt plurimum quoque illi vomitus atque ructus ſingultioſi, ob communicationem nempe plexus renalis, qui intercoſtalis nerui eiusdemque ganglii ſemilunaris ſoboles eſt, cum plexu ſtomachico coronario, qui vagi paris neruorum eſt progenies; quamuis in ordine ad ſingultum ſpecialiter

liter diaphragma quoque, leui quidem perforatione ſaltem laeſum attendi mereatur.

36) Venae, maxima ſanguinis copia per haemorrhagiam depletae, veſica vrinaria lotio exonerata vel voluntarie pauco ante agonem tempore, vel ſub motibus conuulſiuis praeter voluntatem. Ren dexter incolumis ſaniſſimusque demonſtrabat, cum grano ſalis eſſe accipienda, quae Foreſtus aliique de conſenſu renis ſani cum vulnerato l. inflammato altero tradunt.

38) Hinc ſuborta mox ſuſpicio vulnerati alicubi diaphragmatis, cuius poſtea quoque vulnusculum in cauum pectoris tranſiiſſe compertum eſt.

40) Sanguis ſpumoſus talis ſub vltimis anheloſae ac per conuulſiones etiam agitatae reſpirationis reciprocationibus ortus videtur. Polypum vero non adeo notabilem pulſui nullam intuliſſe intermiſſionem, quae polyporum cordis alias habetur ſignum pathognomonicum, tanto minus miratur Dominus Praeſes, quo magis recenti tenet memoria obſeruationem, Stuttgardiae olim in viro catarrhis ſuffocatiuis diu ante manifeſtatam phthiſin, ex qua mortuus eſt, frequenter ſubiecto, factam, ſtupendi aneuryſmatis trunci aortae, in quo delituit polypus, ſubſtantiae lardeae ſolidus, latusque, pendens ℥iv. In quo tamen per plu-

res

res annos varioſque morbos nullam vnquam pulſus obſeruauit intermiſſionem.

Quod denique *rationes abſolutae lethalitatis* attinet, cardo rei vertitur in eo, quod bino e viſcere, admodum ſanguineo et vaſculoſo, copioſe ac iugiter effluens ſanguis penum vitalem nimis depauperauit, inflammationem adeo late patentem, et hic ibi profundam, produxerit et conuulſiones ab exhauſtione ſ. inanitione, vt termino vtar Hippocratico, effecerit tandemque et materialem cauſam circuli ſanguinis, et vires cordi ſubtraxerit, nulla inter haec apparente, nec poſſibili, tantorum malorum medela.

III.

PHILIPP. CONRADI FABRICII

Diſſertatio

exhibens praecipuas cautiones in ſectionibus et perquiſitionibus cadauerum humanorum pro vſu fori obſeruandas.

Helmſtadii 1750.

Reſpond.

VRBAN. FRID. BENED. BRVCKMANN.

PRAEFATIO.

Habitum vulnera corporis humani pro vſu fori rite inueſtigandi, et lethalitatem eorum ſolide diiudicandi, vnam ex praecipuis illarum virtutum eſſe, quibus Medicus in quocunque dignitatis gradu conſtitutus abſolute carere nequit, ſi laude viri, ſalutis rei publicae in ſuo ſtudiorum genere promouendae idonei, ex merito ornari cupiat, apud omnes hodie in confeſſo eſt. Eundem vero etiam noſtro adhuc aeuo in tanta rei Anatomicae et Medicae luce in permultis deſiderari, tot imperfectae de ſtatu eiusmodi laeſionum relationes Medicae Dicaſteriis ſuperioribus oblatae, propter quarum obſcuritatem et inſufficientiam tota ſaepe criminalis cauſſa,

cauſſa, de qua agitur, in ſuſpenſo relinquenda eſt, vberrimam fidem faciunt. Ad cauſſam huius mali quod attinet, illa non ſemper in defectu cognitionis principiorum Medicorum quaerenda eſt, ſed vt plurimum nimia quaedam animi feſtinatio, et curatae inueſtigationis ſingularum rerum circumſtantium neglectus, ac vt minime inficiari volumus, aliqualis interdum Anatomiae practicae imperitia, hic potiores partes occupant. Dignum itaque hoc doctrinae genus nobis viſum fuit in quo vberius explicando, et conſtantibus agendi regulis vbique confirmando, praeſenti hoc Schediaſmate occuparemur. Eum in finem poſt Theoriam vulnerum abſolute et per ſe lethalium, ad quae omnia reliqua ſe referunt; ſollicite et ſuccincte exhibitam, et tum rationibus Anatomicis indubitatis, tum reſponſis et Auctoritatibus inclytorum Ordinum Medicorum ſuperſtructam, methodum, qua eiusmodi vulnera commode indaganda ſint, et facilius diiudicari queant, plurium annorum autopſia cognitam cum ingenuis artis ſalutiferae cultoribus hic communicandam duximus. Praecipue quum ea, quae celeberrimus quondam WELSCHIVS peregregio ſuo libello, *Rationale vulnerum lethalium iudicium* inſcripto, hac de re olim inſeruit, pro hodierno Anatomiae et Medicinae forenſis ſtatu haud amplius ſufficere queant. Faxit DEVS, vt ſcopum nobis in hoc labore praefixum ex toto aſſequamur!

I. An-

I.

Antequam ad tractationem Thematis noſtri ipſam nos accingamus, conducet praecipua capita Anatomes forenſis in compendio tradere, et illas corporis humani partes cum cura recenſere, quarum laeſio mortem ineuitabili modo inferre vel crebriori experientia, vel demonſtrationibus Anatomicis et Phyſiologicis omni exceptione maioribus comperta fuit, vt exinde fundamentum axiomatum noſtrorum poſtea indicandorum eo euidentius in oculos Lectorum incurrat. Id quod nobis eo magis neceſſarium videtur, quo minus accurate haec vulnera apud pleroſque Medicinae forenſis Auctores annotata occurrunt, in grauiſſima hac doctrina mire diſſentientes, et enunciata ſua vtplurimum nimis vage et minus Anatomice proferentes, ſi BOHNIVM et paucos ei ſimiles excipiamus, poſt quorum praeſtantiſſimorum virorum tempora tamen hoc ſtudium ob artem Anatomicam et Chirurgicam magis excultam inſignia incrementa cepit.

II. Eſt ſcilicet Anatome Forenſis nihil aliud, quam ſcientia gradum lethalitatis laeſionum partes corporis humani affligentium ex earum ſitu, ſtructura, figura, connexione, functione et conditione vulneris eis inflicti ſufficienter explorata rite determinandi.

III. Quum vero omnia laeſionum genera mortem vel abſolute et ſimpliciter; vel per ſe

et

et ſibi relicta tamen; vel per accidens demum ex praeſtantiſſimorum Medicorum obſeruatione inferant, quoduis corporis humani vulnus quoque ad vnam alteramue harum trium claſſium nunquam non referendum erit, vbi itaque illis, quae ad duas priores pertinent, debite indicatis, tertiae claſſis vulnera vnicuique poſtea per ſe patebunt.

IV. Praeterea, quum ſingulae corporis humani partes ad ligamenta, cartilagines, oſſa, muſculos, vaſa, neruos, viſcera, quo et pleraeque glandulae et integumenta communia pertinent, numerandae ſint, omnes laeſiones, quae homini accidere queunt, quoque ſemper vnam alteramue vel plures ſimul harum partium attingent.

V. Quod iam ad ligamenta oſſium ſpectat, ſi omnia eorum prout ab accuratiſſimis Syndesmologiae Auctoribus WINSLOWIO [a]) et WEITBRECHTO [b]) recenſentur, et in corpore humano adſunt, conſideremus, facile cognoſcimus, quod nullum ex illorum numero quocunque modo vulneratum mortem abſolute vel per ſe vi ſtructurae aut functionis ſuae adferre queat, quia oſſibus muſculisque et aliis partibus in ſitu continen-

a) Expoſition Anatomique Tom. I. Traité des Os frais.

b) Syndesmologia ſiue Hiſtoria ligamentorum corporis humani Petropoli An. 1742. edita.

tinendis et colligandis tantummodo inſeruiunt, ad actiones vero vitales et naturales machinae humanae minime concurrunt, et ad pleraque eorum ſatis promtus medelae aditus conceditur.

VI. Interea dum ea aeque ac reliquae membranae et aponeuroſes, quibuscum ipſis ratione ſtructurae magna ſimilitudo intercedit, inſigni ſenſibilitatis gradu pollent, et compuncta vel dilacerata aut conquaſſata ſatis ominoſa ſymptomata excitant, ac nonnulla eorum vix ſine nobiliorum partium funeſta laeſione vulnerari queunt, in doctrina vulnerum abſolute lethalium interdum magni ſane momenti ſunt. Sic verbi gratia ligamenta c), quae proceſſum odontoideum epiſtrophaei ſeu ſecundae vertebrae colli atlanti ſeu primae vertebrae et occipiti adnectunt, disrupta abſolutam lethalitatem d) ex hac ratione inferunt, quia eorum laeſio absque graui principii medullae ſpinalis concuſſione, compreſſione et conquaſſatione eo minus contingere poteſt, quo

c) Scilicet occipitale et transuerſale WINSLOWIO §. 326. dicta confer. WEITBRECHT. Syndesmolog. Sect. III. p. 88. et Sect. IV. p. 92. Tab. IX Fig. 34. 35. 36. qui ea ex diuerſis portionibus compoſita demonſtrat. Conſulatur quoque ill. MAVCHART Diſp. de capitis articulatione cum prima et ſecunda vertebra.

d) tunc quoque facile oritur completa luxatio harum vertebrarum, de cuius abſoluta lethalitate in hac praecipue corporis regione inter Auctores artis chirurgicae conſtat.

quo tenerior ibi locorum huius medullae Structura exiſtit e) et quo minus huic laeſioni debita medela adhiberi poteſt, vt de ingenti vi externa ad haec fortiſſima ligamenta rumpenda neceſſaria iam nihil proferam.

VII. Cartilagines laeſae nullam quoque lethalitatem inferre ex ſua Natura valent, pleraeque ad ſolas articulationes oſſium perficiendas et muſculis nonnullis inſertionem praebendam deſtinatae ſint, vitaque humana absque plerisque ex eis continuari poſſit. Solae hic cartilagines aſperam arteriem et bronchia componentes ob ſitum et functionem reſpirationis, quam adiuuant, exceptionem patiuntur, id quod in cauſſa eſt, cur abſciſſiones aſperae arteriae propius ad thoracem, vel profundae tantum eius inciſiones intra cauitatem pectoris factae et bronchiorum vulnera penetrantia abſolute lethalia ſint f).

VIII. Idem de oſſibus ſentiendum, vtpote quorum laeſiones ex ſe nullam quoque lethalitatem adferunt, quia tantum reliquis partibus continendis et firmandis et ad motum localem perficiendum pleraque eorum deſtinantur. Dum vero ad nonnulla eorum laeſa arti Chirurgicae adi-

e) ill. HEISTER Compend. Anat. de medulla ſpinali §. 274.

f) cl. TROPPANNEGER Deciſ. Medic. Forenſ. Dec. II. Caſ. II.

aditus vix conceditur, haud pauca ex eis quoque ad actionem vitalem reſpirationis exercendam concurrunt, vel absque aliarum nobiliorum partium damno vulnerari nequeunt, rationem hoc ſuppeditat, cur fiſſurae et fracturae baſeos cranii g) cum vel absque feſtucis ſed cum extrauaſatione ſanguinis aut puris coniunctae, aut grandiores contrafiſſurae h) violentae fractionis et comminutiones ſterni i) et corporum vertebrarum praecipue ſuperiorum k) coſtarumque, cumprimis ſi plures earum ſimul deſtructae ſint, aut feſtucae ab illis ſeparatae partes molliores circumiectas grauiter pungant, nulla arte eximendae l) claſſi vulnerum abſolute lethalium ab Auctoribus Medicinae Forenſis inferantur.

IX. Ad muſculos quod refert, ſunt illi inſtrumenta motus voluntarii, qui diſſecti paralyſin partis, quam trahunt, quidem inuoluunt, et

 quorum

g) ZITTMANN Med. Forenſ. Cent. I. Caſ. XXIV. celeb. ALBERTI Iurisprud. Med. Tom. VI. Caſ. XVI. TROPPANNEGER Dec. I. Caſ. VIII

h) VALENTINI Nouell. Medic. legal. Caſ. XXXIX. et Caſ. XLII. ALBERTI Iurispr. Med. Tom. III. Caſ. XXXIV.

i) vtpote quibus motus coſtarum ei annexarum ſtatim ſufflaminatur.

k) TROPPANNEGER Cent. V. Caſ. XXX. VALENTINI Pand. Med. leg. P. II. S. II. C. XXXIX.

l) ZITTMAN Cent. IV. Caſ. XCIII.

quorum tendines compuncti, inciſi vel conquaſſati plura quidem periculoſa ſymptomata excitant, mortem vero abſolute minime adferunt, niſi plurium muſculorum totius alicuius regionis corporis grauiſſima contuſio ſimul infligatur m). Solum Diaphragma tanquam vnum ex organis reſpirationis primariis ſub claſſem vulnerum abſolute lethalium cadit, ſi vel portio eius carnea inſigniori modo, et per contuſionem praecipue n), vel neruea ſeu tendinea laedatur.

X. Secus ſe res habet cum vulneribus vaſorum ſanguiferorum, vtpote quorum plura abſolute vel per ſe lethalia nonſolum fiunt, ſed quorum laeſiones in vulneribus viſcerum quoque in lethalitate eorum determinanda ſemper potiſſimum reſpici debent, ſiue illa penitus diſſecta, ſiue, quod in arteriis ſaepe maiorem haemorrhagiam excitat, inciſa tantum ſint.

XI. Ad claſſem itaque vulnerum arteriarum et venarum quae ob enormem, et nullo modo ſanabilem haemorrhagiam, vel ſanguinis in caua, ad quae aditus manibus Chirurgi haud patet, effuſionem, ſimpliciter et abſolute mortifera ſunt, pertinent Vulnera trunci arteriae aortae per totum

m) ALBERTI Iuriſpr. Med. Tom. I. Caſ. XXVI. RICHTER Digeſt. Med. Dec. III. Caſ. V.
n) ALBERTI Tom. I. Append. Caſ. XXV. HOFFMAN Medic. Conſult. Part. I. Dec. I. Caſ. VIII.

tum illius decurſum vbicunque inflicta o) arteriarum coronariarum cordis, ſubclauiarum p) carotidum primiinarum et internarum q) mammariarum internarum r) mediaſtinarum, thymicarum et pericardinarum ceruicaliumque prope exortum reſectarum s) vertebralium t) axillarium u) bron-

o) Siquis de his dubitet, euoluat ZITTMAN Centur. III. Caſ. LXXV. Cent. IV. Caſ. VI. Cent. VI. Caſ. I. ALBERTI I. M. T. III. Caſ. XL.

p) ALBERTI I. M. T. I. Caſ. XXIX.

q) ZITTMAN. Cent. I. Caſ. XLIX. VALENTINI P. M. L. Part. II. S. VI. Caſ. II. et III.

r) TROPPANNEGER Dec. II. Caſ. II.

s) his enim propius ad arterias ſubclauias inciſis, non ſolum ligatura pro ſanguinis fluxu ſiſtendo neceſſaria eis iniici nequit, ſed etiam ob fortiſſimum aortae impulſum totidem ſucceſſu temporis ſanguinis effluit, ac ſi ipſa ſubclauia ſimili laeſione aperta fuerit. Idem de intercoſtalibus, diaphragmaticis inferioribus aliisque infra nominatis in thoracis vel abdominis cauo immediate ex aorta vel aliis arteriis principibus orientibus valet, quarum laeſiones proxime ad exortum inflictae ob adynamiam artis iure pro abſolute lethalibus habentur, praecipue, ſi omni cognita medela adhibita exitus funeſtus illud confirmet. De laeſionibus vero venarum ſociarum et eiusdem nominis, quo minus idem ſuſtineri queat, prohibent valuulae ad inſertionem earum in truncos maiores plerumque praeſentes, et motus ſanguinis in eis contrarius illi, quo ſanguis per arterias fertur. Interea ex omnibus hiſce patet, quod in lethalitate

bronchialium, intercoſtalium prope principia laeſarum, principiorum diaphragmaticarum inferiorum, coeliacae, coronariae ſtomachicae, hepaticae, pyloricae, gaſtricae dextrae, duodenalis, proxime ad exortum ſauciatae, epiploiarum et cyſticarum ad exortum abſciſſarum, ſplenicae, pancreaticae, gaſtricae ſiniſtrae, arteriarum brevium x), meſentericae ſuperioris et ramorum eius inſigniorum per meſenterium diſtributorum, renalium, atrabilariarum proxime ad ortum abſciſſarum, ſpermaticarum, meſentericae inferioris et ramorum eius inſigniorum, lumbarium proxime ad aortam reſectarum, ſacrarum, iliacarum internarum et ramorum maiorum ab eis per peluim diſtributorum, iliacarum externarum y), epigaſtricarum propius ad ortum abſciſſarum, cruralium propius ad inguina vulneratarum z). Vulnera arteriae pulmonalis et ramorum eius inſigniorum. Vulnera venae pulmonalis et ramorum eius inſigniorum a).

XII.

tate vaſorum laeſorum determinanda non ſemper ad ſolam eorum capacitatem reſpiciendum ſit.

t) conferatur Caſus in Sciagraphia Hiſtoriae Phyſico-Medicae Butisbaci eiusque viciniae deſcriptus.

u) VALENTINI Pand. Med. leg. p. II. S. VI. Caſ. I.

x) ZITTMAN. Cent. II. Caſ. XC.

y) ZITTMAN. Caſ. XCVI. Cent. II.

z) ALBERTI I M. T. III. Caſ. XXXIII. ZITTMAN. Cent. III. Caſ. XI.

a) ALBERTI I. M. T. III. Caſ. XXX.

XII. Porro ad hanc laeſionum abſolute lethalium Claſſem referenda ſunt: vulnera trunci venae cauae tam ſuperioris quam inferioris b) venarum coronariarum, ſubclauiarum c) mammariae internae, azygae, iugularis internae d) vertebralis et axillaris vtriusque, hepaticarum maiorum e) renalium, ſpermaticarum, iliacarum internarum et ramorum maiorum intra peluim diſtributorum, iliacarum externarum, cruralium propius ad inguina laeſarum f). Vulnera ſinus venae portae g) ramorum eius maiorum tam hepaticorum quam ventralium, meſaraicae maioris, ſplenicae et haemorrhoidalis internae aeque ac ramificationum maiorum ad viſcera abdominis tendentium. Omnia enim haec vaſa laeſa funeſtam breui temporis ſpatio ſanguinis iacturam inducunt. Idem de vaſis vmblicalibus in foetu non deligatis dicendum occurrit.

XIII. Ex neruorum vulneribus diſciſſiones octaui paris et intercoſtalium nec non plexus cardiaci et pulmonalis ob reſpirationem et circuitum ſanguinis ab eis potiori parte dependentes vulneribus abſolute lethalibus optima ratione ac-

b) VALENTINI P. M. L. P. II. S. IV. Caſ. XIX.
c) ALBERTI I. M. T. III. Caſ. XXVI.
d) VALENTINI P. M. L. P. II. S. VI. Caſ. IV.
e) HOFFMAN Med. Conſult. Part. III. Caſ. VII.
f) ALBERTI I. M. T. III. Caſ. XXXIII.
g) ZITTMANN Centur. III, Caſ. XCIV.

cenſentur. Idem de plexibus intercoſtalium maioribus circa initia arteriarum in meſenterio formatis eo certius verum eſt, quo minus eorum vulneratio absque arteriarum vicinarum laeſione coniuncta accidere ſolet, id quod de plexibus vtrumque neruum iſchiadicum intra peluim formantibus grauiter vulneratis pariter ſtatuendum erit. Trunci quoque neruorum phrenicorum vtrinque abſciſſi mortem abſolute inferunt et actum reſpirationis vitalem in continenti ſufflaminant h).

XIV. Quod iam ad viſcerum vulnera abſolute lethalia attinet, pertinent huc laeſiones et aperturae ſinuum durae matris tum maiorem tum minorem, vtpote quorum priores haemorrhagiam funeſtam i) ſtatim excitant, poſteriores vero circa baſin cranii locati plurimum ſanguinis quoque fundunt, nulla arte educendi. Contrarupturae durae et piae matris. Grauis commotio

h) miror de his neruis eorumque laeſionibus apud praeſtantiſſimos Medicinae Forenſis Scriptores v. gr. TEICHMEYERVM ALBERTVM aliosque nihil ſpeciatim proſtare, quum tamen, vt ex Phyſiologicis notum eſt, vel ſolae ligaturae eorum in canibus aliisue animalibus inſtitutae motum diaphragmatis ſtatim tollant, qui eis diſciſſis eo certius perire et finem vitae imponere debet, confer. ORTLOB. Praefat. ad TAVRY Anat. ration.

i) ALBERTI I. M. T. III. Caſ. XLI. ZITTMANN Med. For. Cent I. Caſ. LVI. VALENTINI P. M. L. P. II. S. II. Caſ. XIII.

motio [k]) et conquaſſatio cerebri. Laeſiones partis medullaris cerebri profundiores [l]) praeſertim ſi ad ventriculos vsque penetrent, vulnera plexuum choroideorum, baſeos cerebri et ramorum carotidum internarum et arteriarum vertebralium per eam diſtributorum paulo inſigniorum [m]) medullae oblongatae, initiorum nervorum intercoſtalium [n]) et paris vagi. Vulne-

I 5 ra

k) RICHTER Dig. Med. Caſ. V. Dec. I. de hac tamen veriſſimum eſt, quod BOHNIVS de Offic. Med. duplic. Clinic. et forenſ. Part. II. Cap. VI. p. 661. ſcribit, quod illa rariſſime indiuidualiter ſeu in hypotheſi per autopſiam demonſtrari queat, id quod etiam in cauſſa eſt, cur tot mortes ſubitaneae, alliſiones capitis ſine eius laeſionibus conſpicuis accidentes inſecutae, ob defectum indiciorum et ex lege humanitatis inſultui apoplectico ſubito ingruenti in Medicinae Forenſis vſu adſcribendae ſint, de quibus alias iuſta ſaepe ſuſpicio foret, quod illae in hominibus antea nullo morbo afflictis vehementi eiusmodi cerebri et delicatiſſimi omnium neruorum principii commotioni praegreſſae originem ſuam debeant

l) VALENTINI P. M. L. P. II. S. II. Caſ. XIII. etc.

m) ZITTMANN Cent. V. Caſ. XCVI.

n) ſi vero ex PETITI et WINSLOWII Expoſ. Anatom. Tom. III. Traité des nerfs. §. 359. 360. et celeberr. a BERGEN Diſſ. de neru. intercoſtali §. XXX. XXXI. XXXII. ſententia nerui intercoſtales non tam ex cerebro orientur, quam potius illuc reuerterentur, primo intuitu contrarium ſtatuendum eſſet. Sed illorum ſenten-

ra cerebelli pleraque praecipue paulo maiora, ruptura vaſorum in ſuperficie eius ſub tentorio a dura matre formato diſtributorum o) principii medullae ſpinalis, laeſiones reliquae medullae ſpinalis paulo profundiores, praeſertim ſi transverſim infligantur. Abſciſſiones oeſophagi, et aliae eius laeſionas graues in cauitate thoracis factae. Vulnera pericardii inſigniora, Vulnera cordis et auricularum grauiora et in caua eorum penetrantia p), mediaſtini, pleurae in vtroque thoracis

tentiam euerſam legimus in ill. HALLERI Comm. ad Praelection. Boerhauianas Vol. IV. §. DXVI. not. p. confer. quoque Ill. WALTHER Programmat. prim. de pari intercoſtali et vago. Vtcunque tamen hic res ſeſe habeat, de abſoluta lethalitate huius nerui intercoſtalis intra cauitatem cranii laeſi eo minus dubitare licet, quo certius eiusmodi vulnus ob ſitum huius nervi absque cerebri et carotidis internae baſeosue cranii mortifera ſauciatione accidere nequit. Interea vel ex ſolo capite praeſtantia Anatomes ſubtilioris non in partibus Medicinae theoreticis tantum, ſed in ipſo Forenſi eius vſu cognoſcitur, quam latius oſtendit illuſtris HEISTERVS Diſp. de Anatomes ſubtilioris vtilitate.

o) RICHTER Digeſta Med. Caſ. IV. Dec. I.

p) RICHTER Digeſt. Med. Dec. II. Caſ. III. Dec. VII. Caſ VIII. Dec. VIII. Caſ. II. ALBERTI I. M. T. I. App. Caſ. XXIV. T. III. Caſ. XLIII. AMMAN. Prax. vuln. lethal. p. 180. WELSCH Rational. vulner. lethal. iudic. Cap. 4. p. 41. G. W. WEDEL. Diſſert. de vulner. lethalitate p. 13. Vulnus cordis ſeptimo demum die ob particu-

racis latere ſimul laeſione latiore apertae q). Vulnera pulmonum profundiora inſignes vel copioſos ramos vaſorum ſanguiferorum laedentia r) ductus thoracici s). Vulnera ventriculi inſigniora vtrumque latus perforantia aut orificia vel fundum vaſaque ſanguifera maiora et nervos eius offendentia t), vt et graues arroſiones, ſpha-

ticulam ſubſtantiae eius reſciſſam aperturam factam obſtruentem lethale exhibet ZITTMANN Med. For. Centur. III. Caſ. LX. Aliud vero die XVI. demum mortiferum cordis vulnus vide in Petri PETITI Commentar. in 3. priores Aretaei Cappadocis libros. pag. 52. Conferatur quoque Ill. VAN SWITEN Commentar. in Aphorism. Boerhaau. Tom. I. p. 256.

q) VAN SWITEN Comment. in Boerhaavii Aphorism. Tom I. p. 269. 70. 72.

r) ALBERTI I. M. T. III. Caſ. XLV. TROPPANNEGER Deciſ. Med. Forenſ. Dec. I. Caſ. III. ZITTMANN Med. For. Cent. I. Caſ. XX. Cent. III. Caſ. LXXXII.

s) TEICHMEYER Inſtit. Med. For Cap. XXIII. VAN SWITEN p. 218. Comment. Boerh. Aphor. Vol. I. p. 276.

t) VALENTINI P. M. L. P. II. S. IV. Caſ. X. ALBERTI I. M. T. V. Caſ. XIX. Tom. III. Caſ. XXXI. Caſ. XLIV. Lethalitatem vulnerum ventriculi ab Ordine Medico Gieſſenſi et Francofurtenſi erudite diſcuſſam vid. in VALENTINI Chirurg. p. 278. et ſeqq. RICHTER Digeſt. Med. Dec. IV. Caſ. VIII. Dec. VI. Caſ. I. Dec. VI. Caſ. VI. Rariſſimum vero oeſophagi prope diaphragma poſt maximos vomendi conatus inclyto Architalaſſo Belgico de Waſſenaer abru-

ſphacelationes et perforationes ipſius aeque ac oeſophagi a veneno cauſtico arſenicali u) alioue inductae. Vulnera inteſtinorum tenuium, inprimis ſi maiora ſint, et tranſuerſim vel ingenti contuſione aut dilaceratione inflicta x) inteſtinorum craſſorum maiora, graui contuſione et dilaceratione facta y). Meſenterii maiora ramos inſignes vel copioſos vaſorum ſanguiferorum et lacteorum aperientia, Ciſternae ſeu receptaculi chyli, pancreatis et hepatis profundiora, magna vel multa ſimul vaſa ſanguifera laedentia z), veſiculae felleae a) et abſciſſiones ductuum hepatici,

abrupti caſum refert illuſt. VAN SWITEN comment. in Aphor. Boerh. T. I. p. 274.

u) ALBERTI I. M T. I. Append. Caſ. V. Caſ. VII. Caſ. XXVIII. Tom. II. Caſ. XXXIX. Tom. III. Caſ. X.

x) ALBERTI I. M. T. II. Caſ. XXXII. et XXXIII. ZITTMANN Caſ. XLV. Cent. II. item Caſ. XCVIII. VALENTINI P. M. L. P. II. S. IV. Caſ. XIV. XV. XVI. XVII.

y) RICHTER Dec. VIII. Caſ. IV.

z) ZITTMAN. Cent. II. Caſ. LXXXI. RICHTER Digeſt. Med. Dec. III. Caſ. II. Dec. VI. Caſ. VII. Inciſiones autem hepatis minus profundas et absque maiorum vaſorum laeſione factas haud lethales eſſe probat notatu digniſſima operatio Chirurgica ab illuſtri HEISTERO aliquando hic loci in Medicinae Candidato WEISSIO, qui abſceſſu hepatis laborabat, inſtituta.

a) AMMAN Prax. vulner. lethal. Dec III. Hiſtor. X. pag. 252. RICHTER Digeſt. Med. Dec. IV. Caſ. VI.

ci, cyſtici et choledochi, lienis profundiora vulnera cum graui vaſorum ſanguiferorum laeſione coniuncta [b]). Vulnera renum vtrinque et ad cauum peritonaei vsque penetrantia, fundi veſicae [c]), et denique vulnera vteri grauiora, vaſa ſanguifera per ſuperficiem eius diſtributa inſignia ſimul afficientia. Omnia vero haec vulnera hucusque recenſita eo citius et ineuitabilius mortem adferunt, quo plura eorum in vno eodemque indiuiduo complicata occurrunt, pariter ac e pluribus laeſionibus illethalibus coniunctis lethalitas abſoluta ſubinde reſultat, aut vulnera quaedam vaſorum colli et artuum illethalia, ſi ab omni auxilio Chirurgico excludantur, per ſe lethalia fiunt [d]).

XV. His praemiſſis ad tractationem thematis noſtri propius accedere licebit. Scopus ſcilicet inciſionis cadauerum auctoritate iudicis in delicta inquirentis inſtitutae eſt cognitio totius illius ſtatus praeter Naturam, qui mortem in quolibet indiuiduo induxit, quo aptum exinde iudicium Medicum formari poſſit. Vt igitur ad illum

b) VALENTINI Nouell. Med. Leg. Caſ. XLIV. ALBERTI I. M. T. I. App. Caſ. XXXIII. Tom. II. Caſ. XVI. ZITTMANN Cent. III. Caſ. IV. et LIX.

c) ZITTMANN Cent. III. Caſ. XLIII.

d) illuſtr. HEISTER Inſtit. Chirurg. de lethalitate vulnerum. HOFFMANN Praefation. ad TROPPANNEGER Deciſ. Med. Forenſ.

illum perueniatur, hic aeque imo magis fere, quam in Sectionibus pro demonſtranda conſtitutione naturali partium ſuſceptis opus eſt cadavera quam citiſſime poſt obitum rimari, ne putrefactio circuitum ſanguinis ſublatum immediate inſequens, et eo celeriori gradu incrementum capiens, quo magis viuente adhuc homine humores ad putredinem diſpoſiti fuerunt, vel in eam iamdum abieruut, hanc inueſtigationem difficiliorem aut plane irritam reddat, et ob foetorem adauctum abominandam e) periculoſamque.

XVI. Sunt vero corpora, quae cultro Anatomico ſubiicienda Medico a Iudice offeruntur vel adultorum hominum, vel recens natorum, eorumque vel morte naturali vtut ſuſpecta defunctorum, vel violento modo peremtorum, quorum poſteriorum alii ob vim et noxam externam diem ſuum obierunt, alii autem a veneno propinato necati fuerunt.

XVII.

e) accidit hoc potiſſimum in puerperis defunctis nec non in iis, qui febribus epidemicis malignis, cholera morbo aut veneno propinato mortui, vel tempore aeſtiuo aquis ſubmerſi diu fuerunt, in quibus hinc diſtinctio effectuum mortis ab eius cauſſa huisqne adcurata determinatio ſaepe impoſſibilis fere eſt. Exempla eiusmodi complura ſectionum nimis ſero inſtitutarum adeoque irritarum vide ſis apud cel. ALBERTVM ZITTMANNVM VALENTINVM etc.

XVII. Mors autem naturalis aeque ac violenta ſemper fere f) quaedam ſui in cadauere veſtigia relinquit notabilia, quorum adcurata exploratio et a ſe inuicem diſtinctio vtramque in hoc negotio paginam abſoluit. Comparent ea vel in externa cadaueris ſuperficie, vel ad ipſa conſpicienda apertura cadaueris neceſſaria eſt. Suntque vtplurimum moles et amplitudo aucta vel imminuta, tumor particularis, inflammatio, color totius ſuperficiei vel regionis alicuius corporis mutatus, macula, liuor, ſugillatio, contuſio cum vel ſine compreſſione, quae ab inſtrumento laedente ſuper partem laeſam remanente vel a fragmento partis cuiusdam vicinae durioris ſimul laeſione affectae e. gr. a feſtuca cranii duram meningem premente efficitur, combuſtio, contorſio, luxatio, eroſio, punctura, ſciſſura, dila-

f) in iis vero, in quibus cauſſa morbi et mortis in ſolo fluido neruorum et ſanguine haeſit, vel qui narcotico propinato obierunt, talia ſigna non ſemper manifeſta occurrunt, licet aliquando ab opio largius propinato ventriculus vt in veneficio arſenicali arroſus et ſphacelatus obſeruatus fuerit Vid. FRITSCHIVS Seltſam. Theolog. Juriſt. Medic. Geſchichte Tom. IV. C ſ. III. p. 679. et ſeqq. in quo tamen caſu vtique adhuc aliquid dubii remanet, an ſimplex opium et ſolum propinatum fuerit? licet inquiſitus illud ſub fide iuris iurandi adfirmauerit. Prout in infantibus variolis et morbillis defunctis quoque pulmones et reliqua viſcera ſaepe ſaniſſima deprehenduntur, nec ſemper inflammatione correpta.

dilaceratio, ruptura, vlcus, putredo, foetor, veſica, fractura, fiſſura, fragmentum, vulnus oſſium, atque caries, quod ad partes firmas ſpectat. In humoribus vero occurrunt peccans abundantia vel defectus, vt et locus ac ſitus, nec non color conſiſtentia ſeu qualitas vitiata.

XVIII. Contingunt haec ſpeciatim in cute et reliquis integumentis, muſculis, vaſis, neruis, glandulis, oſſibus, cartilaginibus, ligamentis, chylo, ſanguine, ſero, bile, muco, liquore ſaliuali, pancreatico, gaſtrico, vrina, excrementisque inteſtinorum. Singularum harum alterationum indicari debet color, ſitus, directio, longitudo, latitudo, profunditas, craſſities, figura, numerus, copia et pondus, qualitas, conſiſtentia, gradus foetoris.

XIX. Inſtrumenta neceſſaria ſunt: Serra maior in Demonſtrationibus Anatomicis pro aperiendo cranio adhiberi ſolita, vel in eius defectu ea, quam Chirurgi ad membra amputanda adhibent, culter inciſorius maior manubrio ferreo praeditus, cultri inciſorii minores, culter 2. vel 3. digitos latus pro cerebro diſſecando, hamulus, volſella, forfex in alterius cruris extremo globulo munita, ſetae, tubuli, ſtili variae magnitudinis. ſcalprum, malleus, ſpatulae, aciculae maiores, filum, lintea, ſuccinctorium et brachialia, vaſa ſtannea aut fictilia capaciora g) vel lignea,

g) Haec et ſufficiens aquae copia eis indita praeſertim requiruntur in experimento illo notiſſimo quo,

lignea, aqua frigida et calida, ſpongia, acus, tabula vel aſſeres aliquot 2 ſcamnis altioribus ſuffulti; aliquot trunci lignei et faſciculi ſtraminis. Locus vero, in quo ſit Sectio, ſit ſatis lucidus et ſpatioſus, adeoque hypocauſtum amplum, vel potius atrium aut horreum, imo ipſa aula vel hortus. Perſonae neceſſariae ſunt Judex cum 2. Scabinis et actuario, Medicusque et vnus vel plures chirurgi, et qui horum a manibus ſunt.

XX. Monita autem in vniuerſum in hoc negotio ſequentia obſeruanda ſunt. Tota operatio alacri quidem manu inſtituatur, rem tamen minime obiter tractando, ſed ſingula curate inueſtigando, quum hic de corio humano nunquam non ludatur. Tres ventres, vt vocant, in quolibet caſu [h]) et cadauere aperiantur ac perueſti-

quo in cauſſa infanticidii ad explorandum, num reſpiratio inchoata fuerit, primum integri pulmones cum corde et aſpera arteria adhaerente, deinde vero vnus pulmonum lobus poſt alterum, et denique iidem in partes ſciſſi aquae iniiciuntur. Cel ALBERTI Praefation. ad Tom. VI. Jurispr. Med.

h) Probe nouimus, dari Scriptores Medicinae Forenſis ex optimis, qui lethalitate vulneris alicuius abſoluta aperte cognita et explorata, reliquarum corporis cauitatum peruestigationem ſuperuacaneam eſſe ſtatuunt. Interea quum res circumſtantes in talibus caſibus mire ſaepe varient et intricatae ſint, melius et ſibi et totius cauſſae cognitioni Medicus ſemper conſulit, ſi reliquorum quoque viſcerum indagationem ſimul ſuſcipiat.

ueſtigentur, id quod eo magis neceſſe eſt, ſi in vno vel altero eorum cauſſa mortis adaequata reperiri nequeat. Munditiei ſedulo ſtudendum, hinc partes exemtae mundis et capacibus ſatis vaſis reponantur, totaque operatione abſoluta, in priſtinum locum reſtituantur: manus cruentatae quoque diligenter detergeantur, et ſordes a Chirurgo tolli iubeantur, praecipue, dum vaſa ſanguifera laeſa inueſtiganda ſunt. Non enim quidem hic omnia adeo adcurate praeparare licet, ſicut in Sectionibus pro demonſtratione Anatomica Academica, quum pro vſu fori partes vulneratae vtplurimum inueſtigentur in vna ſerie, et prout ſibi ſubiacent vel adiacent, interea totum hoc negotium, quoad eius fieri poterit, peragatur nitide, ne adſtantibus praeter neceſſitatem nauſea creetur.

XXI. Operatio et ſectio manu ſuſpenſa praecipue in partibus vulneratis potioris momenti a Medico ipſo inſtituatur. Iudicii et adſtantibus ſingularum partium conditio, praecipue vero earum, in quibus cardo rei et punctum lethalitatis, vt vocant, verſatur, ordinate et ad oculum monſtretur et enumeretur. Alterationes a manu Chirurgi vulnerato, dum viuebat, opitulantis et ab auxiliis Chirurgicis, exempli gratia trepanatione vel

piat. Poteſt v. gr. in vno eodemque indiuiduo complicari vulnus abſolute lethale cum ſuffocatione, veneficio, aliaue cauſſa mortem poſt vulnus acceptum demum inferente.

vel medicaminibus acrioribus et corroſiuis indu-ctae, ſollicite ab eis diſtinguantur, quae a vio-lentia externa, morbo vel veneno prouenerunt.

XXII. Multo magis cauendum, ne errores Sectoris minus periti et vulnera noua ab eo du-rante Sectione demum facta cum laeſionibus a percuſſore inflictis confundantur. Ab earum re-gionum et partium ſectione ſemper opus incho-andum, in quibus ſigna externa violentiae perpeſ-ſae et ſtatus praeter Naturam adſunt, vel vim admotam fuiſſe conſtat, nullis vero talibus indi-ciis proſtantibus, ſectio capitis aperturae thora-cis et abdominis ad euitandam nimis diuturnam foetoris moleſtiam commode praemittitur.

XXIII. Ordo etiam, quo partes interiores ſe-cantur, ſaepe maximi momenti eſt, eoque ne-glecto, periculi pleni et pudendi errores com-mitti poſſunt. Sic ſi verbi gratia in infante in vtero materno defuncto a puerpera vero, nemi-ne adſtante in lucem edito, cuius funiculus vm-bilicalis abruptus et haud deligatus conſpicitur, quique obinde haemorrhagia lethifera poſt par-tum demum defunctus praeſumitur, cordis, pul-monum, hepatis, aliorumque viſcerum maio-rum ſectionem prius inſtituas, quam vaſa maio-ra et primitiua examinata fuerint, ingens copia cruoris durante ſectione et agitatione corpuſculi effluat neceſſe eſt, vaſaque capitalia dein maxi-mam partem vacua reperies, quae antea tamen repleta erant, forſanque puerperam innocen-

tem poſtea infanticidii ream in tua relatione reddes.

XXIV. Ob ſimilem reſpectum conuenit cruorem extrauaſatum, qui in quadam corporis cauitate occurrit, prius menſura expendere, et ſpongia abſorptum remouere, quam viſcerum vicinarum ſectio inſtituatur, ne ſanguis ex vaſis eorum reſectis demum profluens, cum priore, vtpote qui non ſemper adeo coagulatus eſt, vt ab illo, qui recens e vaſis effluxit, diſcerni queat, commiſceatur, ſicque deinde huius quantitas iuſto maior in viſo reperto adnotetur. Immiſſiones ſtili in vulnera cadaueris nondum aperti ſedulo quoque ad nouam partium perforationem euitandam prohibeantur.

XXV. Dimenſiones alterationum et laeſionum vero in partibus firmis obuiarum deſumuntur commode a magnitudine capitis infantilis, pugni, nucis etc. et a latitudine vnius vel plurium palmarum, pollicum, digitorum, culmi ſtraminis, calami ſcriptorii, fili, pilique; fluida vero aeſtimantur ad pondera ciuilia conſueta et ad plures vel vnam menſurarum, eamque integram, dimidiam, vel quartam eius partem huiusque dimidium, ad cochlearia, digitale vel guttas, idque ſi commode fieri poteſt, non ſola mentis aeſtimatione, ſed curata ſemper ponderatione et menſuratione.

XXVI. Laeſiones autem et alterationes omnium primae in oculos incurrunt, quae in cute adſunt,

adſunt, quarum conditiones ſupra recenſitas quilibet per ſe facile determinare poterit, praeter ſitum, de cuius in ea vt et in reliquis corporis partibus indicandi ratione quaedam dicenda occurrunt.

XXVII. In ſuperficie ſcilicet externa corporis ſitus et locus alterationis vel laeſionis deſcribendae determinatur pro diſtantia eius a partibus vicinis et regionibus Anatomicorum conſenſu nominibus donatis; in muſculis vero pro diſtantia illius a principio vel inſertione et marginibus eorum, vel a vicinis muſculis aliisque partibus; in neruis pro diſtantia ab exortu e medulla oblongata vel ſpinali aut truncis primitiuis et a partibus, quibus inſeruntur, aliisque vicinis.

XXVIII. In vaſis laeſionis locus determinatur pro diſtantia ab exortu e corde vel truncis primitiuis, et a partibus, quibus ſanguinem aduehunt, vel detrahunt, aliisque proxime adiectis; in viſceribus pro diſtantia a vicinis partibus, et a regionibus Anatomicorum conſenſu in ipſis ſtabilitis, e. gr. in aſpera arteria et oeſophago pro diſtantia a larynge et pharynge vel a pulmonibus et ventriculo, in ventriculo ipſo pro diſtantia ab alterutro eius orificiorum, fundo, lateribus etc. Simili modo res in oſſibus conficitur.

XXIX. Quod iam ad vulnera ſpeciatim ſpectat, notandum eſt, quod quodlibet vulnus in

vniuerſum, et quaelibet pars laeſa ſpeciatim exterius adcurate et vndiquaque examinari debeat, antequam culter adhibeatur, et ipſa pars laeſa lauetur. Tunc in ſubſequentibus ſimili modo procedendum, id quod tanto magis neceſſe eſt, ſi ex ſitu vulneris vel ſanguine extrauaſato praeſente aut haemorrhagia aliisue ſymptomatibus praegreſſis, inſignia vaſa ſanguifera et nerui laeſi praeſumuntur, vtpote qui non adeo promte in oculos incurrunt, ſed adcuratiore indagine opus habent, et improuida manu ſectoris facile alterantur, quam ob rem quoque vulnera cruentata praecedentibus paragraphis ſpongia diligenter abſtergenda diximus, vt ſcilicet partes laeſae eo curatius perſcrutari et facilius inueniri queant.

XXX. Ob eandem rationem in partium interiorum perſcrutatione cuiuslibet viſceris laeſi conditio prius in ſitu adcuratiſſime examinanda, quam illud eximatur, ſi plura viſcera ſimul laeſa ſint, eadem loco ſuo relinquendo, vsque dum ſingulorum examen abſolutum fuerit, ſi quidem illud commode fieri poterit, non nunquam enim neceſſario eximenda ſunt, ad vulnera eorum exacte perſpicienda.

XXXI. Extranea quoque exempli gratia globulos plumbeos, fragmenta gladii etc. in vulneribus reperta, cum cura ratione figurae, ſitus, magnitudinisque notare oportet, itemque inquirere, an eximi commode potuerint a Chirurgo vulnerati curam gerente. Interdum pars vulnerata

rata inſtrumento, quo laeſio inflicta fuit, cum magnitudine et figura ipſius collato diſtinctius cognoſcitur. Idem emolumentum haud raro capitur, ſi amictus e. gr. pileus, induſium et tunica ſimul laeſa cum illa comparetur.

XXXII. Dum vero ſectio inſtituitur, notandum, quod inciſio cutis aliarumque membranarum ita dirigenda ſit, ne in ipſum vulnus cadat, ſicque huius figura deſtruatur, et poſtea minus commode cum interiorum partium laeſione comparari queat. Muſculi vulnerati omnimode denudentur, vt adcurate determinari et ab adſtantibus perſpici laeſio eorum queat, praecipue autem hic inquirendum, an ipſa carnem vel tendinem eorum attigerit, anque hic praeſertim compunctus, ſecundum longitudinem vel transuerſim inciſus, aut plane abſciſſus et diſſectus vel dilaceratus fuerit?

XXXIII. Imo vt omnis error euitetur, ſi plures muſculi iuxta et infra ſe inuicem ſiti vulnera acceperint, facile confundenda, e. gr. in artubus, collo, aut dorſo, vsque ad exortum et inſertionem liberi a circumiacentibus partibus reddantur, et ſi lubet, illudque ad ſubiectos muſculos conſpiciendos opus ſit, in alterutra vel vtraque extremitate abſcindantur ab oſſibus, quibus adhaerent. Idem fieri debet, ſi aliae ſubiectae partes e. gr. vaſa ſanguifera, nerui, viſcera et oſſa ſimul laeſae ſint, ad quas nonniſi exterioribus, et quae incumbunt, remotis, aditus pateat.

XXXIV. Quodſi vero muſculi vulnerati iam ex ſitu indubitate noti ſint, ſicut abdominales et intercoſtales, tunc non requiritur, vt omnimode denudentur, indicari tamen cum ſingulis reliquis partibus vulneratis ordine, quo vis externa eos attigit, in relatione ſemper debent, vtut nihil ad lethalitatem conferant, quo Judex et collegia Medica de ſtatu vulneris non minus, quam de ſufficiente ſcientia et diligentia Medici ſecantis et inquirentis adhibita inſtruantur atque conuincantur.

XXXV. In contuſionibus vero partium exteriorum minus grauibus et minus vniuerſalibus aliisque alterationibus cum nullo vulnere aperto complicatis, ex quarum ſitu quoque iamdum conſtat, quod nihil ad lethalitatem contribuant, ſufficit primo cutem tantum ſuper eas incidere et ſubiectas partes perſpicere, ſi vero tunc anguis in herba latere comperiatur, tota regio methodo ſuo loco indicata denudetur, et examinetur. Idem de vulneribus leuioribus earundem partium in tantum valet, vt ſolum oculis et ſtilo tubuloue examinentur et ab omni ſectione abſtineatur, ſi hac ratione illa ſatis cognoſci queant.

XXXVI. Nerui notabiles laeſi eousque denudandi ſunt, partes eos obtegentes ſeparando et remouendo, vt eorum exortus e medulla oblongata ſpinaliue vel e truncis primitiuis et inſignioribus, nec non decurſus usque ad inſertionem in partes vicinas in oculos incurrat, adeoque de Natura et effectu laeſionis, numero ſcilicet et magnitu-

gnitudine ramorum laeſorum vt et de profunditate vulnerum, vtrum illi compuncti, conquaſſati et inciſi ſolum, an vero penitus diſciſſi fuerint, curate indicare liceat.

XXXVII. Vaſa ſanguifera vulnerata itidem eousque a partibus viciniis liberari debent, vt eorum exortus e corde vel truncis aut ramis maioribus nec non decurſus et inſertio in proximas partes pateat, accurateque cognoſcatur, qui et quot trunci vel rami minores laeſi fuerint, qua amplitudine iidem in loco laeſionis gaudeant, vtrum ſolum contuſi, cum vel ſine penetratione in cauum eorum inciſi, aut transuerſim diſciſſi fuerint? Qui modi laeſionis in aliis quoque corporis humani ductibus e. gr. ductu choledocho, hepatico, cyſtico, pancreatico, nec non in inteſtinis, oeſophago, aſpera arteria etc. contingentes debite adnotandi veniunt.

XXXVIII. Quod vero ad vaſa ſanguifera attinet, porro tenendum eſt, quod in caſu vulnerationis in cauum eorum penetrantis ſeta vel ſtilus vulneri immiſſus verſus exortum vel finem vaſis laeſi dirigendus ſicque adſtantibus ad oculos monſtrandum ſit, illud reuera eam eſſe venam vel arteriam, pro qua illud venditatur. Vel ſi hoc commode fieri nequeat, vas vulneratum, quod ex ſitu et principiis Anatomicis Sectori iamdum notum eſſe debet, prope exortum vel finem incidatur vel abſcindatur, ſtilusque ei immiſſus tali modo verſus vulnus dirigatur, vt ex iſto iterum egrediens rem

manifeſtet. Vel etiam mediante tubulo in vas vulneratum inflando eius communicatio cum reliquis oſtendatur. Denique notandum, quod in quolibet vulnere, ſi eius fieri poteſt, vaſa laeſa omnium prima inueſtiganda ſint. Experietur tamen quilibet effatum celeb. et in hoc negotio verſatiſſimi BOHNII de offic. Med. P. II. Cap. IV. p. 600. hic veriſſimum, et longe aliam rem eſſe vaſa cera colorata diſtenta in Theatro Anatomico pro facienda demonſtratione Anatomica denudare, aliam vero eadem exinanita et collapſa inueſtigare et vulnera eorum reperire.

XXXIX. In omnibus vero cadaueribus haemorrhagia defunctis, ſiue illa hominum adultorum, ſiue infantum ſint, ſemper cordis ventriculi et trunci vaſorum maiorum vtut illaeſi ſecundum longitudinem aperiri, et quantitas ſanguinis in eis reſidui ſollicite determinari debent.

XL. Oſſa laeſa a partibus quoque mollibus ſufficienter liberentur, ſique fragmenta adſint, in his ratione magnitudinis, figurae, ſitus et numeri curate expenſis inſuper obſeruetur, vtrum quaedam e partibus vicinis ab eis laeſae fuerint, anque vndique libera ſint et a Chirurgo vulneratum tractante eximi commode potuerint vel ſecus? Fracturae et fiſſurae vero in toto decurſu per ſingula oſſa curate notentur.

XLI. Denique in cauſſa veneficii nunquam negligatur contentorum in ventriculo repertorum

rum debita examinatio, partem eorum animalibus comedendam praebendo, vel ſi arſenicum adhuc ibi reperitur, illud in prunas iniiciendo, vt ex inſequente morte talium beſtiarum vel odore alliaceo et flammula coeruleſcente prodeunte de vero corpore delicti iudex eo magis conuincatur i).

XLII. His rite obſeruatis, et omnibus reliquis rebus circumſtantibus ſimul cum iudicio annotatis, in arduo hoc negotio inoffenſo pede progredi licebit, et veritas in apricum poni demum poterit.

i) BOHNIVS de Offic. Med. Part. II. p. 601. 602. 603.

IV. IOANN.

IV.

IOANN. TRAVGOTT ADOLPHI

Diſſertatio

de infanticidii notis ſectione legali detegendis.

Helmſt. 1764.

Reſpond. et Auct.

HENRIC. CHRISTOPH. DREYER.

I.

In tanta iurisprudentiae dignitate et magiſtratuum auctoritate, gloriantur medicorum nonnulli: ſecum ſaepius conſilia ante conferenda, quam iuſtitiae vindices ſtatuant de rebus, attingentibus hominem, qua vitam viuit animalem. Aequitatis id ipſum laudabile documentum, dum ſubmittitur Hippocrati, quod Hippocratis eſt. Atque omni ope enitendum viciſſim, quo confirmemus et expleamus fiduciam ita quidem rogantium ſententiam medicam, vt credant, quia cuiuis in arte ſua credendum. Neque dolendum habent Aeſculapii filii, quod praeuideant, rarius de ſententia ſua tum interrogatum iri, quando quaeſtiones forenſes ea euiden-

tia

tia perſoluerint, quae caſuum adeo ſimilium illico recluderet diiudicationem. Crebriorum vtique quaeſtiuncularum denſantur ſpinae, prout plurium rerum nexus etiamnum implicatos iudicium recte extricare neſcit. Ni igitur imperfectionis, difficilioris certe intellectus atque applicationis ſcientia a medendo grata toties argui videtur, quoties iudices, ſuper praegreſſam corporis delicti inſpectionem, neceſſe habent, petere adhuc de tripode apollineo dicta. Namque in clariſſima rationis ac experientiae luce ſi poſita plane proſtarent ſalutaris ſcientiae ſcita, illa ſane ad forum pertinentia: arrepturi eſſent eadem legum interpretes et ad caſus ſimpliciores facilioresque translaturi, remiſſis modo ad medicos difficilioribus, iisdemque paucis. Tantum ergo abeſt, vt eo impenſius Hippocrates honoretur, quo crebriora dat Numae reſponſa, vt potius, in rebus vehementer ambiguis, vbi conſultantium exſpectationi ſatisfacere vix licet, vituperium incurrat, penes eos praecipue, qui cognitionem humanam modulo ac pede metiuntur, cuius ſcioli illi ipſi magis auidi, quam capaces. Fatorum ſane ſuorum magnam habet excuſationem iatrice, quandoquidem primi eius, quorum monumenta ad nos peruenerunt, ſatores ſemina ſparſere tam bona, tam frugifera, tamque copioſa, vt haud minorem admirationem, quam gratiam, ab omni poſteritate inierint. Erant tamen mala mixta bonis. Haec igitur omni cultura fouere, illorum inutiles her-

bas

bas ſarritione quantocius eiicere decuiſſet. Sed torpida multorum ſubſequentium ſaeculorum barbaries Hippocrati ac Galeno magis mancipabat medicos, quam naturae ac veritati. Diu igitur nimisque diu erroribus et opinionibus veterum deluſi medici iurisprudentiam ſimul labe paenitenda contaminarunt, donec, litterarum bonarum ſtudiis reliquis reuiuiſcentibus atque in libertatem cogitandi tandem vindicatis, medicina quoque forenſis ſuperſtitionum ac erratorum priſtinorum bona parte ſenſim ſe exſolueret. Et quid non egregium ſpondet vlterius feruor tot tantorumue ingeniorum vel noſtra aetate artem ſalutarem excolentium? Quid porro non promittit temporum ipſa illa conuerſio, qua, non feminae, ſed viri, anatomes et luculentiſſimarum obſeruationum lumine acuatis oculis, introſpiciunt arcana mulierum, quae hinc incurioſus thori legitimi vſus, illinc clandeſtini amoris fallax vafrities, perpetuis alioquin tenebris inuoluere videbatur, vt, in vexatis, e. c. grauiditatis caſibus, non poſſet non vacillare certitudo medica, anicularum fere integritati, peritiae ac narrationibus, heu quam ficulneis fundamentis! ſuperſtruenda. Laetatur merito optimus quisque his ſcientiae incrementis ac emendationibus iam iam impetratis, impetrandorumue hoc acriorem ſentit incitationem, quo minus obſtructa proſpicitur via vlterius procedendi, quam poterant maiores noſtri. Propius propiusque accedetur ita quidem ad perfectionem ſcientiae, nun-

quam

quam tamen perfectiſſimam obtinere licebit, vel propterea, quod homo ab homine multis affectionibus mirifice differt, vt alter ad alterum, quoad illas, coniectura admodum incerta, exigatur; quod praeterea violentiarum et facultatum aliarum nociuarum vires inimicas in numerato quaſi habere, cumque cuiusuis robore naturae certa ratione conferre, humani ingenii longe transgreditur anguſtiam.

II. Quemadmodum vero perferendae ſunt tricae atque lacunae quaedam ſtudii apollinei, ceteroqui admirabiliter exculti, quas vere habet, ſiue, ob rerum naturam nimis occultam, ſiue ob experiendi rariſſimam opportunitatem, ſiue ob intelligentiae humanae imbecillitatem, vsque dum lucem maiorem pluribus adhuc obſcuris adferet forſan ventura dies: ſic amoliendum, et quantum poteſt exſtirpandum dedecus illud medicinae forenſis, illudue auerſiſſimum iuſtitiae impedimentum, quod aliunde prorſusue praeter neceſſitatem irrepens actis criminalibus ſuffuratur liquidi corporis delicti euidentiam legitimam. Increpamus ſcilicet relationes medicorum atque chirurgorum negligenter, imperite ac inconcinne factas, vt parum eorum ſignorum complectantur, quae tamen videre et ſenſibus reperire in ſubiecto corpore quaeſtionis licebat, quae, ſiue ſigillatim, ſiue in concurſu cum aliis, declaratura, aut ſaltim illuſtratura forent veritatem, falſitatem criminis imputati. Etenim ex

talibus

talibus ieiunis ac mancis inſpicientium medicorum aut ſecantium chirurgorum teſtimoniis, ſaepius ne viri quidem artis ſalutaris peritiſſimi inque rebus eiusmodi diiudicandis exercitatiſſimi quidpiam certi elicere valent. Cauſſidici autem eum, quem ſuſceperunt tuendum, ſi vnquam, tum profecto ad contumacius pernegandum obiecta inſtruunt, criminisue minus liquidi defenſione obtectum iuſtae ac debitae poenae ſubtrahunt. Quid quod inſontes nonnunquam exagitantur inſimulatis ſceleribus, quae alias probum et accuratum, quod communiter dicitur, viſum repertum ex facili fuiſſet propulſaturum. Inſcitiam eorum, quibus negotia iſta medico-forenſia committuntur, tot malorum ſcaturiginem eſſe primariam, neque ignorant legum interpretes, neque medici ipſi infitiari poſſunt. Idcirco Summi quidem Principes benigniſſimis perinde ac ſapientiſſimis mandatis identidem cautum voluerunt, vt, ad curam rerum medicarum publicam in vrbibus ac prouinciis, viri vere Phyſici, probatae doctrinae, ac omnium minime in anatomicis rudes admouerentur.

Sed plures laurigeros, paucos eſt cernere Phoebos.

Inſcitiam procul dubio arguit, quando circa caſus vulgares, ſaepius obuios, neque extrema atrocitate ſua humanum ſenſum opprimentes, medicus neſcit, quid ſibi agendum, et quomodo expediat cognitioni cauſſae ſatisfacere. Mitiori vero reprehenſione dimittendum eum, qui, in

cauſſis

cauſſis fori maxime ſubitis, raris, ſcelere adſpectu horrificis, non omne attigerit punctum, nobiscum facile ſentient, quotquot negotiorum forenſium ambitum, caſuum infinitam varietatem contuentur. Vtique cogitandum, haud prorſus ignorari, quae in ſubita perturbatione ad mentem non ſtatim occurrunt. Poſtremo maleferiatorum iuxta atque ſceleratiſſimorum hominum, qui hinc malignitate ius inflectere ſtudent, qui illinc ſocordia res grauiſſimas leui transmittunt brachio, horum refugit omnino animus mentionem, vtpote monſtrorum inter medicos rariorum, quae etiam omnem reſpuere videntur humanam emendationem, praeterquam vindictae forſan metum.

III. Leuiſſimorum hominum negligentiam excitent, ac vafros veritatum medicarum et naturalium venditores, ne ius fasque ab illis inclinetur, quo pondus lucri trahit, conterreant Praepotentes rerum publicarum Principes, quorum dextera terroris ac vltionis iuſta iaciuntur fulmina. Nos vero leuiſſimi exſiſtemus monitores commendatoresue *attendendorum*, *quae demonſtrare teſtibus iudicialibus*, *quae colligere et viſo ſuo reperto inſerere oportet administratorem aut directorem ſectionis legalis, quoties infanticidii ſuſpicio eſt.* Particulam hanc Anatomiae forenſis exponendam nobis ideo ſumſimus, quia exercitium eius, proh dolor! exigit ſaepiſſime nullis ſaeculis miteſcens matrum praecipue in propriam

prolem inmanitas, quia argumentum praeterea amplitudine ſua facile ſufficit ſpecimini modico, quale procudere inſtituti praeſentis fert ratio, ſi vel potiora, certioraque deligamus. Primam tamen iniecit eiusmodi tractationis incitationem, quod relationes plurimas medicorum indicialiter teſtimonia ſua deponentium, ſuper iis, quae viderint, quae repererint in corpuſculo infantis anatomice perueſtigando, etiam noſtra litteris ac omnibus ſtudiis adeo illuſtri aetate, deprehendebamus plenas rerum inutilium, deliramentorum vetuſtorum, et fere vacuas iudiciorum, quibus vel maturitas et vita nuper nati diiudicetur, nedum mortis genus. Quo vero implicatior ſaepius res eſt, indiciis quamlibet omnibus rite obſeruatis, declarare mortis genus, ipſamque adeo vitam poſt natiuitatem debiliter breuique actam, hoc magis elaborandum, ne quid eorum deſit, quae cadauer infantuli obiicit inſpicienti ſectori, vitae impie ſibi ereptae tot quaſi vindictam efflagitantia vocabula. Huic itaque negotio plenius expediendo, ab auctoribus optimis optima, quae ſparſim occurrere, maturitatis, roboris, vitae, mortis ſigna colligere ſuſcepimus, neglectis falſis, aliisque ambiguae aut fidei, aut dictionis, aut anatomiae ſubtiliſſimae abſolutiſſimaeque, quam legalis ſectio aegrius admittit. Ne vero gratis adgrauare videamur ſectoris iuſtitiae ſubſeruientis ſpartam in ſe grauem, vbiuis rationem adiungemus in pauciſſima verba contractam, vna monentes, quo vſque valeat quoduis ſignum. Cautione

tione hic quam maxima opus eſſe, probe perſpeximus. Et quemadmodum vel in caſu ſingulari, cuius ſingulas conditiones cum ſingulis conferre datur, non facillimum eſt, cuiusuis ſecundarii quaſi et debilioris ſigni vim confirmantem gradibus ſuis definire certis: ita generatim de quouis conſtituere, difficillimum omnino eſt, vt lapſus penes aequos arbitros aliqualem nobis promittere poſſimus excuſationem, ſi caſum forte praeteruiderimus admodum ſingularem et de regula excipiendum. Operam ſane adhibuimus in re ſanguinis, quam potuimus, diligentiſſimam, ne parum, ne nimium ſignificationis tribueremus indiciis ab anatomico conquirendis. Si quid in vulgus minus notum putauimus, aut controuerſiis obnoxium propoſuimus, teſtimonia addere idonea non intermiſimus quae confirmant ſententiam noſtram. Praecipiendorum ordinem haut alium ſectio fert legalis, quam anatomicum, eum nimirum, quo in praecedente ſcrutinio illibata ac integerrima conſeruantur, quae inueſtigatione adhuc proxima conſiderari debent.

IV. Probe callemus, extra corpuſculum quoque infantis, plurima ſollicite indaganda ſupereſſe, quae a magiſtratu rite cognita lucem adfundunt certitudini nonnunquam obſcuriori infanticidii commiſſi. Quae ſi ſectori, ſectionem adgredienti, antea quidem innotuerint, aut innoteſcere poſſent, vehementer admonerent eundem, immo compellerent, vt haec vel illa ſe-

ctionis momenta attentione acuata perluſtraret, in minimis etiam circumſpectior. Huc pertinent: matris aetas, ſanitatis conſtitutio praecedens partum eundemque ſubſequens, grauiditas incommodis grauioribus vacua, aut moleſtior; animus ſimplex, aut aſtutus. Primipara, an puerperii iam prudens, quod olim experta? mammarum habitus, qualis partum praeceſſerit, qui reſtiterit? ſanguinis fluxus an doloribus partus fuerit iunctus placentaeque praematura ſolutio? an partus primo quidem ſanguine fuerit ſiccus, placentaque, donec proles prodierit, vtero cohaerens manſerit? quo tempore ſecundinae tandem protruſae? quanta tum laticis rubri profuſio ingruens veſtimenta compleuerit locumque parturae cruentauerit? quem modum fluxus lochialis poſtmodum tenuerit, quando ſanguineus in lacteum ac ſeroſum tranſierit? ſubitis ad partum doloribus paritura an fuerit correpta, qui quidem eandem continuo increſcente vigore detinuerint ad expulſionem vsque prolis? quantum temporis ſpatium his efficacibus ad pariendum laboribus inſumtum? Stans, ſedens, an decumbens excludendum excluſerit? an vocem, an motum ediderit ergaſtulo ſuo materno liberatus puſio? an funiculus fuerit deligatus nato, et cuius opera, matris, an alius? quo modo? duplici vinctura, altera ad foetum, altera ad placentam pertinente, an modo ſimplici? integer adhuc placentae et infantulo cohaerens fuerit ligatus, an poſteaquam disruptus, aut diſſectus iam erat?

quam

quam cito hac vinctura infantulo proſpectum? an aër ori ſufflatus? de qua altitudine eiectus praecipiti forſan partu ceciderit? Quod quoties perhibetur, toties inſpectione ventrali perinaeum luſtrandum, cuius dilaceratio in primipara, a foetu maturo, inſignis non poteſt non induci. De praecipitationis loco tum etiam diſpiciendum, duritia, anguloſis, vel acutis prominentiis infeſtus fuerit, an mollitie appulſum leniuerit? Quamdiu frigori nuper natus fuerit expoſitus, et calore fouente cum reliqua cura decenti caruerit? num ſub integumentis ſtragulisue detento infanti, aut alia ratione, aëris commercium interciderit? quae caeli ac manſionis ſuae tum temperies exſtiterit? quorſum abiectus, et abs quo tempore tandem delituerit? repertus an ſanguine vehementer ad corpuſculum conſpurcatus apparuerit? num illum ſuum locum, quo inueniebatur, latice vitali irrigauerit, fune non ligato? cernuo poſitu num inuentus, an corpuſculo prorſum curuato, aut potius directo? Magnum enim momentum haemorrhagiae per funem in hoc diuerſo corporis ſtatu eſſe poſitum a), proxima opportunitate demonſtrabitur. Cuinam aëri ac tempe-

a) *Petri* IDEMA obſeruatt. pag. 21. „Cum puer „nuper excluſus reſpirare non poſſet, extenſus „potuit. III. A. V. HALLER Elem. Phyſiol. „Tom. II p. 187. „Ita Vmbilicales, grandiſ„ſimae arteriae, ob inſignem, quem cum exten„ſo puero intercipiunt anfractum, continuo ſan„guinem deſinunt ſuppeditare. Quae interim te„ſtimonia adduxiſſe, ſatis habemus“.

temperiei patuerit corpuſculum, donec examen anatomicum experiebatur? quem aſſeruationis locum repertus habuerit? an ibidem, ex malignitate forte cuiusdam in matrem, violentiam poſt ſua fata nouam accipere potuerit? Quanquam id ipſum, ex ſugillatione iniuriae perpeſſae non iuncta, in cadauere nondum putredine valde emollito ac liuido, facile eſt diſſectori diiudicare. Quam breui ſe ſodalium communioni ſubtractam reddiderit, quam facie ac veſtimentis compoſitam ſe exhibuerit nouiſſima puerpera? qualem in conſuetis, grauioribus praeſertim laboribus, ſe geſſerit? Et quae reliqua. Ex actis quidem criminalibus momentorum adductorum pleraque pateſieri, ipſisque articulis inquiſitionalibus comprehendi ſolent, vt tamen nonnulla interdum deſiderentur, quorum tum defectu, diiudicatio cauſſae redditur adhuc difficilior, quam forte eſſet, omnibus eiusmodi indiciis rite collectis. Monere itaque de his iisdem oportebat, quanquam ſuis firmare ſingula rationibus, et concludendi finibus circumſcribere; non ſiuit propoſiti inſtituti reliqua moles, quam aggredi rectius ordimur.

V. Haud absque indiciis obſeruandis ipſae ſunt *ſecundinae*. Quapropter *easdem, quoties haberi poſſunt, luſtrare diligenter conuenit. Subſtantia minus aequabilis quoad mollitiem* b), *ſi hinc inde*

b) Quarum ita morboſarum placentarum exempla vidit Dom. PRAESES Berolini, inter praeparata

inde in ſcirrhum indurata, aut concrementis ſabuloſis aſpera, aut hydatidibus veſicularis apparet, non ſolum partum praematurum, ſed etiam obitum embryonis in matrice, inde euenire potuiſſe, declarat, aliis praeſertim concurrentibus adhuc eius rei veſtigiis. *Suus ceterum placentae naturalis eſt mollitiei modus,* experto notus, verbis tamen minus definiendus. *Vltra hunc vero molleſcit,* quando embryo mortuus diutius in matrice reſtitit, donec excludebatur. Tuncque *ex colore viuido in liuidum ſubuirideſcentem ſimul tranſit.* Sed ſimilem quoque, in mollitie ac colore naturali mutandis, exſerit effectum cum putredine aër extra vterum. Signo igitur plerumque ambiguo, haud refert, pluribus immorari, cum alias et euidentiores habeamus notas embryonis pridem mortui, anteaquam partu edebatur. Orbis placentae in ſua ſuperficie vterina et conuexa vel leuiter examinatus dignoſcitur ſtatim ex pluribus veluti placentulis in vnum corpus compactus. Fit vero, vt nonnunquam placentula talis ad marginem placentae ſeparatior haereat. Fit porro, vt ſub initium, vel per moram partus, indicante id vtplurimum haemorrha-

rata numeroſiſſima, artificioſiſſima, ac rara Ill. MECKELII, quem Praeceptoris pietate veneramur. Collegit etiam obſeruationes eiusmodi plurimas HALLERVS in comm. ad praell. BOERHAVII Tom. V. parte altera p. 286-289.

morrhagia, ſoluatur placenta de vtero, aut ex toto, aut ea ſaltim parte, vbi placentula margini placentae exili nexu cohaerebat. Quo facto, vaſa Vmbilicalia de placenta ad placentulam emiſſa non poſſunt non rumpi, *quoties placentula vtero adnata remanſerit.* Per ruptas has vaſorum Vmbilicalium radices ſanguinem ſuum foetus perdere poterit. Quodſi igitur partum haemorrhagia fuerit comitata, inſolentiusque perrexerit poſtea, inuento corpuſculo foetus exſangui, *ad hanc cauſſam ſedulo eſt reſpiciendum.* Namque infanticidii, ſanguine prolem fune non ligato priuantis certitudo cadit, dicta haemorrhagiae perpeſſae cauſſa deprehenſa. Non quidem huius loci eſt prolixe laudare cautionem illam medicorum prudentum, dum, haemorrhagia vteri poſt partum effuſius ſaeuiente, ſimulque affligente dolore alicubi intra Hypogaſtrium fixo ac nonnunquam inflammatorio, de relicta eiusmodi placentae appendicula cogitant, et, ſi per orificii vterini occluſionem licet, manu perite inmiſſa, extrahendam ſuadent. Huc tamen pertinet Illuſtris MECKELII, quem Dominus PRAESES in arte obſtetricia praeceptorem, manu etiam ductorem ſibi ſortitum eſſe, gratulatur, conſilium eximium, occaſione huius caſus, oretenus datum, quo certi prius reddimur, de tali placentae reliquia, praeterquam, quod puerpera orificii vterini diductione, manuſue ingrata contrectatione, fruſtra defatigatur. *Nimirum placentae marginem circumquaque examinare oportet,*

tet, an qua parte trunculus quidam vaſorum Vmbilicalium conſpicuae amplitudinis ſubito deſinere obſeruetur. Sic enim deſinere minus ſolent, ſed, vt ex diuiſione in ramos ſenſim minores tandem circa marginem diſpareant. Loco tali detecto, vel etiam non deprehenſo, *temperate infletur ex funiculo vena, dein vtraque arteria Vmbilicalis, dum interim placenta aquae immerſa detinetur.* Prorumpens bulla circa marginem rupta vaſa, placentulamque ſeparatam, demonſtrat. Haemorrhagia vero partui iuncta, cum exinanitione vaſorum infantuli, placentulam illam, durante partu, fuiſſe abruptam, indeque ſanguinis iacturam concitatam foetui, ſtatuere licebit, niſi funiculus praeterea non ligatus, aut vulnus grandioris vaſis, aliunde efficiat dubium iudicium quidem vltimum. Animaduerti denique meretur *de vaſis Vmbilicalibus placentae, an flaccida, atque inania, quamuis funiculo, qui huic cohaeret, ante eius diſſectionem, ligato? an ſanguinis coagulo plus minus referta deprehendantur, fune licet non ligato?* Quare, iſthanc commendemus animaduerſionem, commodius, absque repetitione ſaltim de funiculo praecipientes ſtatim expediemus.

VI. Proximum eſt, *chordam Vmbilicalem conſiderare,* qua mediante venoſum placentae ſanguinem accipit, per vnicam communiter venam, foetus, remittitque illuc ſuum, per duas arterias Vmbilicales. Haec tria vaſa includuntur laxe vagina membranacea. Vaginae huius laxioris

 inter-

intercapedinem, praeter dicta vaſa, complet opus ſpongioſum celluloſae naturae, ſpongioſi vero operis cellulas farcit humor magis minusue gelatinoſus, maiori vel minori quantitate. Quando hoc obtinet, non ſolum *gracilis funiculus* eſt ſed etiam *venae praeſertim ſuae rutilum colorem translucere ſinit, tuncque ſanguineus dicitur.* Quando vero copioſior humor intercipit venae ruborem et craſſitiem adauget ſunis, tunc pinguis vulgo audit. Notetur igitur: *an pinguis*, qualis ſub partu, quamuis praecipiti, difficilius, in ſua nempe longitudine media, rumpitur? *an ſanguineus?* a quo plus metuitur, ne diſtrahatur. *Longitudinis dein ratio eſt habenda, quam notiore menſura, veluti Rhenolandica eſt, aeſtimare decet.* Vtque recte aeſtimetur, *pars funis de infantulo pendens addetur illi placentae continuae.* Longitudo chordae maior fauet illaqueando foetui, ac circumuolutionibus circa eius membra. Duplici hinc premitur periculo. In matrice primo ſi adſtringantur laquei quaſi canalium Vmbilicalium circumuoluti: elidentur canales arctati ſuo ſanguine, aut ſub axillis v. c. compreſſa, nihil transmittent amplius, circulusue placentam inter ac foetum ita quidem ſufflaminabitur; deinde collum circumductus funis iugulat naſciturum ſub partu, prout laxum antea laqueum protruſus ſibi magis magisque trahendo conſtringit. *Longior ceterum funis, quam eſt altitudo de naturalibus parturientis ſtantis ad pauimentum,* facile demittit, praeterquam quod diſcerpatur, foe-

tum

tum praecipiti lapſu effuſum. *Breuior* non item, qui aut diuellitur lapſu, aut placentae ſecum abreptae, (III.) phaenomenis comitatur, rariusue puerperium matri indulget facile et incommodis grauioribus vacuum. Diſpiciat ſector: an *chorda ſit vel diſſecta, vel praerupta,* et *quo loco?* Praerupti, licet non ligati funiculi minus periculum, haud absque rationibus, cenſetur, quam ſi acie ferri fuerit praeſectus. Hocque minus adhuc erit funiculi rupti diſcrimen, *quo longius et remotius ab vmbilico rupturam paſſus.* Si itaque foetus ſuum, quo inueniebatur, locum non cruentauerit, ſi funiculi ſpongioſum opus ſanguinis extrauaſati vix quidquam oſtenderit, ſi vaſa maiora ſanguine haud orbata deprehendantur: ruptura funiculi, quamuis non ligati, atque haemorrhagia inde timenda, gratis ſuſpicaretur mortis cauſſa. Attentione denique dignum, foetus maturi neque dudum emortui funiculum pinguem, ſi abrumpitur, id amare ad ſua extrema, cum vbi placentae implantatur, tum proxime vbi vmbilico ſe immittit. Medio loco eſſe diuulſum, vix vlla conſtat certa obſeruatione. Marcidus ſiue flaccidus, ſimiliterque abortiuus ad dilacerationem multo magis, quam ſanguineus, in toto ſuo tractu habilis iudicatur. *Pro marcido vero habemus talem, qui non ſolum gracilis, ſed etiam nullo ſanguine pellucente hic illic rutilat, et colore potius lurido liueſcente quodammodo virideſcit, vaſaque continet Vmbilicalia exſanguia ſanguine nempe fluido.* Cum marcore funi-

funiculi, placentae quoque maior mollities, ingratus color; ſuorumque vaſorum inanitas nunquam non colludit. Et niſi aëris, praeſertim calidi, diuturna admiſſio placentam cum funiculo ſic mutauerit, certo cognoſcemus inde: alumnum vterinum bono tempore ante natales ſuos defunctum fuiſſe. Quod ad ligaturam chordae attinet, notetur: *an omnino deligata fuerit, an decenter? quanta funiculi non conſtricti ab vmbilico longitudo? Alteram item eiusdem portionem, quae placentae cohaeret, haud prorſus inutile putamus examinare, an ligatura ſit munita, an eius tum vaſa ſanguinem contineant, an euacuata deprehendantur.* Per funem haud obligatum, poſſe quidem foetum cum ſanguine vitam effundere, neque tamen ſemper et neceſſario effundere, praeſertim aëri frigidiori ſubiectum, et corpuſculo in directum expanſo, iſtud, cum optimis medicinae legalis ſcriptoribus, hic adſciſcere ſuffecerit. Quo poſito, per funem contigiſſe letalem cruoris profuſionem, ex depletis demum venis maioribus foetus, certo intelligetur, cuius praeterea vitae in vtero dudum amiſſae nulla apparent ſigna, nullum vulnus ſanguini exhauriendo idoneum. Sic quoque ligatura funiculi, etiamſi inueniatur decenter iniecta, ſub conditionibus tamen modo adductis, profluuii per chordam non abolet certitudinem, quoties corpuſculum exſangue de haemorrhagia perpeſſa teſtatur, quandoquidem enecti iam corpuſculi chordae aſtute vinculum concinnari poſtmodum potuit.

potuit. *Ipſum praeſecti ac ligati funiculi extremum, niſi admodum fuerit curtum, proficuas habet obſeruationes.* Primo itaque praeſecti funis extremum, *quoad opus ſuum celluloſum, eſt inſpiciendum, quod cruore ſi animaduertatur inundatum,* declarat, aut prius diſſectam fuiſſe chordam, ac deinceps vinculo conſtrictam, vt vinculum minus decenter eſſe circumiectum, inundatio enim talis cruenta alioquin euenire nulla potuiſſet. Abſit, vt propoſitionem inuertas. *Tum chordae vaſa, quae vltra ligaturam adhuc in extremo fine ſuperſunt, attentionem merentur. Si coagulo ſanguinis plena haec vaſa,* inde concludimus, foetum vita exceſſiſſe, aut dum vtero geſtabatur adhuc tranquillo, aut ſub partu protracto. Namque foetus recenter nati ac viui vaſa Vmbilicalia cum fune, praeter notabilem cunctationem, diſciſſa ſanguinem illico fluxilem expellunt, ſeque exinaniunt, grumis vix vllis relictis. Tantumque tribuit huic ſigno Dom. PRAESES, vt, cum in nupera foetus oblati diſſectione conſpiceret, ligaturam vltra, grumis ſanguineis farta ac plena vaſa Vmbilicalia, nullus dubitaret, reliquis etiam obſeruandis nondum luſtratis, pronunciare, foetum praeſentem poſt ſua fata demum eſſe natum. Similis concluſio de iisdem etiam vaſis, quae ex portione funiculi placentali ſecundinas percurrunt, valebit, quando coaguli grumos conſpicuos ad aliquam ſui plenitudinem oſtendunt, nullo tamen vinculo conſtricta. Abſit etiam hic propoſitionis inuerſio,

quia

quia ſanguis alius atque alius ad coagulum diuerſimode pronus. Neque *nodoſus* tandem *funis* ſilentio plane praetereundus erit. Nodoſi nomine talis inſignitur, qui minus ſibimet ſimili et ſpirali ſuorum vaſorum tractu, alicubi in tuber inaequabile abit. Rariſſimum ac non niſi in chorda enormiter longa occurrens vitium autumamus, vt *verus ipſi innectatur nodus*, qualem quidem Smellie delineatum c) dedit. Eiusmodi forte nodo veriore praeſente, intellectu haud difficile, iſtum ita firmiter conſtringi poſſe per tractionem funis, quando naſciturus propius propiusque ad limen vitae aëreae appellitur, vt, per partum protractum, ex circuli ſanguinei ſic conſtricto itinere, in magnum vitae diſcrimen adducatur. Plerumque autem nodoſi funiculi aberratio nihil aliud eſt, quam, quod *vaſa Vmbilicalia ordinatius tortilem ſuum tractum relinquant ac in capreolos quaſi extrauagantes luxurientur.* Quae nodi ſpecies arteriam complicatam in capreolum multo longiorem reddit, quam portio alias permitteret funiculi ad vmbilicum relicta. In longiori vero arteria, ſanguis, per aëris frigidioris contactum coagulatus, anguſtatione item arteriae impeditus, citius haemorrhagiae, per non obligatam chordam metuendae, obicem ponet. Inquirat itaque ſector, *cuius naturae ſit nodus forte praeſens.*

VII. Ac-

c) Tabula XXIX. ſuarum Tabularum anatomicarum de vtero grauido.

VII. Accedimus iam ad corpuſculum infantis ipſum. Tanta vero obſeruabilium turba obrui noſmet ſentimus, quae aptam partitionem penſi amplioris fieri debere, monet, cuius beneficio, expeditius per ſingula eundo, totum denique, quoad vires et ſcriptionis limites ſinunt, emetiamur. Praecerpere igitur maturitatis ſigna, viſum, cuius defectu, veluti omiſſione potius curae decenter fouentis, tenerum nimis vitae incertae ſtamen latenter abrumpitur, quam violentia commiſſa, nouae in lucem aduenae certioris vitae ſtabilita ſuo robore vſura eripitur. Vitae dein poſt natiuitatem ſuperſtitis certitudinem, cum mortis genere, proſequemur. Memores tamen in iisdem tradendis ſemper erimus, nos non promiſiſſe medicinae forenſis ad illa diiudicanda ſyſtema, ſed regulas per anatomen eruendorum ac ſubminiſtrandorum indiciorum, ex quibus quaeſtio, de vita et mortis genere, ſecundum medicinae forenſis principia, decidatur. Haec vero indicia exhibent vel corpuſculi conditio vniuerſa, vel violentiarum hic ibi reperta veſtigia, vel conformationis vitia externa, vel peculiares interiorum viſcerum ac ſingularium corporis regionum affectiones. Collum itaque, iubente ſic ordine anatomico, ſigillatim perſcrutabimur, dein pectus, tunc abdomen, denique caput.

VIII. Foetum intra vterum facilius calore matris ſuae, intra 96 fere gradus Thermometri Fahrenheitiani aequabiliter conſiſtente, foueri, quam

quam aëris atmoſphaerici viciſſitudines, absque noxio refrigerio, perferre, eundem porro ſanguine, quem, cordis ac arteriarum ſuarum viribus ſibi inquilinis, ex placentae ſuccis, ipſe ſibi parat, facilius nutriri, quam crudiore matris lacte, eundem denique facilius a reſpirationis labore feriari, quam 30000 reſpirationibus intra 24 horarum tempus defungi, iſtud, vel ex leuiſſima virium ad ſuos effectus aeſtimatione, iuxta perſpectiſſima ſtatim perſpicitur. Exinde etiam aeque prona conſecutione efficitur, foetum vitae facilioris tamdiu praeſidiis indigere, donec, cum augmento corporis, tantum virium ac roboris indeptus, vt calorem ſibimet conſeruare, lucem, ac aëris ſonos perferre, reſpirationibus tot ciendis ſufficere, lac ſugere, deglutire, concoquere, in ſanguinem mutare, faecesque reſiduas rite expellere valeat. Qui ad haec vitae ducendae ac ſuſtentandae munia validus euaſit foetus, eum maturum dicere ſueuimus. Quaeritur: quot grauiditatis menſibus maturitatem illam conſequatur, quibus ſignis cognoſcatur. Silet iam ratio, quemadmodum in praeuidendis naturae ſingulariter definitis effectibus, niſi ab experientia prima coniecturae ac vlterioris ratiocinii fundamenta prius accepit, quantumuis ſibi confiſa, perpetuum tenere ſilentium, neceſſe habet, aut nugari periclitatur. Adorandus vitae noſtrae amator, Deus, poſt noni menſis ſolaris finem, longe plurimos mortales in lucem prodire iubet. Eumue partus terminum maturitatis neceſſariae prae-

praeſidium ſimul nobis afferre, promittit illico ſapientia benignitasque Summi naturae legum Machinatoris. Videmus etiam, qui hac geſtationis aetatula pronaſcuntur, eorum maximam partem non ſolum edurare difficilius nouae vitae ſtadium, ſed etiam, ſine artis blandimentis, ac curae fouentis exquiſitiſſimo moderamine, ſuperſtites eſſe. Hebdomade itaque 39 vel 40 maturus fit homuncio, minusue vitae ducendae blandimenta, ab arte concinnanda, ſibi depoſcit. Vt propius huic maturitatis culmini adpropuinquauit, intraque noni minimum menſis ſolaris tempus d) fretum natiuitatis viuus traiecit, reſpirationemue inchoauit, hoc plus ſpei ſuppetentium eousque virium oſtendit, quibus, accedente, primis ſaltim diebus, ſollicita caloris et alimenti applicatione, debilitatem primam ſuperet, ac tandem confirmatior vitam protrahat. Quo vero a nono menſe plus recedit, hoc minus rariusue blandiens fouensque quam maxime cura vitae tenerae ſtamini conſeruando ſufficit, vt Roederus, harum rerum arbiter grauiſſimus: „*vitem eſſe*, pronunciet e), *octimeſtrem*, *immo* „*ſeptimeſtrem*, id eſt, viuum quidem pronaſci, „*aliquamdiu etiam ſupereſſe, non manere tamen* „*ſuperſtitem*, ſed breui deponere animam. Quando

d) ROEDERERI *Elementa artis obſtetriciae.* §. 219. „Ante nonum menſem foetus maturus cenſendus non eſt.

e) l. c. §. 716 et 717.

do igitur pauperculae matres, improuiſo prae- ſertim partu correptae, cum ipſae neſciunt ex- quiſita artis fomenta blandimentaque, nec a ſo- dalibus, aeque imperitis, facile edocentur, tum, ſi callerent artificia fouentia, indigentiam tamen ſubitaeque opis adeo feſtinandae imparabile ſub- ſidium facile excuſant: ſua debilitate, nullo ad- miſſo crimine, interiiſſe nono menſe inferiores partus, fere cenſentur, niſi aperta violentiae ſigna aliter ſentire iubeant, veluti vulnus periculoſum, ſugillationes, oſſa fracta, praecipuae cranii, ſuf- focationis indicia, corpuſculum exſangue, ſimul- que mortis, intra vterum ex defectu alimenti conflatae, notis deſtitutum. Praecipuum itaque nobis, qui notas infanticidii, per ſectionem, plenius cognoſcendi, tradendas habemus, tracta- tionis noſtrae obiectum manet partus maturus, ni initio decimi, currente tamen nono menſe ſolari, excluſus. Iſte quidem a matre ſana ac vegeta, partu etiam naturali ac facili redditus luci, maxime quando reſpirauit, parricidio in- teremtus, non ſine maiori veri ſimilitudine, ſu- ſpicatur. Hinc eſt, quod Nemeſis CAROLINA partum praeſertim toroſum, qui articulis ad motum muſcularem rite obfirmatis, *ein Glied- mäſſig Kind*, vindicandum iubeat.

IX. Neruoſae adeo ſignificationis lectiſſimo toroſi foetus vocabulo ſapienter vtitur Conſtitu- tio illa Aurea, vt non ſolum, quid fieri debeat, inde intelligatur, ſed maturitatis ſimul nota in- ſigniatur depoſcens vindictam homulus. Et po-

terunt

terunt omnino, *ex toroſo corporis habitu*, vtplurimum maturitatem vel primo agnoſcere adſpectu, quiqui puerperis inſeruire, recenterque natos magnitudine ac plenitudine varios oculis vſurpare ſueuerunt. Quid vero, ſi ſectori Phyſico ea experientiae pars forte defuerit? Temere tunc ipſi creditur. Operae proin pretium facit ſector, qui alia immaturitatis ſigna adfuiſſe, vel abfuiſſe, ſigillatim teſtatur. Qui multis aetatulae paraſangis inter ſe diſtant foetus, nouimeſtrem e. g. a ſemeſtri internoſcere, cuiuis in procliui. Octimeſtrem autem, ſola magnitudine et plenitudine, a nouimeſtri diſtinguere, haud ſemper facillimum erit. *Rubor itaque cutis*, quando praeſens, immaturitatis ſignum annotari meretur. Embryones primorum menſium pallent, corpore lympha magis, quam ſanguine adimpleto. Aucto dein cordis ac arteriarum robore, plus laticis purpurei ſenſim elaboratur, vt vltimis menſibus muſculi ſuum honorem rubrum induant, ipſaque cutis rutilet, laetius etiam, quam artificioſus fucus, quem floridi coloris affectatrices feminae genis affricant. Cum perfecta iterum maturitate, alia corporis pars, poſt aliam, phoeniceum illum habitum ſenſim exuit. *Vltima roſeum retinent colorem, cum facie, manuum volae, pedum plantae, ſcrotum, mammarum papillae.* Loco ruboris *nonnunquam liuent.* Liuere credimus immaturos eos, qui dudum ante natales, morte minus lenta, nec ob deficiens nutrimentum ſubrepente, viuere deſierant,

aut quos ſanguine plenos donec examini legali ſubiiciebantur, alluens aër putredine iamiam vitiauit. Obſeruationibus tamen ſententiam hanc noſtram nondum vidimus confirmatam, ipſi ergo nos fidem pleniſſimam coniecturae veriſimili interim denegamus. Hoc vero magis ambiguum manet ſignum, quia foetus maturi, qui in partu denati difficili, liuere etiam ſolent. *Ex mento, ac circa naſum praecipue, tubercula ſecacea, velut colliculi albicantes,* immaturo foetui *affatim protuberant.* Decantatum alias immaturitatis ſignum, a defectu vnguium, capillorumue, ſumtum, exulare encomia medica, mallemus, quum egregii harum rerum teſtes in ſemeſtri iam foetu, vngues cum capillis, quamuis argenteolis et ſingulariter ſplendentibus, deprehenderint. Cutis potius notamus *laxam mobilitatem ſuper ſuas carnes et oſſa. Quam ponderoſum infantis ſit corpuſculum lance explorandum, et ad pondus vbiuis magis commune, quale medicum, ratio iuuenta redigenda.* Vtiliſſimo ſane inſtituto Vir maioribus artis ſalutaris, quae ab ipſo exſpectare licebat, commodis praematura morte ſurreptus, Roedererus, 113 partus catalogo comprehendit f), diligenter notatis, primo conceptionis, inde partus temporibus, certis vt fieri potuit proximis, notatis porro cuiusuis pondere, ac in vltimis

f) *In Diſſertatione de temporum in grauiditate et partu aeſtimatione.* Reſpondente S. F. G. DIETZ. 1757.

timis obſeruationibus, longitudine corporis porrecti. Ex tot naturae exemplis igitur diſcimus, rariſſimas fore exceptiones contra inductiones inde formatas ſequentes g). *„Infans, qui ae„quat pondere, vel ſuperat ſex libras, maturus „cenſendus* h). *Immaturi foetus proprium eſt „pondus, quintam libram non excedens"*. Inter quintam vero ac ſextam libram medii, immaturitatis diiudicationem inde ambiguam, ex aliis ſignis demum certiorem ſortiuntur i). *„Quae „infantis in directum protenſi longitudo pedem „cum nouem pollicibus excedit*, ad maturi partus „periodum pertinere videtur, quod iſtum lon„gitudinis exceſſum in immaturis nunquam ob„ſeruauimus. *„Longitudo autem, quae pede „cum dimidio minor eſt*, indicare immaturum in„fantem videtur". Quoniam minor in menſura longitudinis, quam pondere maturorum et immaturorum, differentia inuenitur, *hoc exactius infantuli longitudinem inire, et ad menſuram vulgo notam, qualis Rhenolandica eſt, exprimere decet.* Nuperus infantulus, roſeo faciei ac ſcroti colore aliquantum immaturitatis adhuc habens, intraque 35 et 36 hebdomadem aeſtimatus, pondere ℔r. Helmſtad. VI. ℥xi, ſiue ℔r. VIII. medicas ℥xi, longitudine pedem cum $7\frac{1}{2}$ pollicibus menſurae Rhenolandicae Domino PRAESIDI exhibuit. Haud neſcimus, Oſteoge-

 niam

g) l. c. §. XIV. N. 1.
h) ibid. N. 3. i) ibid. N. 4.

niam foetus multum ſignificationis habere ad aetatulam diiudicandam, ſed repetitis experimentis, iisque eo reſpectu certis, quod conceptionis tempus neque matrem fefellerit, neque mater ſectorem fallere voluerit, adhuc opus, donec Oſteogeniae plus poſſit confidi, quam ſignis maturitatis adductis. De reliquo ſcientiam in anatomicis adeo exactam deſiderat, qualem a plerisque ſic dictis Phyſicis, ſectionem legalem obeuntibus, fruſtra exſpectes.

X. Ad affectiones corpuſculi vniuerſales, aut in ſuperficie eiusdem comparentes, quod attinet, cum medicinae legalis ſcriptoribus, *rigoris emortualis* animaduerſionem primo tradendam putauimus. Obriget exanimus homo. Qui ſanguinis profuſione, aut cum conuulſionibus interierat, intenſioris rigoris contumaciam obiicit. Rigent denique fortius, qui a morte ſubito refrigeſcunt frigore. Minus e contrario rigidos deprehenderis, quos tepor aeſtatis, aut ſtraguli aliquamdiu defuncto conceſſus calor lentius ac ſenſim frigeſieri ſinit. Indidem intelligitur, quare infantulus, qui magis riget, aut perbreui ante natales, aut viuus adeo natus obiiſſe, aliqua cum veri ſpecie, credatur, quare infantulus flexilior ante natiuitatem viuere deſiiſſe putetur. Sed parum fidimus rigori, ex tot cauſſis variabili. Sit ſignum iuuans confirmans. Soli hoc minus tribuitur, quo peritior talium rerum teſtis requiritur, quae Semioticen, vocula magis et

minus,

minus, obſcuram, neque ſatis certam menſuram habent. *Colorem, cum totius corporis, tum ſingularum partium ſingularem,* ſilentio male transmitteremus. Pallent abortus minores, et ſi qui foetus ex nutritionis defectu languida morte interierunt. De rubro ac liuido colore, tanquam immaturitatis ſigno, ſuperius diximus. *Liuere* vero ceteroqui *poteſt foetus, ex alia quacunque cauſſa ſanguinem alicubi accumulante,* ſiue caput foetus in anguſta pelui diu incuneatum, ſiue oſſibus appulſum, ſiue oris vterini corona durius diutiusque comprehenſum, affligatur; ſiue cernuo poſitu defuncti quanquam infantis caput diu verſus infimum dependerit locum, quemadmodum adultorum etiam cadauerum ſanguine plenorum terga liuore foedantur, humoribus imum locum proprio pondere affectantibus; ſiue rudius violentiusque compingantur, quaſſentur, contundantur, premantur, allidantur, conſtringantur eius quaecunque membra, *ſicuti funiculus collum arctius illaqueans liuidam imprimit zonam.* Nobile omnino magnum ac firmum *ſugillationum hic ibi ſingularium* eſt ſignum, quo de vita poſt natiuitatem acta certi reddimur, etiamſi reſpirationis confirmatione careamus. In partu enim facillimo clam parientium nihil plerumque, vide §. XX. eiusmodi violentiae ſugillantis ad infantem peruenire poteſt, *excepto tumore aliquali proxime et pone fontanellam,* oris vterini comprehendente corona excitato. Effugium tunc ſupereſt vnicum infanticidis, vt, prae-

 cipiti

cipiti effuſione infantem ſugillatum, perhibeant. Niſi itaque ab immaturitate, a pondere fluidorum, ſtatim liuoris inſons cauſſa agnoſcatur, liuorque magis aequabilis late cutem ſolam occupet, absque ſanguinis ſuffuſione ſubter cutem, quod partubus, ſanguine plenis, intra vel extra vterum extinctis, haud infrequenter accidere, iam diximus: *non ſolum retegenda cutis, ſed muſculorum quoque eius loci ſtrata poſt ſtrata dimouenda; vt conſtet, quousque, et quaenam partes nobiliores, ac quo gradu, durius habitae, ac effuſo ſanguine ſugillatae. Idem, quod ſugillatio, exigit tumor praeternaturalis cuiuscuius indolis apparens.* Contra opinionem vulgarem obiter monere refert, non ſemper liuere facie foetus, quibus, aut os vteri, aut funiculus circumductus collum conſtrinxit k), etiam ad enecationem. *Sugillationum etiamſi leuior initio ex colore rubido aut atro caeruleſcat*, ſicque faciliorem diagnoſin habeat, ab *maculis putridis, quae ſubuiride quoddam ſibi admixtum oſtendunt*, progreſſu tamen putredinis nullo certo diſcrimine inter ſe diſtinguuntur, *niſi forte locus decolor molliter tumeat, collectiue tabi colluuiem manifeſtet inueſtigatori.* Surripit igitur vel propterea putredo inſignior ſectionis legalis emolumentum detegendae vitae partus poſt natiuitatem, cognoſcendiue mortis generis. Oſſium ſaltim fractorum et vulneris acie inflicti veſtigia putredine non delentur. Sed poteſt

k) ROEDERERI *ſutura de ſuffocatis* §. 4.

poteſt etiam mortuo ac putrido infanti vulnus infligi, quod ſectorem omnia circumſpicere monet, vt tale cognoſcatur. Infans vero, qui manifeſtas putredinis notas, in lucem haud difficulter leniterque progreſſus, ſecum iam affert, ante natales vita exceſſiſſe, certo ſcitur, quanquam nulla e contrario valeat concluſio ad vitam ex putredinis abſentia. *Notetur itaque, an cuticula ex facili de cute ſeceſſerit, abdomen an ſolum liuore foedum, an totum corpuſculum intenſiori putredine maceratum ad mollitiem cultro inhabilem. An Meconio corpus apparuerit conſpurcatum*, mentionem facere in teſtimonio denique ſuo, ne medicus intermittat, diligentiae ſuae et accurationis documentum additurus, licet vitae ac mortis dubium vehementer ſignum.

XI. Quodſi *vulnus* alicubi affuerit; *eius ſimplicitas, vel compoſita indoles, longitudo item, ac directio tam longitudinis, quam profunditatis ſollerter indagentur.* Vtque certius de laeſionis periculo conſtitui queat, nolit grauari ſector, cute retecta, *muſculum poſt muſculum, vt artis eſt, ſeparando, ad neruos et vaſa maiora oculos intendere, ſuo nomine proprio, dummodo ſcirit, quoduis inſignire, et ad maiorem rei confirmationem, ortum vaſis et nerui laeſi, cum decurſu, ſi non toto, ex parte tamen ad probandum ſufficiente, deſcribere. E longinquo vulneris praeparationem deducat ad vulnus.* Sic enim facilitati ſimul praeparationis, atque certitudini deſignatorum optime conſulitur. Neque cauſſidicus aciem cultri

anatomici accuſare poterit, quaſi laedendo amplius, quae laeſa non erant, vulneris periculum temere aggrauauerit. *Stigmata, acus compunctioni ſimilia, eandem ſibi depoſcunt ab anatomico ſollicitudinem, vt ſciatur, quam alte, ad quas partes, acus adacta.* Fontanellam, et coärticulationem capitis cum vertebris colli vtplurimum verſuta improbitas ſibi deligit. *Ad quae proin loca attentione praecipua oculos figere decet. Monſtrum* ſi forte partus fuerit: *in quantum a decente hominis forma recedat, omni data opera deſcribendum, maxima tamen debetur tum attentio encephalo cum organis ſenſoriis, de quibus in encomium ſectionis referat, qualia haec ſenſoria deprehenderit. Diſpiciat: an natus imperforatus ad os, nares, anum, vaginam, vrethram, anque aliud quidpiam morbidi aut vitioſi extus compareat.*

XII. Corpuſculo in vniuerſum a calce ad verticem conſiderato: ſingularum tandem eiusdem regionum animaduerſiones peculiares adhuc reſtant. Non videmus, quid impediat, quo minus ab collo exordiamur. Si nihil ſic delinquitur, opportunius capitis conſiderationem fini reſeruamus, quandoquidem cerebri diffiua illuuie manus adminiſtratoris ac corpuſculum aequo citius inquinarentur, cum aliquo reliquae ſectionis taedio gratis accumulato. Circumſpiciat igitur in collo Phyſicus ſectioni praefectus de *zona liuida*, ceu funiculi circumducti veſtigio. *Nucham praeſertim examinet*, quam appetunt acu infanticidae.

ticidae. *Capitis dein circumuolutionem tentet, an mentum multum vltra humeros reuolui patiatur.* Infantes, quemadmodum reliquorum artuum, ſic capitis laxiores quidem motus terminos habent, neque tamen eo vsque indulgentes, vt faciem poſſis ſine vi ad dorſi auerſiſſima obuertere. Succedente tamen eiusmodi extrauagante circumuolutione, gula, quod dicitur, obtorta, miſellus interemtus eſſe, merito ſuſpicatur. *Operae tum pretium eſt, detegere cute muſculos, et earum carnes ad vertebras vsque luſtrare, quae aut disruptae, aut ſugillatae, altero certe in latere, deprehendentur.* Vertebrarum, ſecundae praeſertim, tertiae, ac quartae, etiam quintae *inter ſe commiſſurae veniunt examinandae, ſi forte fractae, luxatae, ſuis ligamentis hac illac diſſolutae compareant.* Dumque ſuo tempore ad capitis perueſtigationem deuenitur, *ne praetermittatur, accuratae medullam Spinalem contueri, an ſanguine effuſo inundata, an nerui inde egredientes Ceruicales cum Acceſſoriis abrupti. De reliquo vaſa colli maiora, vena maxime Iugularis Interna, quoad plenitudinem ſuam, quantum ſanguinis habeant, aduerti merentur, quod, diſſecto Sternomaſtoideo, et dein vel ſcalpelli manubrio repreſſis carnibus vicinis, ſtatim ſub oculos cadit.* Vltima in collo et vtiliſſima contemplatio eſt *Aſperae arteriae. Haec igitur denudetur, ſubque larynge per longitudinem aperiatur, vt in conſpectum prodeat, ſi quid ſingulare in ſe concludat. Si aqua effluerit pura, ſi coeno referta,* in aqua, in coe-

no ſuffocatum infantulum, certo ſic noſceretur, quoniam mortuus infans aquae aut coeno quamuis diutiſſime ac alte immerſus [l]) nihil eius in pectus recipit. Si vero nihil effluit, ſuffocationis ideo ſuſpicio non ſtatim aboletur, quando ſuffocatos nonnullos aquam, aut coenum non attraxiſſe [m]), aeque certis conſtitit obſeruationibus. *Si porro thrombus mucido viſcidus ex Aſpera protraheretur*, qualem in nupero infantulo Dominus PRAESES deprehendebat, non eſt, vt aliam mortis cauſſam circumſpiciamus, *ſimiliter vbi Bronchus liquoris multum continet. Si ſanguis, aut alius viſcidulus, ſimulque ſpumoſus prorumperet humor*, vixiſſe teſtaretur infantem, et oppreſſa reſpiratione mortuum, niſi putredinis ſigna mitigent illud iudicium. Ergone matres parricidae ſemper opprimunt animam ex ſe nati? Viſum fere ita medicorum ipſis antiſtibus. Etenim vix, aiebant, veriſimilitudinem habere, vt, ex ſana matre, partu facili, prognatus, poſtquam reſpirationi primae ciendae ſe parem oſtendit, infirmitate ſua pereat, veri ſimilius eidem violentia opprimente reſpirationem interceptam deſiiſſe. Quodſi, ob illam, ex ſpuma comparente, veriſimilitudinem, iudici exſiſterent modo ſuaſores, vt ſuſpectam matrem quaeſtionis ſeuerioris oſtentatione terreret: argumenti illius digni-

l) ROEDERERI obſeruat. medicar. ſatura de ſuffocatis. §. 15. N. 1.

m) ROEDERERI *obſeruat. de ſubmerſis aqua* §. I. II. et III.

dignitati abunde ſatisfactum, cederemus, quod omnino parum eſt, vt, pro cauſſa reſpirationem opprimente, mater ſimpliciter habeatur. Meminiſſe par eſt, quam procliues ad Epilepſiam ſint tenelli partus. Eamdem vero generare ſpumam, ſcimus, quae ipſa illa Bronchi ſpuma aëris inſpirationem vlteriorem denique intercipere, quemadmodum Epilepſia per ſe, aliis pluribus modis, natum interimere, poteſt, citra omnem matris culpam. Non audire denique nefas adeo eſſet audiendum imprimis Roedererum, facti n) luculentiſſimum teſtem: quod nati reſpirare demum coeperint partus, eiecta, ex Aſpera arteria, humore, pulmones inundante. Eiusmodi etiam puerulum, per horae quadrantem, abdomen atque thoracem primo motitantem, notabili muci copia dein eliminata, ſpiritum quidem debilem roncho ſubſonorum magis ceptare, quam ducere, poſt duodecim a partu horas denique extinctum, extincti vero Tracheam cum pulmonibus ſpuma viſcidula refertam, obſeruauit. Humor itaque abundans in pulmonibus plenam impedire poteſt reſpirationem, ſpumam generare, generata tandem viam aëris intercludere, natum ſuffocare. Et quidquid tandem ſpumam apparentem in Broncho ſignificare conceſſimus hactenus, nihil tamen ſignificationis retinet, in foetu putredine intenſiore vitiato, quoniam

n) in obſeruatt. medicarum de ſuffocatis ſatura §. VII. XI et XIII. N. 3 et 6.

niam pulmonis, neque per reſpirationem, neque per aëris ſufflationem, mutati Bronchus, ex ſola putredine, Domino PRAESIDI ſpumulam exhibuit.

XIII. Circa pectus quae ſectorem exſequi oporteat, iam praecipere, ordo noſter iubet. Vehementer vero veremur, ne gratis id facere illis videamur, qui Hebenſtreitii o) plenam elegantemque eius officii inſtitutionem norunt. *Cutem igitur, carnesue pectoris deſuper a clauiculae commiſſura cum Sterno vtrinque ſic incidimus, vt locum ſequamur, vbi cartilagines cum ſuis quaeque coſtis oſſeis confluunt. Caute tunc cartilago una atque altera incidenda, ne acies cultri temere excurrens contentum thoracicum laedat. Impetrato foramini digitus inſeratur, crates coſtarum eleuetur, ac ſuperimmiſſa forfice, coſtae omnes, quam late cauum thoracis ſepiunt, atque Diaphragma ſibi adnatum habent, diſcindantur. Clauiculas cum coſta prima, cultro iterum in manum ſumto, de Sterno liberare, expeditum magis putamus.* Effluet forſan humidum thoracicum; *quod quale, quantumue fuerit, notamus. Pulmones, ſi adhaeſerint Pleurae, digito admoto degluberemus, mentione eius quoque rei facta in encomio medico. Pulmonum ſitus nunc, praeter mutationis inductae metum, optime animaduertitur, an cauum pectoris bene repleant, et Pericardii poſteriora contigui amplectantur, an potius pone cor ad tergum reuoluti*

o) *Anthropologia forenſi* p. 411.

luti iaceant ac ſpatium ſuum minus conferciant, *quandoquidem hoc pulmonibus propria affectio*, qui aëre nondum, aut inſufficienter diſtenti. *Vt dein Sternum remoueatur, Mediaſtinum Anterius, preſſim ipſum Sternum cultro ſequentes, diſſecamus, quo modo optime cauemus Thymi aut venae Cauae Superioris intempeſtiua vulnera. Sternum ſic de Mediaſtino liberatum, in confinio adhaerentis Diaphragmatis perſciſſis forfice coſtarum cartilaginibus, omnino tollimus. Thymum poſtea nullo vulnere perſtringendum Mediaſtino eximere, illaeſae Caua, illaeſis Subclauiis, colorem eius annotare et aquae immittere, ſuademus,* quae experimento pulmonali parata habetur. *An natet,* tanquam putredinis ſignum, *an mergatur*, tanquam confirmans vtiliter momentum, notamus, certae vitae poſt partum, quoties pulmones in alto ſoli perſiſtunt. *De Pericardio referimus in noſtrum encomium intenſiorem ruborem forſan praeſentem*, velut effectum ſolemnem lentae ſuffocationis, aut ſanguinis, ex quacunque alia cauſſa, in pectus abundantius congeſti. Eandem animadverſionem habet *liquor Pericardii*, *quando in maturo foetu, loturae carnis ſpecie rubet. Plenitudinem poſtea vaſorum cordis maiorum ipſiusque cordis contuemur. Reſcindimus in collo Cauae Superioris ramos, arterias Carotides, Subclauias vtriusque lateris, Cauam ſimiliter Inferiorem. Spongia ampliori, ſiue pluribus, ex aqua mollitis, diligenter expreſſis, lance antea explorandis, vtimur, pro abſtergendo inbibendoque ſanguine, non*

ſolum

ſalum thoracico, ſed eo omni, quem profundimus, tres ventres corporis ſic dictos perſcrutando. Conſilii rationem fini diſſertationis reſeruamus. *Dein Trachea cum Cauo Superiore, et Aortae Adſcendentibus ramis, leuatis, Mediaſtino Poſteriori perſciſſo, amputata Aorta Deſcendente, diſſecto ſuper Diaphragma Oeſophago, pulmones cum corde eximimus cauo thoracico. Ablutis, qui forte cruentati, iisdem et corde, pulmonum diſpicimus colorem. Albus, parum rutilus* deficientis ſanguinis teſtis. *Laete roſeum* inducit aër veſiculas pulmonales expandens. *Nullo autem aëre rarefactorum pulmonum adſpectus obſcure rubens, qualis cinnabaris ſublimati fruſti, non ſpongioſus, lineis tamen diſtinctus e fuſco nigris, quibus circumſcribuntur acini ſubſtantiae pulmonis. Diligentius vero tota pulmonum ſuperficies, quoad colorem, luſtranda, notatis primo, ſi quae ſe hic ibi offerant, obſcurius rubidis ſedibus,* vtpote ecchymomatibus ſanguineis, quae aqua ſubmerſis p) non ſolum familiares, ſed in vniuerſum ſignificant ad expanſos aëre pulmones effuſe congeſtum ſanguinem. *Notata ſimiliter laete miniacea particula, quae forte in pullo, ac rubido reliquo pulmone diſtinguitur,* imperfectae reſpirationis veſtigio, cuius vi aër nondum totum pulmonem peruadere, ſed lobulum ſaltim inflare valuit. *Notato denique loco duriore, ſcirrhoſo, crudi tuber-*

p) ROEDERERI *obſeruatt. de ſubmerſis aqua* §. IV. N. V.

tuberculi ſpecie, ſi tacta contrectante talem in foetu deprehendere cuiquam contigerit. Quo ſeparatim exſecto, pulmo reliquus merſionis, aut natatus fida nobis phaenomena exhibebit, et ſuſpicaci dubitationi Summi Viri b. m. HEISTERI ſic erit ſatisfactum. *Pulmones dein inuerſos, vt Bronchus liber dependeat, digitis per aliquot minuta ſuſpendere ſuademus; maxime, quando ex Aſpera quidpiam effluere vidimus*, ad cognoſcendum, quantum eius ipſa forte pulmonum ſubſtantia contineat, quoniam pulmonibus ita fluido quocunque plenis q) inſpiratio aut prorſus cohibita, aut imperfecta, cum ſpuma necante, non potuit non fieri, in foetu, quamuis viuente nato ſed ope deſtituto. *Ad cruoris poſtremo conſiſtentiam attendendum, qui pertuſo Atrio Siniſtro de venis Pulmonalibus exiit. Niger ac coagulatus cum eiusmodi ſtigmatibus*, an confirmans indicium fumi ſulphuris, quo ſuffocante mors puſioni concitata? Problema eſto, donec certas quis afferat obſeruationes.

XIV. *Celebre pulmonum experimentum* iam nunc tradere niſi nobis imponeret inſtituti quaedam neceſſitas: abſolutiſſimis circa eam rem vel Praeſtantiſſimi r) Hebenſtreitii praeceptis, non ſolum

q) Vrgente id IOH. ZELLERO in Diſſert. *Infanticidas non abſoluit, nec reſpirationem foetus in vtero tollit pulmonum infantis in aqua ſubſidentia.* Tubing. 1691.

r) *Anthropologiae forenſis* p. 411. 412.

ſolum quiuis Phyſicus ſectioni praefectus viam tutam exploratamque ingredi poſſet, ſed etiam nos lectorem huc transmittere mallemus. Breuiſſimis tamen hanc etiam telae partem pertexere tenemur. Aqua, in qua pulmonum reſpiratione generatam raritatem exploramus, ſuas ſibi requirit cautiones. *Aqua praefertur fluuialis puteali,* ex circumſpectione magis Phyſicorum quorundam ſcrupuloſiori, quam cum vero experimenti diſcrimine, effectum explorandum fruſtrante. Sunt item, qui non in vnda ſolum frigida, *ſed etiam tepida, omnium minime autem calidiore*, vtpote carnes quasuis teneras criſpante, pulmones experiri iubent. Eatenus vtile conſilium, quatenus acinus vel lobulus pulmonalis, imperfecta inſpiratione miniaceus factus, reliquo pulmone non mutato, *quatenus idem ille lobulus, quocunque diuerſo poſitu aquae impoſitus, etiamſi pulmo lentius mergatur, ſupremum initio locum quaſi enando tenet, dein ſimiliter ſuperiora reſpicit mergendo,* quatenus, puta, talis lobulus, vt aëre paullum rarefactus, aqua tepida melius dignoſci poteſt. Ad aquae neceſſariam quantitatem quod attinet, caueat medicus de ſecto cadauere renuncians, ne reproba iſta vtatur formula, *ſufficientem aquae quantitatem ſe experimento impendiſſe.* Cauſſidici alias maligno pectine miſere carpitur, corporisue delicti liquida certitudo nonnunquam ad incertitudinem ferme detruditur. *Capacitatem potius vaſis, quoad diametrum, quoad profunditatem diſertis menſurae numeris exponat, et quousque deſcri-*

deſcriptum vas aqua fuerit repletum. Quo profundius deſcendere pulmones videmus, hoc melius ſtat experimenti fides. *Huic ita quidem procuratae aquae, cum corde, maximam partem ſuo ſanguine orbato, integer pulmo non iniiciatur, ſed moderata manu imponatur. Notetur: an totus pulmo ſupernatans perſiſtat? an mergatur lente, particula aliqua forte eius tum effectante ſupera? an ſubito ad fundum deſcenderit?* Quando totus pulmo cum corde ſupernatat, minus quidem neceſſe eſſet, neque tamen in re tam ardua ſuperuacaneum omnino cenſuerunt ſummi medicinae legalis dictatores, *vt, ſeparato corde, immiſſio pulmonis in aquam iterum, et adhibita modo commendata attentione fieret. Multo vero magis experimento iterato, absque corde, opus, ſi lentior ad fundum deſcenſus fuerit, maxime, ſi quae particula ſuperiora affectarit, vt adeo tunc tepidam aquam adhiberi ſuaderemus*, pro facilius cognoſcenda imperfectiori reſpiratione. *Iuuerit praeterea, alio atque alio poſitu, alia atque alia parte, modo dextra, modo ſiniſtra, modo ſuprema, modo infima, pulmones aquae committere, atque obſeruare: an quadam conſtantia ſingularis pars mergendo ſuperiora reſpiciat?* Ad quam tandem detectam maior ſollicitudo adiicienda, vt colore miniaceo, leuitate praecipua, inſpirationis vim expertus lobulus cognoſcatur plenius natatu. Quo tandem omnis dubitatio eripiatur ad contradicendum obſtinatis, male, aut dubiae cauſſae patronis, *fruſtatim forfice concidantur pulmones,*

ea diligentia, qua, ſcirrhoſa a reliquo molliore, laetius miniacea a pullo, ſuperiora affectans inter mergendum particula ſeparatim a citius ſubmergente pulmone reſecetur. Omnia dein fruſtula aquae imponantur. Ceterum pulmo aëre inſpirato rarefactus, aut putredine tactus inter ſecandum ſtridet crepitatu obſcuro. *Omnium fruſtulorum mergentium* notatu digniſſima animaduerſio, quia inde partum non reſpiraſſe concluditur, cuius nonnunquam cauſſa humor pulmones complens. *Quorundam ſaltim mergentium*, ſi vitium intra foetum latet, ſcirrhus, aut farciens humor, aut ſanguis effuſus, aut inſpiratio in completa cauſſa habetur. *Quorundam ſupernantium, quanquam reliqua fruſta deſcenderint*, indicium imperfecta reſpiratio. *Omnium ſuperficiem aquae tenentium* ſignificatio, quod natus aut poſt pleniſſimam reſpirationem defunctus, aut putredine rarefactus.

XV. Contra has vltimas concluſiones, vtpote in re ardua, Egregiorum Virorum laudabile omnino ſtudium varia excogitauit, quibus certitudinem pulmonum experimenti, aut deſtructum, aut ſaltim circumſcriptum irent. Reclamauerunt itaque:

1) ipſo in vtero clauſo, ex aëre, intra fluidum Amnii, expedito, ſuppetere embryoni s), vnde reſpiraret. Adiecerunt inſuper pipitum pullo-

s) IO. ZELLERI diſp. cit. *quae exſtat. in diſpp. anat. ab* V. HALLER *ſelectar. Vol. V, p.* 8-12.

pullorum, in oui cortice, nondum fracta, comparationem inſtituentes nutritionis ſimillime pulli in ouo, atque hominis intra matricem [t]). Quodſi vero intra vterum iam reſpirat homo, quale vitae poſt natiuitatem actae indicium eſſe poteſt pulmo aëre diſtentus?

2) Sin minus in vtero reſpirat, ante liquoris Amnii effuſionem, antequam apertura vteri diducta: poterit tamen reſpirare foetus, velamentis ſuis ruptis, ore ad aperturam vteri forte poſito [u]). Reſpirantis ergo foetus reſpiratio, antequam ſinu matris excutitur, nullum eſt indicium vitae poſt natiuitatem protractae.

3) Sin minus toti foetui intra vterum adhuc moranti reſpirandi poteſtas: ſpiritum tamen adducturum eſſe, dum capite propulſus aura libera circumfunditur [x]), in vagina, multo magis, dum capite iam extra ſinum propendet.

4) Potuiſſe infanti nato aërem a quopiam eſſe in pulmones ſufflatum. Quod vero ſufflati aëris effectum, non vitam, teſtaretur.

5) Fallax eſſe experimentum, quia pulmo, in qua computruit, aquae ſublime teneret. Vt

 primum

t) *l. c. p. 10.*

u) *Inſignis* IVLIAE CAROLINAE *quondam Doctoris*, L. HEISTERI *Diſſ. de fallaci pulmonum infantis experimento. Helmſt. 1732.*

x) *Eph. N. C. cent. I. obſ. L. p. 121.*

primum eundem pulmonem in aquam recentem inieceris y), mergi dicebatur.

6) Poſſe pulmonem mortui infantis intra matricem, aut poſt natiuitatem, putredine rareſieri.

XVI. Iſtis vero §. praecedentis obiectionibus dudum ab aliis Oculatis Viris paratam habemus refutationem.

Ad. 1. ergo reſpondemus; a pullo in ouo, ſi vera fide, intra corticem nondum fractam, vnquam pipiuit, non valere concluſionem ad foetum humanum, qui vndique aquis immerſus, matricis praeterea arctatione vrgetur, quominus thoracem aëri vel verius occurrent expedire poſſit.

Ad. 2. Quando ob faciem osque infantis aperturae vteri propinquum, laceris velamentis, effuſis aquis, aëre liberius admiſſo, poteſtas reſpirandi in vtero creditur: totus caſus huc parum pertinet, quia infanticidae longe plerumque ſolent clam parere, et quia os ad vteri aperturam oblatum facilem breuemque partum vix admittit, ſed ſemper fere ope indiget obſtetricis. Atque ſi propius ad facilem §. XX. clam parientium partum pertineret obiectio illa de facie ac ore naſcendi ad vteri aperturam conuerſo: cogitandum praeterea eſſet, ſub

y) I. E. HEBENSTREITII *Anthropol. forenſ.* p. 407.

ſub tali foetus capitis iniquo poſitu, eius neceſſario collum vsque eo diſtendi aut obtorqueri, vt, vel propter hanc magnam colli diſtenſionem, reſpirare non poſſet. Cogitandum porro, letalis puerperii praeſagium artis obſtetriciae peritos compertum tenere, quando in feminis, quae praeſertim partubus nondum plurimis valde relaxata nactae ſunt genitalia, vterum, manu ſua inſerta, deprehendunt, laxius naſcendum comprehendere, idque vel tempore intercalari, quieſcentibus tunc doloribus. Compreſſio itaque, quam foetus ab vtero nunquam non experitur, inſpirationi ita officit, vt pectoris dilatationi, ventris expanſioni atque eius prouolutioni praeualenter reſiſtit. Vix igitur ac ne vix quidem extiterit caſus, qui ex hac cauſſa pulmonum docimaſiam poſſet certitudine ſua priuare.

3) Capite iam intra vaginam morante, vel etiam extra ſinum propendente, aëris quidem acceſſus adeſt, deficit vero thoracis perinde dilatatio, ac abdominis per Diaphragma prouolutio, ob conſtrictionem longe z) fortiorem orificii vterini vterique ipſius, ſine quibus autem infantis viribus nulla adeo inſpiratio.

4) vt Ill. Roedererus „*neque etiam a ſpiritu* „*ori inflato*, *aiat* a), *pulmones inflari dilatarique*, „*niſi*

N 4

z) ROEDERERI *obſeruatt. medicar. ſatura de ſuffocatis §. 10. 6. Confect. V.*

a) *l. c. §. 6. Confect. IV.*

„*niſi aliunde foetus reſpirauerit. Neque adeo iſtum* „*inflatum iudicium de pulmonum deſcenſu dubium* „*reddere*". Quantumuis autem ſolleřtiae ac experimentis forſan inflando factis Viri huius fide digniſſimi tribuamus, ſententiam tamen illam nondum noſtram facimus, re potius ad vlteriores obſeruationes reiecta, eoque magis, quoniam iſta concluſio parum ſtat talo recto: mortui infantis pulmones, ore compreſſo, aëre per nares ſufflato, expandere ac dilatare nequimus, ergo tentamen illud in viuo quoque infante erit fruſtraneum. Sunt tamen plurima, quae Roedereri ſententiae fauent.

5) Quando in ſectione infantuli legali fieri vix poteſt, certe non debet, vt pulmonum docimaſiam in aqua inſtituamus, in qua computruit prius ille pulmo, dubium iſtud nullius plane eſt momenti ad certitudinem experimenti infringendam. Neque vero tota ab Hebenſtreitio enarrata b) experientia, teſtium licet magni nominis producat ſymbola, per Viri „ doctrinae meritorumue plurimis luminibus Illuſtris, Medicorum apud nos Senioris Venerandi, P. C. FABRICII c) obſeruationem, ſolida, ſed potius falſa cognoſcitur. Quemadmodum Dom. PRAESES ipſe eius rei experiendae captum periculum non

Heben-

b) *Anthrop. forenſ. p. 406.*

c) *Zweite Sammlung einiger mediciniſchen Reſponſorum und Sectionsberichten.* Helmſt. 1760. *Vorbericht. Erſte, zweite und dritte Wahrnehmung.*

Hebenſtreitii ſententiae, ſed laudati Domini Conſiliarii experimento reſpondere comperit. Nempe pulmo foetus, qui ante partum fatis conceſſit, aquae commiſſus primo quidem fundum petit, interiectis dein pluribus, paucioribus, pro caeli temperie, diebus, in ſublime effertur, pergitque, vltra aliquot etiam hebdomades, eidem aquae innare; expedito tandem per putredinem aëre, grauior iterum fit mergiturque. Quod Dominus PRAESES fieri vidit, dum pulmo adhuc ſatis bene in ſua ſubſtantia cohaereret, neque in diffluam putrilaginem reſolutus eſſet. Quam diu ſuae aquae innatat pulmo, in qua computruit, tamdiu idem phaenomenon exhibet recenti aquae illatus. Et quamprimum in ſua, ad fundum deſcendit, deſcendit quoque in alia aqua, in qua non computruit.

6) Putredine poſſe pulmonem, qui nullo aëre attracto erat rarefactus, leuiorem fieri, vt ſimiliter aquae innatet, ac alius, quem reſpiratio mutauit, iamiam in proxime antecedentibus conceſſimus. Experimenta quidem adducta ad foetum extra vterum, ad pulmonem thorace exemtum ſpectant. Idem tamen per putredinem euenire foetui intra matricem putreſcenti, idemque, clauſo quamuis thorace, ab acceſſu ſic aëris pulmoni defenſo contingere poſſe, rationi adeo eſt conſentaneum, vt miremur Praeſtantiſſimi Hebenſtreitii argumentum d) pro contraria ſen-

N 5 tentia,

d) *l. c.* p. 408.

tentia, inde debile, aut potius nullum, quoniam, nec cerebrum, nec cor, ſuis caueis ab aëre externo ſecluſa viſcera putreſcere, aërisque putredine liberati efficacia reddi deberent leuiora. Sed redduntur nihilo ſecius ab aëris externi acceſſu licet tecta ac defenſa. *Infans itaque putredine iam vitiatus*, *ob natatum pulmonum* non ſtatim reſpiraſſe perhibendus eſt, ſed tum demum reſpirauit veriſimillime, *ſi ſolus pulmo natat*, *reliqua vero viſcera*, *maxime Capſulae Suprarenales*, *Thymus*, *lien*, *hepar merguntur.* Vix enim ratio inuenitur, quare pulmo citius putredine rarefieri deberet, quam reliquae partes. Adducta itaque viſcera reliqua, ob cauernales, quibus aër liberatus facilius contineri atque colligi poteſt, pulmoni inde ſimilia, quoties fundum adhuc petunt, pulmonem ex reſpiratione potius, quam ex putredine, nare credimus atque ſtatuimus. Inſigni cum voluptate, apud Incomparabilem eiusmodi rerum perueſtigatorem, Roedererum, coniecturae noſtrae, quam conceperamus, quam proxima quaque occaſione experimento explorare conſtitueramus, confirmationem e) reperiebamus.

e) *Obſeruatt. medicar. ſatura de ſuffocatis* §. 4. circa finem, obſeruatio ſine epicriſi, et §. 6. plenior obſeruatio cum conſectario IV. lectu digniſſimo exſtat. „Neque ſignum iſte deſcenſus ea „propter dubium euadit, quod pulmones, qui „ſpiritum nondum continuerunt, putridi aquae „innatant. Facilius enim diſtinctio eſt. Quando „pulmones natant, et aliud viſcus, cor v. g. vel hepar

bamus. Quod ſcimus, Roederero primo, inter Germanos ſane, iſta gloria debetur pulmonum docimaſiae vsque eo perfectioris, vt eius nunc valor, ne putredine quidem impediatur, niſi intenſior viſcera quoque notatanare, coëgerit. *Cuiuscunque itaque foetus pulmones natant, reliquis illis mergentibus,* is vixit reſpirauitque. Neutiquam tamen contrario modo ratiocinari licet: qui reſpiraſſe non cognoſcitur, ille ergo non vixit, ſiquidem Zellerus non ſolum cum Bohnio, ſed prudentiſſimus quisque noſtra aetate medicinae forenſis ſcriptor profitetur: viuere aliquamdiu recenter natos, absque reſpiratione, ac, antequam reſpirant, internecioni dari, vel ſua infirmitate perire poſſe.

XVII. Pulmo itaque foetus, qui ſpiritum nondum duxit, denſus et ruber, in aqua praeceps datur, niſi putredine ita fuerit mutatus, vt, cum aliis viſceribus, iam ſublime teneat, niſi porro aëre ſufflato forſan leuitatem conſequi poſſit. Pulmo autem, qui inſpiratione, quamuis vnica, quamuis

„hepar praeceps datur, foetus ſpiritum duxit; „pulmones vero cum natant, natat etiam cor, „hepar natat, reliqua viſcera natant, vaſa co„ronaria aëre plena ſunt, reliquaque putredinis „ſigna obſeruantur, de praegreſſa infantis reſpi„ratione dubii ſumus. Dictam hancce differen„tiam non ſolum ad ſuperiorem obſeruationem, „ſed ex pluribus aliis experimentis didici“.

quamuis imperfecta, aërem concepit natat in aqua, ni totus, tamen in partibus quibusdam ſuis, natatque ſolus, dum reliqua § praecedente adducta viſcera merguntur. Sola putredo intenſior pulmones ſimul cum aliis viſceribus nando aptat, reſpirationisue obſcurat diagnoſin. Aëris ſufflatio quid poſſit, in dubio reliquimus. Os vero infantis aperturae vteri propinquum non ſufficit pro aëre hauriendo, ſiquidem vterus arcte comprimens thoracem, atque abdomen dilatationem eorundem non permittit.

XVIII. *In abdomine ſugillatio, vel vulnus forte praeſens* anatomici attentionem excitet officiiue admoneat, *viſcerum internorum ſtatus hoc ſollertius examinandi. Ventrem autem in hunc modum aperire ſuademus, vt, a Spina Ilium Anteriore Superiore, inciſionis lineae, in angulum ſupra vmbilicum concurrentes producantur*, pro arteriis Vmbilicalibus integris ſeruandis, *vt porro ab vmbilico ventris integumenta conſcindantur, vtrinque renum ſuperiora petendo, neque eo vsque excurrendo. Notetur: an arteriae Vmbilicales ſanguine bene plenae ad tranſitum per vmbilicum?* Plenitudini harum arteriarum nondum ligatarum, in placenta §. V. earundemue fini libero vltra ligaturam funiculi §. VI. cum infante cohaerentis plurimum tribuimus. Parum vero et cum fiducia certa ſignificatus nihil omnino concedimus earundem arteriarum plenitudini, quoad Peritoneo inſtrata nondum vmbilicum traiecerunt, ſiquidem euacuatae quamuis, a morte, dum infantulus

lus tractatur varie flectendo ac premendo eius corpus, poſtea plenitudinem ſuam recipere poſſunt, plica et angulo ſic imminutis, quibus in extenſo infante tranſitus ſanguinis ex Hypogaſtrica in Vmbilicalem alias impeditur. Quodſi autem coagulo ad rotunditatem quandam plenae fuerint, inter pariendum, aut ante partum, obiiſſe natus, quodammodo videtur. Omnium vero minime Vmbilicalis venae plenitudini quidquam fidimus, quaſi de morte, aut vita nati ſignificationem haberet, vtpote quae diutiſſime aperta, ſanguini etiam peruia f) inuenitur. *In encomium ſectionis refertur de aqua, abdominalia forſan viſcera inundante. Notetur eius color, ſi loturae carnis inſtar flaueſcat.* Quod quidem in foetu aliquantum imperfectiore perinde nihil indicat, ac rubellus color liquidi thoracici g) et Pericardii h). In maturo etiam, partus, cum compreſſo capite, protractus Ill. Roederero i) rubellae aquae illuuiem obtulit. Vaſorum enim ſumme diſtentorum quoddam ſiue vera Diaereſi ruptum, ſiue eorum extrema Anaſtomaſi eo vsque

f) Diſſertatio erudita *de neceſſaria funiculi vmbil. deligat. in nuper natis.* Praeſide Viro Ill. BOEHMERO Reſp. *I. Burchart.* 1745. Collect. Hallerianae Vol. V. p. 646 et 647.

g) Ill. A. V. HALLER Elementa Phyſiologiae C. H. Tom. III. pag. 120.

h) Tom. I. p. 281. et ROEDERERI *obſeruatt. medic. ſatura de ſuffocatis.*

i) IBID.

que dilatata, vt, loco ſeri, ſanguinem tenuiorem exſudarint. Poſſe ſanguinolentam talem lympham, *cum inteſtinorum viſcerumue abdominalium vaſis vehementer ſanguine turgidis*, accedentibus ſignis aliis, confirmare: infantem maturum, qui, minus preſſo capite, partu facili ac breui foras dabatur, vixiſſe poſt natiuitatem, et lente cohibita quidem reſpiratione interiiſſe, probe perſpicimus. Quando vero mater haud neceſſaria atque vnica oppreſſi ſpiritus eſt cauſſa §. XIII: neque ſerum proin rubellum matris crimen certo declarat. Maiori vtique terret ſuſpicione *verus ſanguis in abdomen effuſus*. Maxima, *quando ventris integumenta ſugillatione ſimul inſignita deprehenduntur.* Nondum tamen illa maior ſuſpicio certitudinis omnes abſoluit numeros. Quodſi enim capite intra peluim compreſſo k), ſerum ſanguinolentum, ſiue Diaereſi, ſiue Anaſtomoſi vaſorum ſanguine pleniſſimorum generari potuit, ſi oppreſſa ſimiliter reſpiratio viuentis infantis abdominalia vaſa obruit atque diſtentit: quidni, ſine violentia matris, indicato modo verus ſanguis perinde in ventris cauum effundi poterit? Ac nihil tandem ſignificatus relinquimus ſanguini in abdomen effuſo, quoties ſector *non ſolum vaſa ſanguine pleniſſima, ſed etiam aëris bullis interdiſtincta, animaduertit.* Quemadmodum enim putredine generatus aër vaſa pulmonalia plena ſaepius perrumpit, vt mortuorum

k) ROEDERER. *l. c.*

tuorum demum ex ore ac naribus ſanguis affatim profundatur, adaeque aër vaſa ſanguine farta abdominis perrumpere et ſanguinis profuſioni portam aperire poterit. *Contenta tum abdominis viſcera peruestigantis anatomici oculos in ſe vocant*, examine digna, ſi forte inſidiarum vitae aëreae actae, conſtitutionis praeternaturalis quae, ſua morte, natum periiſſe teſtaretur, notas ſibi impreſſas oſtenderent. *Color cuiusuis viſceris contempletur, notato, prout liuoribus*, ecchymomatibus, vel ſtigmatibus quaſi petechialibus hic ibi variegata deprehenduntur. Plus inde concluditur ad vim externam, ventrem comprimentem contundentemque; ſi integumentorum ſugillatio concurrit. Parum vero certitudinis truculenta hinc deducta in matrem valet concluſio, quoties, absque ſugillatione externa, ſanguine admodum turgida Menſenterii vaſa 1) apparent, accedente inprimis putredine aërem liberante, qui, dein vaſis ſuis diſploſis, ecchymomata produxit. *Inaequalem itaque viſcerum ruborem praecipue notamus*; cum intenſiorem infantulorum viſceribus familiarem norint periti ſectores, neque mirentur, quid ſit, quod ex humorum ad abdomen colluuie nonnunquam minimorum vaſorum retia vltra, quam ſiphonis anatomici valet poteſtas, aequabiliusue inteſtina rubore tingant. *Hepatis color* an ſingulare quid poſſit ſignificare,

1) ROEDERERI *de infantibus in partu ſuffocationis obſeruatt.* §. IV. N. 3.

ficare, dubitamus, quoniam varie varius in variis inuenitur infantibus, ipſiusue aëris afflatu breui mutatur. *Quam plena fuerint non ſolum Meſeraica, ſed reliqua etiam abdominis vaſa,* id vtile ac omnino neceſſarium encomii ſectionis conſtituit momentum. *Ventriculi dein contenta curate examinare operae pretium eſt.* Foetus quodammodo immaturi *ex rutilo fuſcum ac viſcidum ſtomacho concludunt magma,* idque obſcurius, quam illud, quod cyſtidem felleam replet. Maturis ſcatet magis *ſucco albide cinereo et craſſo.* Quodſi ventriculus *alio limpidiori, tenaci tamen et fila trahente, praeterea fere inſipido, aut ſubſalſo humore ebrius eſt,* inter pariendum maxime, „quum, anteaquam [m]) naſcatur puer, nihil „Amnii humoris effluit, ſed rapidus eius torrens „eundem inſequitur " liquorem hunc Amnii, conſtrictione vteri, depulſum atque impreſſum, teſtaretur [n]) in ſtomachum. Et quanquam non ſemper ad pulmones ſimul [o]) adigatur hoc modo liquor, contigit tamen, et quoties pulmones ſimiliter inundati deprehenduntur, vere contigiſſe, hoc ſumus certiores. Quo caſu mortem a crimine matris male ſuſpicaremur, cuius cauſſam liquor Amnii conſtituit, pulmones pro reſpiratione inutiles reddens. *Aquam limpidam puramque, aut coenum qui habet ventriculus,* in aqua,

m) EIVSDEM *obſeruatt. medicar. ſatura de ſuffocatis* §. II. obſ. IV.

n) IBID. §. 12. Confect. IV. o) IBID.

aqua, aut coenio ſuffocatum infantulum eſſe, declarat. Abſit tamen concluſionis inuerſio: vbi in ventriculo nihil aquae aut coeni, is quidem infantulus ſuffocatus ſic non eſt. Eundem eiusdem rei doctorem atque teſtem iam citauimus §. XII. de pulmonibus indicia ſuffocationis tradentes. Nos non fugiunt harum veritatum auctores idonei alii. Sed ſufficit facile Ill. Roederus. Longum foret, recenſere multas *de Meconio effuſo, de eiusdem in Recto inteſtino quantitate,* data opera collectas obſeruationes, atque inter ſe, quoad omnes circumſtantias, caute collatas. Omnibus tamen perpenſis, Meconii plus vel minus Rectum inteſtinum ſarcientis ſignificationem nullam eſſe, quod foetus ante natiuitatem fatis ceſſerit, aut luci expoſitus viuere demum deſierit, cenſemus cum aliis Egregiis Viris. Notetur interim, *quantum, Recti inteſtini et flexus Sigmoidei tractum, Meconium in ſecando infante occuparit,* ſi forte alii nobis iudicio ac experientia praeualentes Viri pluris id ſignum facere poſſint velintque. *Veſicae autem vrinariae vacuitatem* maioris momenti rem eſſe, his perſuademur argumentis. Quotquot hactenus ipſi ſecandos nacti ſumus infantulos ante natiuitatem mortuos, quotquot etiam obſeruatores earum rerum, aut ſectionum encomia ſollerter facta legimus, *veſicam eorum communiter ſemiplenam, rarius plenam, experientia comperimus. Si itaque euacuata inueniretur, pauculis guttulis vrinae tantum madens,* vixiſſe iam natum infantem, veriſimil-

limum cuiuis videbitur cogitanti, vrinam difficilius de veſica exprimi, facilius vero Meconium de Recto; quando abdomen infantuli, inter pariendum, vteri eiusue orificii compreſſione arctatur. Longum Recti ac Flexus Sigmoidei farcimen Meconii ℥j. et vltra plenum eandem vim arctantem efficacius experitur, ob maſſam ſuam maiorem arctanti vi reagentem, quam veſica vrinae ℥j. ſemiplena, oſſibus praeterea pubis ab altero latere defenſa, vt eandem vi arctante non vndique poſſit arctari, quemadmodum arctatur vndique Rectum. Quid diuerſa veſicae vrinariae plenitudo valeat, pro faciliore aut difficiliore mictu, diſcimus experimento luculento in illa Iſchuriae ſpecie, quae Atoniam veſicae pro ſua cauſſa agnoſcit. Fit tunc, vt, muſculorum abdominalium, et Diaphragmatis compreſſu, veſica admodum plena tandem ea potentia compingatur, vt iam lotium emittere incipiat quidem, ſed ſubſiſtente mox riuo, quamprimum eaedem dictae vires comprimentes fractam facultatem veſicae iam ſemiplenae impendunt. Et cathetere immiſſo vehementer opus eſt exhaurire, quod reſiduum manebat. Accedit, quod Meconio amplus ani hiatus inde faueat, illinc vrinae exprimendae obſit anguſtum a ceruice cyſtidis vrethrae initium, vrethrae porro longus cum anguſtia tractus, quem totum vrinae exitum vterus premendo efficacius occludere, quam vrgere veſicam, nobis videtur. Haec partus conditio diuerſa cyſtidis ac Recti plenitudo, diuerſus

vtrius-

vtriusque exitus ſuggeſſit. Dabis, Lector Beneuole! rogamus, medico loquenti veniam, qui naturae ſpeculator eandem vel illuc inſequitur, vbi per ſecretum res agere noſtras auemus. Quoties corporis leuandi ergo ſeceſſimus, ſimulque aluum excrementis onuſtam, ſimulque veſicam adferimus lotio admodum diſtentam, vera neceſſitate primo veſicam mictu, aut in totum euacuamus, aut aliquantum deplemus, ſuccedente tum demum fimo. Alio tempore, ſolius ventris impetu auocamur, ſilente lotii parum collecti ſtimulo: anus nunc reddit primo ſua, lotii deinceps vltimum exſoluimus tributum. Diſcitur inde, veſicae plenitudinem impedire excretionem alui, et viciſſim Rectum fartum, ac quamdiu ſuo defungitur officio, lotium retinere. Sufficit nobis ſcire, quid fiat, quare ex ſtructura partium ſic non poſſit non fieri, cum longum, demonſtrare, tum minus neceſſarium reputamus. Quoad ergo ſuppetit Recto Meconii ſatis, ſuppetere autem credimus totum per partum, facilem neque longum, quia multum Meconii infantes habent, quia non pars Recti, ſed totus inteſtinorum tractus ab vtero vrgetur: tam diu, vel ex hoc nouo argumento, veſicae ſua conſeruatur vrina, quam denique natus viuensque effundat. In puellis vltimi quidem argumenti vim, per diuerſam corporis ſtructuram quodammodo imminutam intelligimus, experientiae etiam deſtituimur calculo, absque quo nihil omnino firmum ac indubium habere, dudum

 legem

legem nobis fecimus. In pueris vero vitae poſt natiuitatem actae veriſimillimum pronunciamus ſignum, veſicae vacuitatem. Quo minus certiſſimum laudemus, impedit conuulſiuae mortis intra matricem obſeruatio, ſub qua, quemadmodum Meconio ſe polluit naſcendus, ita vehementi forte ſpaſmo correpta etiam veſica vrinam expellere poterit. Deprecamur ceterum propoſitionis hactenus ventilatae inuerſionem, quoniam viui pronaſcuntur infantes, mortemque citius experiuntur, quam lotium dimittunt. *Eximatur ex ventre hepar, lien, ſimiliter Capſulae Supra-renales ipſique renes, quibus cum corde ac Thymo aquae impoſitis, notamus eorum natatum, aut merſionem. Si vel vnicum eorum natet, pulmonum natatus haud vitam amplius et reſpirationem indubie commonſtrat. Si omnia haec viſcera merguntur, natantium pulmonum ſtat atque perſtat* ſignificatio §. XVI de vita poſt natiuitatem, quanquam putredine infantulus ceteroquin deprehendatur tactus ac decolor. *Quicquid inter ea ſanguinis profunditur in abdomine, id ſimiliter* vt in thorace §. XIII. ac capite, *ſpongia non ſolum abſtergimus, ſed etiam conſeruamus, donec omnem poſſimus ſic collectum cruorem lance trutinari.*

XIX. In capite tandem deſinat conſiderata anatomici induſtria. *Sanguine quoties foedum conſpicitur, eius fontem inquirat, ſi forte praeſto fuerit in infantulo ipſo: an ex vulnere eiusdem prodierit, an ex pulmonibus*, quod in aqua ſubmer-

ſis

ſis p) obſeruatum fuit; quod poſſe perinde contingere, ſi alia ratione infantibus reſpiratio eripitur, veriſimillimum eſt; quod denique *ex violenta thoracis percuſſione adeſſe ſuſpicatur, quum thorax extus ſimul ſugillatus deprehenditur.* Quando vero putredinis iam ſigna foetus oſtendit, natantibus maxime viſceribus reliquis, quidni pulmones naresque ſanguinem fundunt per vaſa aëre rupta? Confer. §. XVIII. *Liquamine quocunque alio, non rubro, facies ſi perfuſa apparuerit, notari meretur. Cuius quidem fontibus proximis detectis, nempe naribus ac faucibus,* de ſignificatu iterum hic praecipere velle, idem eſſet, quam repetere dicta iam in §. §. XII ac XIII. Indidem ſcitur, intereſſe, arbitros cauſſae edocere: *an cum ſpuma, an absque illa, ſanguis aut aliud liquamen ore effluxerit? Os hians, vel labia clauſa* ab aliquibus non ſine ſignificatione eſſe, creduntur. Toties quidem contuemur plurimos ante natiuitatem mortuos partus compreſſa labia oſtendere, ſed Roederus Induſtrius q) refert: infanti cuidam inter naſcendum mortuo „laxam pependiſſe maxillam inferiorem, ſuaque viciſſim ſponte, cum eleuaretur, decidiſſe". Ob experientias proin contrariis ſibi frontibus occurrentes, nihil ori hianti, aut aperto tribuimus. Pluris faci-

p) ROEDERERI *progrdmma habens de ſubmerſis aqua obſeruationes* § I. N. 5. et §. IV. N. 5. §. V. N. 5.

q) *obſeruatt. medic. ſatura de ſuffocatis.* §. 13.

facimus *linguam ex ore proſertam.* „*Lingua pa-*
„*lato appreſſa* in omnibus, quos fecuit, embryo-
„nibus, Roederero r) inuenta fuit, rariſſimoque
„caſa proſerta aduertitur". Atque proferre eandem foetum vix ſine magno incommodo poſſe, vtpote, qui, ſub partu facili, mentum Sterno appreſſum detinet, id cum anatome declarat, tum quiuis homo adultus in ſemet difficile experitur. Vixiſſe itaque poſtquam aluo materna iam excuſſus, ille partus veriſimillime videtur, qui linguam ore exſertam monſtrat. Certum quo minus proponamus hoc ſignum, facit cogitatio motuum conuulſiuorum, cum quibus embryones nonnunquam emoriuntur intra matricem, qui conuulſionum ſingulares nonnunquam in partibus ſingularibus praeualidi aſſultus linguae praecipue protruſorem muſculum forte appetere poterunt. Sed caſus erunt oppido rari. Tum ſuaſores ſumus: *vt, diuiſa ad ſuam ſymphyſin maxilla inferiore, marginem eius concauam ſcalpello ſequendo, cum eius ramo dein adſcendente adſcendens, quicquid ſic carnium tangitur, diſcindat anatomicus. Ex commiſſura porro labiorum cultrum dirigat, Buccinatorem, Temporalem, Pterygoideos perſciſſurus, quo poſſit mandibulum ita ſuis reuincientibus carnibus liberatam reclinare, apertumue faucium introſpicere cauum. In quo quicquid reperiatur, ſiue viſcidius magma, ſiue fluidius liquamen, ſiue coenum, ſiue arena, ſiue ſtupa,*

r) *l. c.* §. 14. VII. *confect.*

ſtupa, illinc inſontem, hinc nefariam iudici aperiet mortis cauſſam. *Glottidis profunda loca* eximiam ſibi poſtulant attentionem, quae toties viſcido muco obſeſſa, ciuium tot nouis ſupplementis ſocietatem humanam emungunt, nullo matrum imperitarum crimine admiſſo. *Fontanellam profunde depreſſam ac ſubſidentem* haud immerito notam habemus mortis dudum intra vterum perpeſſae. *De reliquo omne circa caput diligenter circumſpicimus violentiae veſtigium, ſiue vulnus, ſiue compunctio, ſiue excoriatio, ſuae formae deprauatio fuerit, impreſſione, confractione oſſium, ſugillatione conſpicua.* Sugillationum magna dignitas, difficilisque diiudicatio. Hinc absque animaduerſionibus neceſſariis has leuiter transmittere non poſſumus. *Loco, magnitudine, ac profunditate* diuerſimode terrent. Quemadmodum ſugillatio absque vita ac circulatione nulla eſſe poteſt: ita de vita inter naſcendum ſuperſtite eius partus egregie teſtatur, qui haud difficulter naſcebatur, *quo caſu, circa fontanellam, frequentiſſime autem pone illam, ni ſugillatio, tumor tamen aliqualis apparet* s). „Raro foetus „naſcitur, in quo omnis a capite tumor abſit, niſi „is, qui ante partum iam obiit. Multo autem „veroſimilius a violenta matris poſt partum „manu adeſt, ſi vnicam anguſtam regionem tu„mor foedat“. Addere liceat, ſi a vertice re-

 motior

s) *l. c.* §. 6. *Conſect. VIII.*

motior eſt, quandoquidem verticem partus t) facilis vteri orificio offert, eiusue corona verticem comprehendente tumor ſugillatus excitatur. *Longius ergo remotae a vertice ſugillationes; anguſtioribus terminis circumſcriptae, profundiusque ad oſſa vsque pertingentes*, plus omnino violentiae metu terrent, ſiquidem aut vterum, quod dicitur, obliquum, aut caput iniquius poſitum, aut violentam manum, aut lapſum praecipitem ſignificant. Quando vero neque minor vteri obliquitas u) neque capitis iniquus x) ſitus partum ſemper inducit difficillimum, arte abſoluendum, ſed naturae viribus interdum obedientem; quando porro duratae agreſtesue puellae dolorum ſpuriorum, quos vterus minori gradu obliquus, capitisque poſitus iniquus concitat, ſenſum, vt alia delicatulis intolerabilia, facilius tolerant, vixque, poſtquam tranſierunt, conqueruntur: ex ſugillatione verticem non proxime reſpiciente, non vsquequaque certum matri parari nobis videtur crimen, quamdiu acta criminalia minus diſerte negant, protractiorem fuiſſe partum atque doloribus ſpuriis difficilem. Quicquid igitur alii aliter ſentiant, propter ſugillationem tamen a vertice aliquantum remotiorem, ad quaeſtionem quidem

t) W. SMELLIE *inſtitutio artis obſtetriciae.* Ex verſione Germanica, quae Altenburgi prodiit 1755. Libro III. Cap II. Sect. II. p. 223. et ſeq.
u) ROEDERERI *Elementa artis obſtetriciae.* §. 457. x) *l. c.* §. 511.

quidem ſeueriorem, minime tamen ad vltimum ſupplicium iudici committi poterunt ſuſpectae matres. Item ſentimus, *quamuis anguſtiores plures vna ſugillationes, cutaneae tamen omnes, aut non valde profundae, circa fontanellam quando offenduntur, quas etiam vnus comprehendit tumor.* Quum enim caput, inter naſcendum, oſſibus cranii varie dimotis inter ſe, diuerſimode conpingatur: mirum non eſt, orificii vterini coronam cranii oſſa hic illic poſſe inaequaliter affligere, pluresue diſcretas imprimere ſugillationes. *Anguſtiores ambitu ſugillationes, quae ſolitariae, plus ſuſpicionis mouent,* quam latae. *Amplarum enim circa fontanellam cauſſa* adeſt orificii vterini corona late ſtrangulans prominule impacti capitis naſcendi portionem. Anguſtarum e contrario concipitur generatio ex rotundula capitis forma, quam alliſus ad externa corpora violentus haud ita late, ſane rarius maculabit. Loco, amplitudine ac numero ſugillationum conſiderato, *de profunditate, contentoue circumſpicimus. Quae profundae, aut ſanguine puro ac grumoſo ſcatent, matrem admodum crimine grauat, ſi facilem habuit ac breuem partum.* Vix quidquam culpae alit *tumor oedematoſus, intra cutem et Galeam aponeuroticam conſiſtens,* parum *ſero ſanguinolento ſcatens,* plus *ſanguine,* plurimum *grumo eius plenus.* Profundior omnino *ſugillatio, quae, praeter cutem, celluloſamque intercutem, Galeam adeo Aponeuroticam vitiat, et de cranio ſoluit,* ſuſpicionem violentiae

auget y), extra partum difficilem ac protractum: neque tamen conuictam matrem ſtatim detinet, ſi acta criminalia breuem ac facillimum partum non diſerte produnt. Magis adhuc violenta manus inſignitur, ſi in partu non difficillime, nec diuturno, *Diploetica cranii ſubſtantia intenſe ſuffunditur cruore.* Cuius rei deſcriptio habetur apud Roedererum z), quod tetigit Hebenſtreitius a), quod vidit Dom. PRAESES, absque quod Vitrea ſimul Tabula *rubore fuerit maculata.* Quod quidem vltimum a partu quodam modo difficili euenire poſſe, vix nobis perſuademus. Diploes autem ſugillatae ſignificationem violentiam ſimpliciter denotare, nondum credimus, niſi in partu facillimo ac breuiſſimo. Quis enim ſanguinis, in quouis foetu, abundantiam vniuerſalem, quis particularem circa caput, quis, vaſorum adflictorum robur definire, quis adflictionis vim menſurare poterit, qua vel breuis ad peluis oſſa capitis appulſio Diploen adfligit? Si Vitreae Tabulae ſugillatio criminis nota, quanto magis, *Dura praeter ea Mater de Vitrea Tabula ſanguine ſuffuſo ſeparata? Ad haec omnia inueſtiganda inciſione cruciata ampliter diuidatur cutis, eius colore prius notato. Tumoris aut ſugillationis contentum ad quantitatem, colorem, conſiſtentiam deſcribatur. Galeae aponeuroticae ſolutio, vel*

y) *Progr. ſaepius citato quo obſeruatt. medic. de ſuffoc. ſaturam addit.* §. 13. z) *l. c.*

a) *Anthropologia forenſi* p. 422.

vel firma adhaeſio cum eius colore animaduertatur, diligentius habita ratione Diploes, diligentiſſime Tabulae Vitrae. In retegendo Encephale, auferendisque oſſibus cranii, praeſertim Bregmatis, attendat ſector: ne ad huius maxime angulum anteriorem inferiorem, arteriam Spinoſam, ad angulum inferiorem vero, ſimulque poſteriorem, Sinum lateralem cultro vel dilaceratione laedat. Male omnino ſuffuſio Meningem Duram inter ac cerebrum diceretur, quod adminiſtrationis anatomicae eſt infortunium aut peccatum. *In ſatura itaque media Coronali initium ordiatur inciſionis, manubrio dein ſcalpelli ſenſim ac prouide reliquam reſolutionem ſincipitis a Meninge Dura perficiendo. Vno Bregmatis oſſe remoto, facilius ſuccedet alterius ſolutio, atque oſſis frontis, et occipitis per medium eorum diſſectio ac ablatio. Notetur: an loco externae ſugillationis reſpondeat Durae quoque Matris ibidem rubor inflammatorius. Quod durum ſceleris argumentum foret.* Quominus duriſſimam perhibeamus, facit obſeruatio b) Roedereri in his rebus nunquam ſatis conſulendi, qua, reliqua Dura Matre naturali, in partu ob anguſtam peluim XVIII. horarum, Falx tamen cerebri cum Tentorio Cerebelli. non ſolum vaſa ſature rubra exhibuit, vltra ſiphonis anatomici facultatem, ſed etiam reliquam membranam ſanguineam, praeter omnem retium vaſculoſiſſimorum rupturam. Locus ſane, quem ipſiſſi-

b) l. c.

ipſiſſimis legere verbis, neminem paenitebit, niſi, qui ſanguinem humanum ſusque deque habet. *Sanguine, vel lympha ſanguinolenta, ſubter Duram Matrem exiſtente, vel integra ea, diſſecta tamen multo luculentius apparebit.* Lympha rubella in fructibus immaturis vix quidquam ſignificat. Quicquid de ſero ſanguinolento, vel ſanguine ipſo extrauaſato §. XVIII. iamiam in abdomine adduximus, pro mollienda Egregiorum Virorum truculentiore ſententia, ad ea, repetitionis vitandae ergo, remittimus B. L. Hocque iuſtius valent illa, quo cerebri vaſa, vt teneriora, cum Diaereſi, tum Anaſtomoſi ſunt magis habilia; quo pluries Ventriculos cerebri ſanguinolenta lympha plenos anatomicorum aduerſaria annotarunt, praeter omnem violentiae praegreſſae ſuſpicionem. *Cortex vero cerebri, tum rubedine inflammatoria intenſe vt ſimul rubeat, vt ſugillatio exterius compareat ſontica nulla, neceſſe eſt, absque quibus ſignis excuſantibus* matrem iudici deferimus ipſimet nos, ni vltimo ſupplicio ſeuerioris tamen quaeſtionis territione afficiendam. *Quoties vero bullae aëreae apparent, viſceraque natant;* nullius prorſus certi ſignificatus *ſanguinem ſub Meninge, in Ventriculis item repertum declaramus*, ex rationibus §. XVIII. ſuppeditatis. Idem ſentimus, *de ſanguine ſincero extrauaſato*, quando viſum repertum vndique miſerum arguit ſectorem, cuius culter, inter ſecandum, vaſa imprudenter perrumpere potuit, et qui ſanguini effuſo quidem videndo ſuffecit,

neque

neque tamen perinde agnoſcendo, ſemet hunc ſanguinem demum prolexiſſe. *Corticis color obſeruetur, et quid Ventriculi cerebri concluſerint, exponatur. Dum fruſta cerebri pedetentim auferimus, dum Ventriculis deaperiendis vacamus, minutis ſpongiolis, quicquid ſanguinis effunditur, excipimus*, ne de ſanguinis in Ventriculis ac baſi cranii praeſentia ambigere liceat: ſectoris culpa, an praecedanea inundatione adſit. *Exempto cerebro, diſſecto Tentorio cerebelli, via ad Ventriculum quartum patet. Quo examinato, fruſtatim cerebellum vtrinque egeritur, non ſine ſpongiolarum volſella ſubmiſſarum ope protinus detergente.* Sic comparebit, *an confinia Medullae Oblongatae atque Spinalis*, ex obtorto collo, ſanguine circumfluantur, *an nerui Ceruicales cum Acceſſoriis diuulſi. Sinuum cerebri maiorum ſanguis copioſior ſpongia excipitur*, vt ille thoracis ac abdominis. *Quantopere Sinus fuerint repleti? ſanguine, an fluido, an grumoſo?* viſum ingreditur repertum. Si oſſa fracta deprehendantur, *locus, et magnitudo fracturae cum fragmentorum multitudine, depreſſione, fiſſurarum etiam excurſu diligenter deſcribantur.*

XX. *Spongiis lance ante exploratis, omnem, qui tres ventres corporis perſcrutando, profunditur, qui obtineri preſſione artuum etiam poteſt, ſanguinem imbibere, diligenter colligere, denuoque ad ſanguinis collecti pondus capiendum, trutinari ſuaſimus.* Sanguinis merum pondus quia

ſic

ſic cognoſcere, animus eſt, *easdem ſpongias abſterſione aliarum ſordium profanare*, *vetitum illico proſpicitur.* Conſilii haec eſt ratio. Ambigitur nonnunquam: foetus, qui non ligatum vmbilicum, aut vulnus cum ſanguinis profuſi ſignis offert, cuius vaſorum plenitudinem inſufficienter viſum repertum tradit, an talis foetus ex crimine matris, haemorrhagia vere interierit? Iuuat itaque experientiam conſulere: quantum ſanguinis *ex corpuſculo maturi partus* fere impetretur, *dum colligimus, quicquid eius inter ſecandum effluit ac artuum elidente preſſione prolicitur?* Aegerrime Dom. PRAESES pluries factis experimentis obtinuit plenas ℥ii. cruoris. Defuit ſaepius ℥j. etiam altera. Quando porro drachma infanti non ſolum innocue, ſed etiam vtiliter per funem de induſtria diſciſſum, ea intentione, ſubtrahitur, vt, qui aliis excitantibus remediis non auſcultabat, hoc modo excitetur: nulli veremur, adfirmare: haemorrhagiae letalis crimen euaneſcere, *ſi ſanguinis ℥j. cum ʒjjj. adhuc in defuncto corpuſculo colligere liceat.* Plus ſane certitudinis commendatum ſtudium collecti ſanguinis habet, quam Phyſici teſtimonium, vaſa maiora vbique ſanguine aut ſatis, aut iniquius plena comparuiſſe, quandoquidem non omnes experti, quam plena naturaliter eſſe ſoleant, debeantque.

V. LAV-

V.

LAVRENTII HEISTERI
Diſſertatio
de ſumme neceſſaria inſpectione cordis vaſorumque maiorum ſub legali infantum ſectione.

Helmſt. 1752.

Reſpond. et Auct.

IOAN. DANIEL FARENHOLTZ.

PROOEMIVM.

Actiones humanas ad normam ſtatutorum praeceptorumque diuinorum et ciuilium ſemper dirigendas ac comparandas eſſe, quis eſt mortalium, qui neſciat? Ne haec itaque negligantur, legibus tam diuinis, quam humanis ſancitum eſt, vt quilibet praecepta violantes, et a iure iuſtoque recedentes, poena adficiantur delicto proportionata. Haec vero vt reuera ſit proportionata, iudici quantitas delicti eiusque qualitas perſpecta eſſe debet, hinc Conſtitutio Crim. Carolina ait: *Poena irrogari non debet, antequam certo conſtet de corpore delicti.* Quum itaque

itaque multorum hominum indoles ita deprauata et corrupta eſt, vt in aliorum hominum ſanitatem et vitam, imo in proprium ſanguinem ſaeuire haud erubeſcant, id quod potiſſimum et ſaepiſſime *de infanticidis* valet, quae tam ex furtiuo, quam interdum quoque ex licito veneris exercitio impraegnatae, partim ob ignominiam euitandam, partim alias ob cauſſas, v. gr. ob paupertatem vel ſolam mentem malitioſam grauiditatem occultant, et clanculum parientes infanti vix edito lucem iterum adimunt. Hinc interdum iudicis obiectum eſt cadauer humanum infantile, de quo quaeſtio oritur: *an extra uterum viuus infans a cauſſa violenta mortuus ſit?* Quum itaque ad hanc quaeſtionem reſoluendam ac decidendam neceſſario requiritur exquiſita partium corporis humani earumque actionum integritatis et laeſionis notitia, ideoque Medicinae cognitio; factum inde eſt, vt cadauera quaeſtionis infantilia Medicis tradantur, cum hac requiſitione, vt Medici illorum conſtitutionem tam internam quam externam probe inſpiciant, deque inuentis Judici exhibeant relationem Medicam, viſi reperti nomine venientem, quae partes nobiliores corporis tam integras quam laeſas, itemque rationes vitae, vitalitatis et mortis indicare debet. Judex enim exinde perſpicere debet, vtrum infans viuus ſit excluſus et an vel ex culpa, vel ex dolo accuſatorum interemtus ſit. Medicus itaque ſectionem adminiſtrans Judici euidentia, indubitata et certa indicia ſuppeditare debet, vt ita dictum

dictum corpus delicti ſit apertum, clarum et indubitatum. Corpus delicti vero ſaltem adeſt, vbi conſtat de infantis viui et perfecti nati occiſione. Hinc STRYKIVS de Jure ſenſuum Diſſ. I. C. I. n. 24. 26. ait: *In infanticidio qualitates corporis delicti oculis accurate ſubiici debent.*

Sed, quot inueniuntur relationes Medicae iudiciales imperfectae et mancae, ex quibus nec Judex nec Collegia Medica certi quid elicere poſſunt? Quales non ſolum in ſcriptis Medico-forenſibus frequentiſſime mihi occurrerunt, ſed et Ill. et Celeberr. Facultatis Medicae hic florentis diiudicationi ſub Actis in puncto infanticidii imputati commiſſae ſunt; quarum nonnullas Ill. Dom. PRAESES, Praeceptor ac Patronus meus omni aeuo pie deuenerandus, pro ſumma qua me amplectitur, beneuolentia, perlegendas, mihi tradidit. In hiſce, inquam, viſis repertis ne minima obueniebat litera de repletione vel euacuatione cordis vaſorumque ſanguiferorum, quorum conditio tamen hic ſcitu ſumme erat neceſſaria. Hinc factum eſt, vt Ill. Facultas Medica de infantis morte nihil certi concludere et demonſtrare poſſet, quapropter infanticidium relinquebatur anceps et dubium, ergo nullum aderat corpus delicti, hinc neceſſario ex culpa et negligentia Medici deponentis poena a Deo et iure criminali ſtatuta, minimum ordinaria ceſſabat; ſicuti certa datur regula: In caſu dubio ſemper eligenda eſt ſententia mitior. Querebatur tunc temporis Venerand. D. PRAESES negligentiam

Medicorum ſectiones eiusmodi iudiciales ſuſcipientium, quod praeſertim *in plurimis ſectionibus inſpectionem cordis et vaſorum maiorum ſanguiferorum prorſus omittant*, nihilque de ea in relatione denuncient. Propterea Ill. D. PRAESES mihi de themate inaugurali ex Medicina legali deſumendo cogitanti, auctor erat electionis huius rei ſumme neceſſariae pro obiecto Diſſertationis meae inauguralis; ea intentione, vt in poſterum forſan Medici, et praeſertim iuniores, in perluſtratione eiusmodi infantum magis ad hanc rem reſpiciant. Idcirco in hac Diſſertatione inaugurali Medica oſtendere mihi propoſui; ſumme neceſſariam eſſe inſpectionem cordis et vaſorum ſanguiferorum ſub legali vel iudiciali infantum ſectione. Faxit ſummus rerum arbiter, vt hic labor feliciter cedat in nominis ſui gloriam hominumque ſalutem.

I.

Varii profecto ac quamplurimi dantur nefandi et ſceleſtiſſimi hominum plane inhumanorum conatus, quibus tenello infanti vix ex vtero propulſo lucemque huius vniuerſi adſpicienti, lucis vſura mox abripitur. Omnes hos infantem dirimendi modos Medicus probe cognitos habeat atque perſpectos, vt Judicem certiorem reddere valeat, non ſolum, an infans a cauſſis violentis mortuus ſit, ſed etiam qualis haec fuerit cauſſa violenta et interficiendi methodus. Nam in caſu

Infanti-

Infanticidii ſolis praeſumtionibus nulla prorſus habetur fides; contingere enim poteſt, vt feminae inſontes vitae ſuae quandoque pertaeſae, hoc vel illud Infanticidium ſe commiſiſſe dicant aut fateantur. Ne tales itaque miſerae immerito plectantur ſupplicio, requiruntur probationes luce meridiana clariores; vti BOHNIVS in appendice Exam. Vuln. lethal. Diff. I. de Infanticidio p. 185. ait: *Infanticidii ſuſpicio* aliqualis tantum ad huius poenam ordinariam decernendam minus adaequata creditur, *niſi de modo infantem occidendi ratione euidente plenius conſtet.*

II. Omnes autem nequitias ac laedendi rationes recens natis exitioſas hic recenſere ſuperfluum et a ſcopo meo alienum eſſe exiſtimo; dum plurimae commemoratae leguntur in ſcriptis Medico-forenſibus v. gr. TEICHMEYERI Inſtitut. Med. Leg. p. m. 236. ſqq. Clar. ALBERTI Syſtem Jurisprud. Med. Tom. I. p. 168. ſq. *Eiusd.* Commentat. in Conſt. Crim. Car. p. 267. ſq. Inter omnes vero recenſitas ſcopo meo conueniens eſt et maximam meretur attentionem *abruptio vel diſciſſio funiculi vmbilicalis absque ligatura iniecta*, item non facta foetus ab vteri placenta ſolutio; quae omnium malitioſarum technarum foetum enecantium primum occupat locum, et omnium frequentiſſime hodie in praxi forenſi et Autoribus Medico-Legalibus occurrit, ita vt raro inueniantur caſus de infanticidio, vbi hic funiculus decenter filo conſtrictus fuit.

III. Ex phyſiologicis adducere huc cogor, quod infans in vtero cum matre cohaereat *interueniente quodam funiculo carnoſo*, aliquomodo contorto, a medio circiter infantis ventre ad placentam vteri exporrecto, in *quo latent vaſa ſanguifera tria*, ſcil. vnica vena in ſinum venae portae infantis inſinuata, quae ex placenta vterina ſanginem foetus nutritioni et incremento inſeruientem aduehit; *et binae arteriae*, vtplurimum ex vtraque arteria foetus iliaca interna prodeuntes, quorum officium id eſt, vt ſanguinem in foetu abundantem ad matris placentam vterinam remittant. Vid. Celeberr. D. PRAESIDIS Comp. Anatom. p. 109. Quamprimum nunc foetus ex vtero materno egreſſus eſt, ceſſat neceſſitas funiculi vmbilicalis; ergo vel diſcinditur vel auellitur.

IV. Quum itaque hoc facto binae arteriae et vena vna (§. III.) funiculi vmbilicalis diſſectae apertum nanſciſcantur hiatum, ſanguinem ex corpore foetus fundentem; ita vt vberrima infantum ex haemorrhagia vaſorum vmbilicalium demortuorum proſtent exempla, conſueta ab antiquis et forſan a primis iam temporibus fuit ligatura huius funiculi vmbilicalis filo ſatis forti circumducto, vel ſaltem eius compreſſio aliaque obturatio, ea intentione, ne infans per haemorrhagiam ex vaſis vmbilicalibus certe non exilibus, vti egregie depicta et aeri inciſa videmus in Diſſ. *de neceſſaria funiculi vmbilicalis vi vaſorum ſtructurae*

ſturae in nuper natis deligatione; ſub praeſidio Cl. BOEHMERI Halae 1745 ventilata, tenellula vita priuetur. Vniuerſale enim erat effatum et communis, ob frequentes huius rei obſeruationes, concludendi modus, *quod ex intermiſſa funiculi vmbilicalis deligatione foetus neceſſario et abſolute lethalem experiri debeat haemorrhagiam.*

V. Hanc aſſertionem ad noſtra fere vsque tempora pro veriſſima ac indubitata ob dictam modo rationem venditabantur, vt nemo de eius cogitaret limitatione. Hinc, quando de infante mortuo, cui funiculus vmbilicalis haud conſtrictus erat, quaeſtio ventilabatur, an a cauſſa violenta interemtus fuerit, mox non ſolum a Medicis in relationibus iudicialibus, ſed etiam a variis Collegiis Medicis ſententia eo decernebatur; foetum *ex haemorrhagia per funiculm vmbilicalem*, vel ex propoſito, vel ignorantia vel negligentia non deligatum, viuere deſiiſſe. Vid. AMMANNI *Medicina Critica. Caſ. LXIX.* et VALENTINI *Pandect. Med. Legal. P. II. de Infanticidio Caſ. XXI. p 630.* Ibi ſermo eſt de infante viuo nato, in pauimentum ab alto delapſo, et deinde adhuc viuente ſub lectum, vbi quoque mortuus eſt, poſito, cui funiculus vmbilicalis non conſtrictus erat. *In ſectione* obſeruabant depreſſionem oſſis occipitis et ſanguinem ibi ſub cranio extra vaſa effuſum; attamen Facultas Medica Lipſ. in reſponſo ita loquitur: „Vtique praeſentiſſimam „mortem et lethalitatem abſolutam *cauſſatur non*

„*facta vaſorum vmbilicalium deligatio*, dum hac „ratione infans ſanguine et ſpiritibus vitalibus „priuatur, prout experientia ſuffragiis ſuis hoc „comprobat; ideo etiam Medici ſine exceptione, „*non factam vmbilicalium vaſorum deligationem* „*pro abſolute et ſimpliciter lethali reputant*". Ipſe VALENTINVS l. c. in *Introductione ad Cap. de Infantic. p. 551.* huic adſtipulatur ſententiae. Item ex recentioribus BAIERVS in *Introduct. in Med. forenſ. p. 19. adhuc aſſerit* „*Vmbilicalis funiculi* „*apparens abruptio violenta aut reſectio, neglecta* „*deligatione, euidens infanticidii perpetrati prae-* „*bet indicium*". ALBERTI *Comment. in C. C. C. p. 121.* dicens: „*Certum eſt viuum infantem eum-* „*que ſanum e funiculo non deligato funeſtam expe-* „*riri haemorrhagiam*". Multos alios hanc ſententiam tam grauiter aſſerentium hic allegare ſuperſedeo.

VI. Noſtro tandem aeuo SCHVLTZIVS Hallenſ. Prof. primus, ni fallor, fuit, qui in Diſſ. Halae 1733. habita, problema *an vmbilici deligatio in nuper natis abſolute neceſſaria ſit?* in partem negatiuam reſoluit, et ibi oſtendere conatus eſt, quod infantes in ſtatu naturali et ſano in lucem editi per vaſa vmbilicalia tantam non patiantur ſanguinis profuſionem, ex qua vita defungi poſſint, adeoque *non facta funiculi vmbilicalis* deligatio pro abſoluta cauſſa mortis cenſeri nequeat. Fundamenta et neruum probandi *deſumſit Autor partim ex analogia ſtructurae vaſorum vmbilicalium hominum et brutorum*, quibus vltimis funiculus

culus vmbilicalis nulla munitur ligatura: partim ex peculiari, quam in hac et alia Diſſ. de vaſis vmbilicalibus natorum et adultorum defendebat, conſtitutione et ſtructura vaſorum vmbilicalium, quod ſcil. haec vaſa vel reſecta vel diſrupta *ſeſe prorſus ad locum originis retrahant, et hinc viam ſanguini praecludant:* partim denique *ex obſeruationibus*, quarum primam adducit ex Actis phyſ. med. Acad. Nat. Cur. Vol. II. Obſ. L. Vbi recenſetur de honeſta femina pariente gemellos, quorum vnus iam diu natus, et cui funiculus vmbilicalis proxime ab ipſo ventre abruptus erat, tam diu ſine ligatura decubuit, vsque dum obſtetrix accerſita aduenit, et gemellorum alterum cum ſecundina extraxit. *Tunc videt obſtetrix primo excluſum in tam longo tempore plane nihil ſanguinis amiſiſſe, foetu tamen ſuperſtite.* Secunda obſeruatio deſumta eſt ex epiſtola ab Excell. TREWIO ad SCHVLTZIVM data, quae hiſtoriam refert *de foetu, cui funiculus vmbilicalis non deligatus, nec ſanguis multus inde effuſus*, attamen ſequenti nocte, forſan ex nimia refrigeratione, praegreſſa nocte perpeſſa, mortuo, in cuius ſectione *nullus ſanguinis defectus obſeruatus eſt.*

VII. Huic ſententiae quoque fauet Clar. Jenenſ. Med. Prof. KALTSCHMIEDIVS, Praeceptor quondam meus pie colendus, in Programmate *de intermiſſa funiculi vmbilicalis poſt partum deligatione non abſolute lethali, Diſſertationi de ſcorbuto frigido* ſub Praeſidio Cel. HAMBERGE-

RI, Praeceptoris quoque mei omni honoris cultu proſequendi, Jenae 1751 publici iuris factae, praemiſſo. Ibi primo *a contractione arteriarum diſciſſarum ſpontanea,* haemorrhagias in operationibus chirurgicis ſaepius occurrentes, ſiſtente; deinde quoque *ex comparatione vaſorum vmbilicalium* brutorum maiorum cum hominibus facta concludit, quod et in infante *lethalis haemorrhagia ex vaſis vmbilicalibus oriri non debeat;* hinc et ipſe periculum fecit in duobus infantibus ſecundum ipſius verba: „Impune id fieri credebam, „cum intermiſſa deligatio, ſi haemorrhagiam „produceret, eadem ſtatim ſuſcipi poſſe crederem, vel per compreſſionem inhiberi. Feci „itaque bis periculum et in altero caſu vix decem, „in altero vix viginti guttas ſanguinis amiſit in„fans". *Aliud exemplum* proſtat in ALBERTI *Syſt. Iurisprud. Med. T. III. Caſ. XIII. p.* 138. Sermo ibi eſt de foetu, *cui funiculus vmbilicalis proxime ab vmbilico abruptus erat,* ex quo nulla facta ſanguinis profuſio, licet per os ſanguis emanauerit. Infans adhuc per ſex horas inter viuos exſtitit. In ſectione ſugillationes in capite repertae, ſanguis inter cutem et cranium effuſus, item inter meninges: nihilominus tamen *Medicus referens mortem ex abrupto funiculo vmbilicali renunciauit,* non obſtante, teſtimonio in Actis reperiundo, *quod nulla ex vmbilico facta ſit haemorrhagia.* Sed Celeb. Facultas Med. Hallenſis infantis mortem ex aliis cauſſis inductam eſſe in reſponſo aſſeuerabat. Plures eiusmodi caſus annotatos

notatos eſſe adſerit ALBERTI *Comment. in C. C. C. p. 122.* hisce verbis: „Non deſunt obſerua-„tiones *funiculi vmbilicalis non deligati, vnde vitae „infantis nullum contigit damnum*“.

VIII. Ex praemiſſis itaque liquet, alios infantes per vaſa vmbilicalia non deligata plane nullam expertos eſſe haemorrhagiam, *alios vero haemorrhagia quidem correptos eſſe, aſt minime lethali.* Propterea Autores §. VI. et VII. nominati *abſolutam lethalitatem ex intermiſſa funiculi vmbilicalis deligatione inferendam eſſe negant.* Sed longe plura poſteritati tradita exſtant *exempla infantum ex haemorrhagia vaſorum vmbilicalium defunctorum*, quibus funiculus vmbilicalis vel prorſus non vel inſufficienter deligatus fuit. v. gr. *Select. Francofurt. p. 327. Commerc. Norimb. 1734. Obſ. 34. 1735. hebd. 32. 1737. p. 196. Eph. N. C. Dec. II. an. VII. Obſ. 193. Vol. I. Obſ. 169. Vol. II. Obſ. 50.* MAVRICEAV *derniers obſeruations ſur la groſſeſſe. Obſ. 44. et 143.* RICHTERI *Deciſ. Med. forenſ. p. 353.* ACTA BEROLINENSIA *variis locis*, multisque aliis ſcriptoribus tam artis Obſtetriciae quam Caſuum Med. forenſium. Imo ipſe Venerand. D. PRAESES, vti mihi narrauit, Helmſtadii duo notauit exempla, vbi in honeſtarum mulierum infantibus ligatura funiculi vmbilicalis quidem facta erat, attamen minus cauta et ſufficiens, vnde ſanguis, dum in lecto vel cunis decumbebant et dormientes habebantur, ad mortem vsque effluxerat, et infantes mor-

tui reperti ſunt in lecto, in ſanguine quaſi natantes. Quum itaque in Medicina forenſi *generaliter concluditur ab eo, quod vtplurimum fit*, hinc prorſus abſonum non eſt, ſi intermiſſa ligatura funiculi vmbilicalis, tanquam abſoluta cauſſa mortis, generatim tamen loquendo, renunciatur; ſicuti a plerisque probatiſſimis noſtri aeui ſcriptoribus factum eſt. Vid. Ill. D. FABRICII, Prof. Med. Praeceptoris mei ad vrnam colendi Diſſertatio, exhibens *praecipuas cautiones in ſectionibus et perquiſitionibus cadauerum humanorum pro vſu fori obſeruandas* §. XII. p. 9. ALBERTI *Comment. in C. C. C. p. 121.* et paſſim in *Syſtem. Iurispr. Med.* SCHVRIGIVS in *Embryologia p. 854.* aliique

IX. Quum igitur ſcriptores Medico-forenſes de lethalitate intermiſſae ligaturae funiculi vmbilicalis inter ſe diſcrepant, quilibet facili perſpiciet negotio, quod *Iureconſulti inculpatas Infanticidas defendentes, hunc Medicorum diſſenſum, tanquam exoptatam et optimam occaſionem, corpus delicti pro dubio vel prorſus nullo declarandum,* ambabus arripiant, in tali ſcil. caſu, vbi praeter neglectum funiculi vmbilicalis deligationem *nullae violentae ac mortiferae laeſiones inueniuntur;* dicentes: Ipſi Medici non mediocris famae ac eruditionis teſtantur, quod ex omiſſa funiculi vmbilicalis ligatura haemorrhagia abſolute lethalis non oriatur. Inde concludunt, nullam adeſſe laeſionem exitioſam, hinc *non certo conſtare*

de

de infantis occiſione, ergo non adeſſe corpus delicti, et conſequenter inquiſitae accuſatae non poſſe irrogari poenam mortis.

X. Quando nunc Medicus iudicialem adminiſtrans ſectionem, et iudicium ſuper lethalitatem deponens, praeconceptae opinioni et praeſumtioni fortiter inſiſtit, vt vaſa vmbilicalia non obturata abſolute ad mortem infantis vsque ſanguinem plorare debeant; quomodo Defenſorum exceptioni §. IX. obuiam iturus eſt? quomodo illam excutiet? *Meliori ratione hoc fieri nequit, niſi lethalitatem probando,* i. e. *cauſſam mortis ex ipſo foetu mortuo diſſecto* ad oculos demonſtrando. Quemadmodum enim „mors naturalis aeque ac „violenta ſemper fere quaedam ſui in *cadauere* „*veſtigia relinquit notabilia*, quorum accurata „exploratio et a ſe inuicem diſtinctio vtramque „in hoc negotio paginam abſoluit", vti diſſerit Ill. D. FABRICIVS l. c. p. 15. It. LANCISIVS *in Lib. de ſubitaneis mortibus p. m.* 287. hiſce verbis: „Nihil eſt, quod *nos doceat apertius, quam* „*ipſa cadauerum ſectio,* quae occultas necis cauſ„ſas ad ſolis lucem euidenter exponit". Ita cumprimis in *eo caſu, vbi de lethalitate omiſſae funiculi vmbilicalis ligaturae ſermo eſt, cauſſa mortis ad oculos demonſtrari poteſt,* vt probatio iſta ſit luce meridiana clarior.

XI. *Cauſſam mortis ex non deligato funiculo vmbilicali dependere ab haemorrhagia vaſorum vmbilicalium* lethali omnes vnanimi ore aſſerunt Au-

tores.

tores. Haemorrhagia autem haec fit lethalis, *quando tanta ſanguinis copia per vaſa vmbilicalia effluit, vt reliquus* ſanguis in corpore remanens *non ſufficiat* cor et vaſa ſanguifera ita replendi, vt illa in ſanguinem adhuc contentum preſſione ſua agere nequeant; (de relaxatione cordis vaſorumque ex ſublato fluidi neruei influxu ob ſanguinis defectum hic nihil dicam, ne nimis prolixus euadam) *ſublata itaque preſſione ſolidorum in ſanguinem, tollitur quoque ſanguinis propulſus*, i. e. ceſſat circulatio laticis rubicundi ſanguinei ad vitam neceſſaria, ideo mors preſſo pede ſublatam inſequitur circulationem. Quando itaque ob quaſcunque cauſſas ſanguini per vaſa vmbilicalia effluxum tentanti agger opponitur, vt ſupra laudata ſanguinis quantitas per vaſa vmbilicalia promanare nequeat, ſanguinis circulus ergo et vita continuari poteſt, *hinc in hoc caſu nulla mortifera oritur haemorrhagia.*

XII. *Ex anatomia practica obſeruationes* quasdam huc trahere cogor: quod ſcil. in ſectione hominum non ex haemorrhagia mortuorum arteriae quidem ſanguine plerumque orbatae; venae autem, *dexter ventriculus* cordis et *dextra cordis auricula ſanguine repletae reperiantur.* In illis itaque, quos haemorrhagia ſuſtulit, *neceſſe eſt, vt eorum venae, cor et eius auriculae* vel omnino aut prorſus vel quoad maximam partem ſanguine exhauſtae ſint. Id quod confirmant ſectiones hominum haemorrhagia exſtinctorum.

Qualia

Qualia exempla vberrima legi poſſunt in Scriptoribus Medico-legalibus. Imo Celeberr. et Venerand. D. PRAESES, cuius dexteritati hac in re certo credere licet, *in Compend. Anat. T. II. p. 86.* obſeruationem quandam huc praecipue ſpectantem adnotauit, *de foemina gemellos gerenti, quae, poſtquam vnum gemellorum excluſit, lethalem experta eſt haemorrhagiam;* in eius ſectione tam matris quam alterius gemellorum in vtero adhuc latitantis, *corda ac vaſa maiora ſanguine vacua deprehendit.*

XIII. Quae cum ita ſint, optime ita concludendum eſſe exiſtimo; *Vbi in foetus ſectione cor cum auriculis et venae maiores, praecipue caua ſuperior et inferior, item vena portae ſanguine adhuc repletae inueniuntur, ille foetus non obiit ex haemorrhagia vaſorum vmbilicalium:* ergo omiſſa funiculi vmbilicalis deligatio hic tanquam necis cauſſa non accuſanda venit. E contrario, *quando in corde eiusque auriculis et venis allegatis vel plane nullus vel ſaltem admodum parcus ſanguis deprehenditur, certiſſime infantis interitus ex nimia ſanguinis per vaſa vmbilicalia non deligata profuſione ortum traxit;* poſito nempe, quod nullum adſit vulnus externum, nec alia laeſio, vnde ſanguinis effuſio per vaſa ſanguifera alia, vel in thorace vel in abdomine diſrupta, adſit vel reperta ſit.

XIV. Medicus itaque ad inſpectionem cadaueris infantuli, de quo quaeſtio ventilatur, an violenta

violenta cauſſa interemtus ſit, legitime requiſitus, vt non ſolum regiones corporis externas perluſtrare, ſed et interna trium cauitatum contenta indagare, et quid inuenerit indicare, vel vt ICti dicere ſolent, *deponere* debeat, plerique Autores Medico-forenſes valde et quidem merito vrgent atque intendunt. Sectionem itaque ſuſcipiens, poſtquam caput, cerebrum et collum perueſtigauit, remoueat ſternum, et, antequam pulmones pro conſueto experimento cum illis in aquam proiiciendis inſtituendo, e thoracis cauo eripiantur, *ſimul abdomen aperiatur*; tunc cor cum venis annexis toto ſuo decurſu in conſpectum veniunt, vt inde, vtrum ſanguine plena an vacua ſint, viſu et tactu melius explorari poſſit, quam ſi, abdomine non aperto, pulmones, vti alias nonnullis moris eſt, cum corde e thorace eximuntur; quia hac ratione ex venis, in thorace diſciſſis, ſanguis ex corde et vena caua, tam ſuperiori quam inferiori, in cauum thoracis effluit, niſi filo circumiecto venae deligentur, vt tunc quantitas ſanguinis contenti rite determinari nequeat.

XV. Quando nunc Medicus in ſectione corpuſculi infantilis *cor cum auriculis et venis maioribus adhuc ſanguine repletum reperit*, illico hanc rem, Iudici, Scabinis aliisque praeſentibus pateſaciat, eamque non pro inutili cenſeat, ſed in viſo reperto claris verbis commemoret. Docet enim tam Iudicem quam Collegia Medica, quibus Acta inquiſitionalia committuntur, foetum

ex

ex haemorrhagia per vaſa vmbilicalia minus deligata non eſſe exſtinctum. *Quodſi vero cor eiusque auriculae cum venis maioribus vel plane vel maximam partem ſanguine exhauſta et collapſa deprehendit*, eandem Medicus obſeruet cautelam, oſtendendo ſcil. adſtantibus vaſa ſanguine vacua, *vtpote praeſentaneum tunc et certiſſimum ſignum, foetus mortem ex funiculo vmbilicali haud deligato inductam indicans*, eamque denique rem accuratiſſimo ſtudio in relatione ſua Iudici tradat atque renunciet. *Hoc ſignum longe certius eſt illo*, quod a nonnullis commendatur Autoribus: inſpicienda nempe eſſe linteamina, quibus foetus circumuolutus fuit, v. gr. BOHNIVS *de renunciatione vulnerum p. 185.* inquit: „Quam quidem circumſtan„tiam (ſcil. haemorrhagiam lethalem per vaſa „vmbilicalia) dignoſcimus, *ſi vel linteamina*, qui„bus natus inuolutus, vel locus in quo occultatus „repertusue, multum cruoris profuſi oſtendant". It. ALBERTI *Syſt. Iurispr. Med. T. I. Caſ. XII et XIII in relatione Medica.* Sed, quis non videt, *infantem ex amiſſo ſanguine re vera mortuum, poſt mortem a malitioſis mulieribus lauari atque linteis puris et mundis rurſus obuelari poſſe?* Et, vnde ſcimus, vtrum ſanguis repertus a matre, an a nato prouenerit?

XVI. Veritatem huius noſtrae ſententiae probant relationes Medicae iudiciales, quae paſſim in ALBERTI *Syſt. Iurispr. Med.* legi poſſunt; vbi primo in relationibus Medicis notatum legitur

tur, *quod totum vaſorum ſyſtema in infantibus ſanguine orbatum*, viſcera alias rubicunda, nunc pallida, et tota cadaueris diſſectio prorſus incruenta fuerit; deinde ex Actis inquiſitionalibus adfirmatur vel ab infanticidii inculpata vel ab aliis partui ſuperuenientibus, quod multum ſanguinis ex vaſis vmbilicalibus foetus effluxerit. Confirmant porro hancce ſententiam TEICHMEYER. *Inſtit. Med. Leg. p. m. 235* hiſce verbis: „*Quando* „*infans ex haemorrhagia funiculi vmbilicalis moritur, nulla vel exigua ſanguinis quantitas in corpuſculo et viſceribus deprehenditur. Corculum* „cum ſuis auriculis flaccidum eſt, nec ſanguine „repletum. *Vaſa omnia,* imprimis maiora *ſunt* „*euacuata.* Hepar, lien et reliqua viſcera pal„lent". Idem teſtatur BOHNIVS *l. c. p. 185* ALBERTI *Comment. in C. C. C. p. 121* et *Syſt. Iuriſpr. Med. T. I. p. 188.* Simili etiam modo *Collegium Medicum* hic Helmſtadii in pluribus eiusmodi caſibus, qui ipſi, vt ſententiam diceret, transmiſſi fuerunt, ſemper reſpondiſſe Ill. Dom. PRAESES mihi narrauit, et caſus atque Reſponſa mihi legenda dedit, quae vero, dum breuitati ſtudeo, hic referre non poſſum.

XVII. *Haec accurata inſpectio cordis vaſorumque maiorum in illis cadaueribus, quibus funiculus vmbilicalis non fuit deligatus,* Iudices et Collegia Medica certiores reddit, *vtrum foetus inde mortuus ſit, an ſecus.* Interdum enim per faſcias et linteamina, deligationis vices comprimendo ſuſti-

ſuſtinentia, vel per frigus externum vel foetus debilitatem, vel peculiarem vaſorum vmbilicalium conſtitutionem, haemorrhagia vaſorum vmbilicalium auertitur, vt ligatura non opus ſit; morbus autem internus infantem denique enecat, tunc apparet funiculus vmbilicalis non deligatus, et ſigna adſunt partum viuum innuentia. Porro fieri poteſt, vt ſub ipſius partus actu caput foetus iam extra vteri orificium propendeat, ita vt reſpirare iam poſſit, reliqua vero pars corporis intus in vtero adhuc haeret, vt tam cito expelli nequeat, quo facto foetus debilitatus nimis mox poſt partum absque matris culpa et dolo ſubinde moritur, antequam ligatura funiculo vmbilicali iniiciatur, ergo nulla haemorrhagia lethalis adfuit; tunc ſub ſectione quidem ſigna partus viui, ſed ſimul ſanguis adhuc in corde et vaſis maioribus ſufficienter haerens reperiuntur; ergo ibi ex certis ſignis concludendum, mortem per vmbilicum minus deligatum non factam eſſe: quapropter tunc mater, quae antea ob grauiditatem occultatam, partum clandeſtinum, et infanticidii ſuſpicionem ad torturam grauata erat, ſi hoc facto ſigna certa non facti infanticidii (poſita ſcil. quod ſemper ſuppono, nulla alia laeſione lethifera) adducuntur, adeoque ſuſpicio infanticidii tollitur, et torturae tunc a ICtis non ſubiicitur. Medicus itaque, cui haec cautela curae cordique non fuit, conſcientiam ſuam valde premere et commaculare poteſt, dum ex Medici culpa eo facto matres innocentes non ſolum

torturae, ſed et vltimo ſubinde ſupplicio obnoxiae fieri poſſunt. Noxiae autem et *verae infanticidae, neglecta hac inſpectione, poenam et mortem promeritam effugere poſſunt*, ſi nempe propter hanc curam ſiue inſpectionem non adhibitam Collegium Medicum occiſionem foetus dubiam eſſe declarat. Quapropter rebus ſic ſtantibus Medicus ſecans cauſſa eſt, quin poena legibus diuinis aeque ac humanis homicidis infanticidis ſancita exequi nequeat. Colligitur inde ſumma huius in his caſibus inſpectionis neceſſitas.

XVIII. Sed *neceſſaria quoque eſt ea inſpectio cordis vaſorumque, vbi cadauer cum funiculo vmbilicali ligato offertur.* Fieri enim poteſt, vt ſceleſtiſſimae matres vel impiae earum adiutrices infanti nato funiculum vmbilicalem diſruptum vel diſciſſum ex propoſito nulla ratione comprimant, et foetu ex haemorrhagia per vaſa vmbilicalia iam denato, *deinde funiculo vmbilicali ligaturam admoueant.* Niſi in hoc caſu inſtituatur inſpectio et depoſitio repletionis aeque ac exinanitionis cordis eiusque auricularum et vaſorum; certo concluſio Judicii eo verget, quod funiculus vmbilicalis rite deligatus fuerit, ergo nulla fieri potuit haemorrhagia lethalis, hinc infanticida ab vltimo ſupplicio et forſan etiam a tortura liberatur.

XIX. Verum enim vero, quum foetui, qui Medico ſecandus committitur, funiculus vmbilicalis vel eſt deligatus vel non deligatus; in §.

XVII

XVII et XVIII. autem oſtendimus, *inſpectionem cordis et venarum maiorum et depoſitionem ſuper illarum repletionem et euacuationem in vtroque hoc caſu neceſſariam eſſe*; ſponte ſua, dum tertius ſiue intermedius caſus impoſſibilis eſt (per princip. contradictionis) exinde fluit, *inſpectionem cordis vaſorumque maiorum ſub quacunque legali foetuum ſectione ſumme neceſſariam eſſe.*

XX. Huius inſpectionis cordis vaſorumque neceſſitatem vlterius confirmat BOHN. *l. c. p. 185.* quando inquit: „Deinde diſquirere conueniet „per cadaueruli ſectionem, *num vaſa huius ma-„iora ſanguine adhuc ſcateant,* vnde non propter „laceratum minusque obturatum funiculum na-„tum periiſſe probabile fit: *ſecus ſi haec euidenter „exinanita* deprehendantur". Cl. BOEHMER *Diſſ. ſupra citata p. 68.* dicit: „haemorrhagiam „ex vaſis vmbilicalis funiculi factam diiudican-„dam eſſe ex *inanitione vaſorum et ventriculorum „cordis.* ALBERTI *Comment in C. C. C. p. 121.* hiſce verbis: „Ideo ſub curatiori inſpectione non „modo extrinſecus, vbi foeminae pepererunt, „et quorſum viuum infantem depoſuerunt, ma-„gna copia ſanguinis inuenitur, ſed *etiam vaſa „vmbilicalia ſanguine penitus exhauſta conſpiciun-„tur,* tanto magis autem ob eandem lethalem „ſanguinis profuſionem interna maiora vaſa ſan-„guifera, *quin ipſum plane cor plurimum ſangui-„ne deſtituta et depleta* inueniuntur, quam cir-„cumſtantiam Medici et Chirurgi ſectionem ad-

„miniſtrantes accuratiſſimo ſtudio annotare et „denunciare debent, quoniam huius obſeruatio„nis et relationis defectus caſus praeſentes valde „confundere, et quoad cathegoricam deciſionem „impedire poteſt. Admonendi itaque ſunt Me„dici, vt data occaſione hanc circumſtantiam „probe obſeruent, referantque praecipue, quan„tum ſanguinis in corde, vaſis pulmonalibus, „vena caua, hepate et capacioribus venis inuene„rint". Eiusd. Syſt. Iurispr. Med. T. 1. Append. Caſ. IV. Ibi *relatio Medica plane nullum violentiae externae ſignum in cadauere adfuiſſe perhibet, praeter neglectam ligaturam funiculi vmbilicalis*, inde Medicus deponens ad abſolutam cauſſam mortis concludit, quum nec externe ſanguinem viderit, nec de interna vaſorum depletione vnicum verbum protulerit; propterea quoque Celeb. Facultatis Medic. Hallenſ. cenſuram incurrit in Reſponſo p. 14 et 15. Praeſertim dum ipſa mater confeſſa eſt, ſe hunc infantem viuum adhuc linteaminibus inuoluiſſe, qua propter alii Medici infantem ſuffocatum eſſe renunciarunt. Ibid. Tom. II. Caſ. X. Medicus deponens adfirmauit, multum ſanguinis in ſiniſtro cordis ventriculo adhuc adfuiſſe, foetum tamen ex funiculi vmbilicalis deligatione omiſſa mortuum eſſe; ſed in Reſponſo Ill. Facultatis Med. Hall. idcirco Medicus ſecans valde reprehenditur et haecce mortis cauſſa negatur. It. Tom. III. Caſ. XI. Relatio Medici nullam facit vaſorum depletionis mentionem, mortem tamen ex funiculo non deligato

ortam

ortam eſſe renunciat: hinc Defenſor illam relationem mancam declarat et inſufficientem, quoniam non indicauerat, an cor adhuc ſanguine repletum fuiſſet. Eaedem res circumſtantes in Reſponſo Facultatis Med. Hall. deſiderantur, ideoque infanticidium ab ea in dubio relinquitur. Idem factum eſt in Caſu XVI. Deinde quoque Tom. V. Caſ. V. in Reſponſo Facultatis Med. Hallenſ. iudicatur, infantem ex non deligato funiculo vmbilicali mortuum non eſſe, quia ſanguis adhuc in vaſis cerebri et ventriculis cordis repertus ſit. Ibid. Caſ. VI. In relatione Medica legitur; *funiculus vmbilicalis non fuit ligatus, et in corde ne minimum ſanguinis reperiundum. Sed nulla ſit mentio vaſorum ſanguiferorum;* propterea haec deſideratur in Reſponſo Fac. Med. Hall. dum ſimul ſigna quaedam ſuffocationis adſuerunt. Vtriusque caſus acta et *exempla et huic Helmſtadienſi Academiae* decidenda oblata ſunt, quae vero eadem ratione deciſa ſunt. Et ſic plura ad nauſeam vsque legi poſſunt exempla neceſſitatem inſpectionis cordis, et vaſorum maiorum probantia. Hinc maxime mirandum, quod adhuc hodie illa cautio tam frequenter negligatur, quum certe ad principalia ſectionis infantum iudicialis momenta pertineat.

XXI. Antecedentes autem aſſertiones ſaltem propoſitae ſunt absque reſpectu, ad alias res circumſtantes, tam ante, quam in et poſt foetus excluſionem. *Adfirmaui nempe, quod cor cum*

auriculis ſuis et venae maiores ſanguine vel prorſus vel maximam partem vacua reperta, certiſſima ſint ſigna foetum ex haemorrhagia per vaſa vmbilicalia defunctum indicantia. Sed tantum abeſt, vt mox inde ad infanticidium peractum concludere poſſet Medicus, vt potius ſemper ſecundum regulas Medicinae forenſis accuratiſſimo ſtudio et in omnes res obuias alias inquirere, ac quaelibet obuenientia ſigna coniunctim ſumere debeat, ſi iudicium certum, et omnibus numeris abſolutum exhibere cupit.

XXII. *Quod non ſemper a corde vaſisque maioribus ſanguine exhauſtis, absque aliis ſignis coniunctim ſumtis, ad infanticidium perpetratum concludere liceat,* ſequentia docebunt:

I) *Foetus in vtero materno adhuc degens vel ex plenaria vel ex aliquali placentae vterinae ab vtero ſolutione, vel prorſus lethalem experiri poteſt haemorrhagiam;* ſicuti ex Venerand. D. PRAESIDIS ſupra §. XII. prolata obſeruatione probatum eſt: vel ex forti haemorrhagia adeo viribus priuari, vt ſub ipſo partus actu, vel mox poſt partum, animam exhalet. Tunc itidem cor et vaſa maiora ſanguine non repleta inueniuntur, quamuis mater haemorrhagiam hancce nullo modo ſiſtere potuerit; adeoque nullum adſit infanticidium, nec ex propoſito, nec ex ignorantia vel negligentia commiſſum. Idem fieri poteſt, quando funiculus vmbilicalis circa embryonis artus circumductus diſrumpitur ex conuulſionibus

nibus embryonis. (vt quidam perhibent, quod vero mihi improbabile videtur.) Sed tunc vix euitari poteſt, quin mater quoque enormem largamque patiatur haemorrhagiam, tam ante, quam in partu; quae, ſi probari poteſt, hic ſignis probantibus quoque adnumerari cenſetur.

II) *Obſeruationes* BOHNII *l. c. p. 181. 186.* It. *Obſtetricis Brandenburgicae Cap. VI. p. 128.* teſtantur, *interdum ſpaſmum adeo fortem vteri, foeminis ſtantibus vel obambulantibus, tam ſubito citra ſpem ſuperuenire, vt foetus vno quaſi ictu ex vtero protrudatur*, et niſi extraordinaria longitudo vmbilicalis funiculi id prohibeat, ille vel a placenta vterina vel cum ſecundinis ab vtero auellatur foetusque in terram decidat; mater vero vel ex hoc ſpaſmo fortiori vel ex terrore percuſſa itidem lipothymia proſternatur, vt interea ex auulſi funiculi vmbilicalis haemorrhagia foetus viuere deſinat. Mors eiusmodi inſecuta eſt absque praemeditato conſilio matris, et absque eius negligentia, aut culpa: ergo mater et hic non eſt cauſſa mortis.

III) Mater *conſortii expers ſub conuulſionibus pariens, pedibus ſuis foetum calcitrando* vel corpus hinc inde iactitando funiculum vmbilicalem inuita diſrumpere et haemorrhagiam infanti lethalem inducere poteſt; quam rem tamen minime in tali ſtatu euitare potuit, dum mentis non fuit compos.

XXIII. Paucis nunc adhuc inquirendum eſt, *an ex inſpectione cordis et vaſorum maiorum ſigna foetus viui vel mortui nati peti poſſint.* Nonnulli ſcil. Autores ex ea ratione, quod ad ſanguinis profuſionem neceſſario requiratur actio cordis et ſanguinis circulus: *hinc mortuus ſanguinem non fundat*, contendunt, *quod foetus viuus natus ſit, ſi haemorrhagia funiculi vmbilicalis praeceſſerit;* contra vero mortuus excluſus ſit, *ſi ex funiculo vmbilicali non deligato nullus promanauerit ſanguis* v. gr. BOHNIVS *l. c. p.* 170. *quando inquit:* „Porro attendi meretur, *num funiculus non deligatus multum cruoris fuderit?* „de quo ſi conſtet, viuum exſtitiſſe partum, veroſimile ſit? *ſecus, ſi parum eius comparuerit,* „appulſu nempe ſanguinis penes foetum, in vtero qui exſpirauit, iamdum deficiente. Ibid. p. 185 his verbis vtitur: „*Cum parcior ſanguinis* „*profuſio tenellum ante partum exſpiraſſe innuat*". Excell. HEBENSTREIT *in Diſſert. de funiculi vmbilicalis humani pathologia p.* 39. *dicit:* „Luculentius vitae in aere actae ac *indubitatum omnino ſignum eſt, ſi ſanguinem ex fune foetus dimiſerit*". Sed, quando ad ſuperius dicta aliquantulum ſaltem reſpicimus, mox inde elucet, theſes horum aliorumque magnae famae Virorum non eſſe infallibiles. *Quod enim haemorrhagia funiculi vmbilicalis praegreſſa non ſemper innuat infantem viuum natum*, patet ex §. XXII. Altera quoque propoſitio; ſcil. quod foetus in vtero iam exſtinctus ſit, ſi ex funiculo vmbilicali

non

non deligato nihil cruoris effundatur: limitatione valde indiget; dum non in omnibus infantibus ſanguis per vaſa vmbilicalia non deligata effluit, vti §. VI. VII. oſtendi.

XXIV. Propterea in quolibet eiusmodi caſu occurrente *ſigna quoque a pulmonibus, inteſtinis, veſica vrinaria, externo foetus habitu, item ex ipſis Actis coniunctim ſumi debent*, ſi aliquid certi concludere et veritatem recte eruere volumus. Sed dantur caſus tam ambigui tamque dubii, in quibus quaedam phaenomena vitam foetus eiusque mortem violentam adfirmant; alia vero contrarium credere iubent, vt fere impoſſibile ſit iudicium de iis exhibere indubitatum, praeſertim, quia inquiſitae earumque affines aut adſtantes non ſemper veritatem recte enunciant et confitentur. In eo ſtatu in relatione Medica, prouti ſemper omnes res circumſtantes adducendas eſſe, ſcriptores Medico-forenſes vrgent, Medicus omnes conditiones probe annotet et rite perpendat, atque deinde ex valentioribus et ponderoſioribus argumentis, niſi ad certitudinem, ad probabilitatem ſaltem, concludat. Si enim vita foetus et mors ex dolo vel culpa probabilis facta eſt, tunc infanticidii inculpata ad torturam grauata eſt, quo facto, niſi ſponte confiteatur, confeſſio deinde a ICtis eis extorquetur. Sin vero magis probabilis ſit mors foetui in vtero iam inducta, tunc inculpata torturae non ſubiicitur. Ex hiſce collectis videre eſt,

 tam

tam ad torturam quam vltimum ſupplicium infanticidii accuſatis dictitandum et decernendum multum conferre relationem Medicam accuratam et perfectam. Medicus itaque conſcientiam ſuam, quantum fieri poteſt, liberare debet, ne ſanguine innocenti eam maculet, quando nempe ſanguinem ſanguine accumulat, efficiendo, vt innocentes non ſolum torturae ſubiiciantur, ſed etiam capite plectantur; aliae vero noxiae mortem meritam non experiantur.

VI. IOAN.

VI.

IOAN. CHRISTOPH. ANDR. MAYERI
Diſſertatio
ſiſtens praecipua experimenta de effectibus putredinis in pulmones infantum ante et poſt partum mortuorum, ſubiunctis nouis quibusdam experimentis circa pulmones infantum ante partum mortuorum inſtitutis.

Traiecti ad Viadrum 1782.

Reſp.

IOAN. GODOFR. REIMANN.

I.

Docimaſia pulmonum.

Notiſſimum eſt illud experimentum quod Docimaſiam pulmonum (*Lungenprobe*) vocant. Inſtitui ſolet in inquiſitionibus medico legalibus a Medicis forenſibus circa pulmones infantis neonati, vt nempe detegant an vita extra vterum maternum gauiſus ſit infans, an vero iam ante partum ſit defunctus. Vtrumque

que enim pulmonem non modo integrum cum et ſine corde annexo, ſed etiam in fruſtula diſciſſum immittunt aquae fontanae puriori, in vaſe ſatis amplo vt iniectus pulmo latera vaſis non contingat. In omnibus igitur hiſce periculis vel fundum illico petit pulmo, vel aquae ſupernatat, vel in dubio res haeret, ita vt, qui primo natauerant pulmones mox dein lento deſcenſu fundum petant, aut ſupernatent fruſtula quaedam diſciſſi pulmonis; qui antea integer cum et ſine corde ſeſe ſubmerſerat.

II.

Pulmones in aqua ſe ſubmergentes.

Cum in aqua quouis in experimento deſcendunt pulmones, concludere inde licet eos aqua fuiſſe grauiores. Ex eo autem, quod pulmo ſanus qui ab aere inflato ſeu inſpirato fuit diſtentus, in nullo horum experimentorum fundum petit, coniicere ſolent, pulmones in omni caſu ſubſidentes indicare, nihil vnquam aeris in eos intraſſe, infantem itaque nec reſpiraſſe nec vnquam extra vterum vitam habuiſſe.

III.

Pulmones natantes.

Vbi vero ſuperficiei aquae in omni experimento innatat pulmo, contrarium contendunt; huncque euentum pro indicio habent pulmonem fuiſſe ab aere diſtentum, atque inde ob maius volumen aqua leuiorem redditum. Quodſi itaque

que nulla adeſt ſuſpicio aerem inflatione artificiali per os infantis in pulmonem impulſum, aut a putredine in ipſa pulmonis ſubſtantia euolutum fuiſſe, aut vomicam magnam quae pulmonem aqua leuiorem reddiderat, illamue pituitoſam reſolutionem adfuiſſe, quam cum Huebero nonnulli defendunt, ſolet tum quidem ex pulmonibus natantibus affirmari, aerem ope reſpirationis in pulmones intraſſe, ideoque infantem veram habuiſſe vitam extra vterum maternum.

IV.

Pulmones ex parte natantes et ex parte ſeſe ſubmergentes.

Cum vero euenerit, vt fruſtula pulmonis, qui integer fundum petierat, non omnia ſubſideant, ſed aquae pro parte ſupernatent, certior inde fit medicus forenſis, aliquas tantum partes pulmonis aqua fuiſſe ſpecifice leuiores. Cuius rei cauſſam praecipuam ponunt vel in vlceribus exiguis pulmonum, vel in imperfecta quadam, vt aiunt, reſpiratione in ipſo partu peracta vel in inflatione artificiali aliquarum veſicularum, vel denique in incipiente putredine. Iisdem ex cauſſis accidit vt aliquando pulmones, qui antea per breue tempus natauerant poſtea paulatim ſubſideant.

V.

Docimaſia pulmonum vlteriori examine indiget.

Quamuis ſingula momenta experimenti huius, in inquiſitionibus medico legalibus adeo vſitati,

tati, ab auctoribus medico legalibus et inprimis nouiſſimis temporibus ſeorſim ſint pertractata. Plurimum enim hac in doctrina debemus viris Illuſt. HALLERO, BVETTNERO, FABRICIO, IAEGERO, PLOVQVETO, attamen multa ſuperſunt, quae conſenſu omnium adhuc dubia videantur; non inutile itaque negotium ſed officii potius, nam de vita agitur, religionisque foret, omnia quae ad Docimaſiam pulmonum pertinent ſeueriori denuo ſubiicere examini, id quod in votis habet Illuſtr. Praeſes.

VI.

Argumenti noſtri ratio.

Equidem in hoc libello ſubſiſtam in enarrandis experimentis, quae iam ante plures annos Berolini inſtituit Praeſes, vt de effectibus putredinis in pulmones infantis ante partum mortui ſeſe redderet certiſſimum. Maxima enim haec res huc vsque premitur ambiguitate, et varii a variis illuſtribus viris, qui idcirco pericula fecerunt, effectus ſunt relati. Non alienum itaque erit primorum inter eos ſententias antea recenſere.

VII.

Pulmones a putredine non fieri grauiores confirmatum per experimenta antiqua Facult. Med. Lipſienſis.

Pulmones qui ſemel aerem reſpirarunt a putredine correptos nec grauiores reddi nec in aqua vnquam

vnquam ſubſidere iam ſaeculo praeterlapſo per experimenta Facultatis Medicae Lipſienſis in pulmonibus vitulorum iam extra vterum viuentium, compertum eſt. Relata ſunt illa experimenta in Diſſert. Ill. SCHOEPFERI *de pulmone infantis natante vel ſubmergente.* Halae 1747. p. 13. et in Ill. BVETTNERI *Tractat vom Kindermord* p. 45, ſq.

VIII.

Sententia Ludowici et Bohnii.

Eminet inter primos, qui putredinis tanquam cauſſae natantis pulmonis mentionem fecerunt Ill. LVDOWICI; Monet enim in Comment. ad C. C. Art. 35. vt Docimaſia pulmonum caute adhibeatur, et inprimis attendatur vtrum infans iam a putredine ſit corruptus an non. In priori caſu pulmones ab aere, in fermentatione putrida orto, natare affirmat, licet aeris externi nihil in eos ope reſpirationis intrauerit. Cui aſſerto ſubſcribit Cel. BOHNIVS in *Diſſertatione de partu enecato*, quae annexa eſt libro eius *de renum vulneribus* Lipſ. 1755. vbi haec p. 349. „Porro „nec adeo fidum atque tutum erit, hoc fluctua„tionis atque ſubſidentiae pulmonum experimen„tum, ſi putredine iam dum in cadauere inchoa„ta illud tentetur, dum per hanc eius, qui non„dum reſpirauit ac mortuus natus eſt, pulmones „forſan ad fluctuationem immutari valent“.

IX.

Sententia et Experimenta Ill. Teichmeyeri.

Vir olim in Academia Jenenſi Celeberrimus Ill. TEICHMEYER, experimentis quae circa pulmones vitulorum iam ante partum mortuorum inſtituit, animaduerſioni Ludowicianae plane aduerſatur. Legas in *Inſtitutionibus medico legalibus* eius Cap. XXIV. Vidit enim pulmones hos, poſtquam per tres ad octo vsque dies noctesque putredini expoſiti fuerant, ſemper fundum petere cum in vas aqua repletum iniicerentur. Animaduertit tamen lentius deſcendere putridos, quam qui in ſtatu eſſent recenti. Poſuit itaque tamquam dogma medico legale, putredinem non in eodem gradu leuiores reddere pulmones, ac aërem per reſpirationem inhalatum, nec vnquam innatare aquae pulmones putridos.

X.

Sententia et Experimenta Hebenſtreitii.

TEICHMEYERI opinionem confirmat Ill. HEBENSTREIT, Vir in Academia Lipſienſi quondam meritiſſimus *Confer. Anthropologiae Forenſis Sect. II. Membr. II. Cap. II. §. 28. Edit. Lipſ. 1750.* Narrat Vir Ill. ſe ipſum experimenta inſtituiſſe circa pulmones infantum ante partum mortuorum nec vnquam ex putredine pulmones vidiſſe natantes. Fallacia quoque pronunciat pericula eorum qui pulmones putridos natare viderant,

viderant, propterea, quod iidem pulmones, qui in aqua illa ſpurca natant in qua putredinem conceperunt, nunquam non ſubſideant in aquam puriorem iniecti; aquam enim illam ſpurcam ac foetidam maiorem a putredine et abraſis pulmonum putreſcentium fibris nanciſci denſitatem et grauitatem ſpecificam affirmat.

XI.

Hueberi ſententia de reſolutione mucoſa pulmonum.

HVEBER in *Diſſertatione de pulmonibus natantibus*, quam ſub praeſidio Illuſtr. SCHMIEDEL Erlangae 1767. defendit, duas narrat obſeruationes, vbi pulmonum infantum, in vtero materno mortuorum in aqua mox ſubſidentium, alter poſt ſeptimum diem alter vero poſt decimum ſextum praeterlapſum, aquae ſupernatabat. Cuius tamen euentus cauſam, non tam putredinem quam reſolutionem mucoſam quandam fibrarum pulmonalium fuiſſe, credit.

XII.

Experimentum Halleri.

Ill. HALLERVS, cuius fama tanta eſt inter medicos, in operibus minoribus T. I. pag. 321. Exper. 32. ſequentia refert. Infantis ante partum mortui pulmones habuit ex atro rubentes, qui integri et in partes diſſecti fundum in aqua ſtatim petebant. Horum pulmonum portionem reliquit putrefactioni in aqua non renouata, quae

portio cito putredinem cepit, colore in rubicundum mutato, bullulis quoque aereis tecta eſt, putredine dein aucta lento adſcenſu ſuperficiei aquae ſeſe appropinquauit, natauit penitus die ſeptimo fundum non amplius petens.

XIII.

Cel. Büttneri ſectiones huc pertinentes.

Bvettnervs, celebris ille anatomes Profeſſor Regiomontanus, qui merito inter medicos forenſes primi ordinis refertur, in Cadaueribus infantum qui iam putredine correpta fuerunt duo vidit exempla vbi natabant pulmones, quatuor vbi fundum petebant. Singula haec exempla quoad certas quasdam circumſtantias exponam, quae ſingularem merentur animi attentionem.

1) *Büttner* l. c. p. 160. N. 59. A partu d. 5. Aug. peracto ad diem obductionis d. 14. Aug. nouem elapſi ſunt dies. Mox poſt partum a Matre ipſa fuit ſepultus. Pulmones natabant.

2) *Büttner* l. c. p. 162. N. 60. partum edidit mater d. 24. May, obductio facta eſt d. 30. May. Partum non clandeſtine peregit ſtuprata ſed in praeſentia parentum, atque inde, cum praterea mentionem nullam in viſo reperto fecit auctor ſepulturae tam antea factae, veriſimile eſt, infantem ad diem obductionis vsque nondum fuiſſe ſepultum. Pulmones natabant.

3) *Bütt-*

3) *Büttner* l. c. p. 164. N. 61. Infans dilaceratus a ſuibus et canibus; putredo incipiens, nondum enim ſecedebat cuticula, pulmones fundum petebant.

4) *Büttner* l. c. p. 164. N. 62. Partum edidit mater d. 17. April, obductio facta eſt d. 22. April. Putredo in pulmonibus incipiens; pulmones collapſi; pulmones deſcenderunt.

5) *Büttner* l. c. p. 168. N. 61. obductio facta eſt d. 17. Aug. quatuor hebdomadibus poſt partum praeterlapſis. Putredo in toto corpore conſummata. Pulmones ſubmerſi.

6) *Büttner* l. c. p. 188. N. 169. Partum peregit mater d. 29. Jan. obductio facta eſt d. 11. Mart. putredinis gradus inſignis in plerisque corporis partibus in pulmonibus exiguus. Pulmones deſcendebant in aqua.

XIV.

Experimenta Fabricii.

Celeberrimus PHIL. CONRAD. FABRICIVS, qui vt medicus forenſis ſummus mea non indiget laude, in *Reſponſionibus Medicis (Sectionsberichten)* de putredine pulmonum infantum ante partum mortuorum plura monet.

Vidit pulmonem foetus octimeſtris, qui iniectus in aquam ſtatim ſubmergebatur, dein vero, poſtquam tempore verno per quatuordecim dies in aqua computruerat, plane aquae ſupernatauit. Aquae immiſſus renouatae itidem natauit ac deinceps continuo.

Idem experimentum in pulmone foetus quinqueſtris fecit, qui etiam putredine ſufficiente correptus poſt hebdomades aliquas aquae innatauit; neque illi ſolum in qua putredinem ceperat, ſed et tum cum in aquam fontanam puriorem vel pluuialem immiſſus eſſet. Monet tamen vir celeberrimus pulmonem ob putredinem natantem in ſummo eius gradu iterum ad fundum deſcendere, particulis aereis et volatilioribus per putredinem euolutis et quoad maximam partem in aere diſperſis.

XV.

Experimentum Cl. Eſchenbachii.

Inſtituit quoque circa pulmones vituli ante partum mortui experimentum Cl. ESCHENBACH cuius mentionem fecit in *Obſeruationibus rarioribus* Vir ille in Medicina forenſi verſatiſſimus. Pulmonem a putredine quoque vidit natantem.

XVI.

Opinio Ill. Wrisbergii.

WRISBERGIVS acutiſſimus inciſor in Academia Georgia Auguſta in *Nouis Commentariis Soc. Reg. Scient. Goetting. T. VI.* obſeruationes et Experimenta ad confirmandam Docimaſiam pulmonum narrat, cuius verba ſunt haec p. 51. „licet non omnes corporis animalis partes tam „facili negotio ad natandum diſponi poſſint vti „id quidem de pulmonibus, inteſtinis, veſica „vrinaria,

„vrinaria, thymo et pene oſtenſum eſt, putre-„dine tamen omnium partium animalium (oſſi-„bus exceptis) vel volumen ita augetur, vel aer a „vinculis liberatur vt ſenſim verſus aquae ſuper-„ficiem emergant, et ſi ſummo in gradu eaedem „contaminatae fuerunt, perfecte natent, nec „vlla ratione ad ſubmergendum reduci poſſunt „niſi ſoluto animalis vinculo terreae particulae „fundum denuo petant". Conſentire itaque videtur Vir Illuſtris cum iis qui pulmones a putredine natare affirmant.

XVII.

Ill. Iaegeri pericula.

Ill. IAEGER in Academia Tubingenſi Medicinae Profeſſor in *Obſeruationibus ſuis de Foetibus recens natis iam in vtero mortuis et putridis, cum ſubiuncta epicriſi, Reſpond. Stoer. Tubingae 1767.* ſua refert experimenta, quorum ſumma haec eſt. Pulmones infantis in vtero materno mortui, dum recentes ſunt, in aqua nunquam non fundum petunt, a putredine correpti denuo natant, poſt compreſſionem autem quamuis leuiſſimam mox iterum ſubmerguntur et exinde in fundo vaſis ſemper manent.

XVIII.

Torrezii opinio.

Medicus quidam hiſpanicus nomine TORREZ in *Tractatu de ſubſidentia pulmonum in aqua* cuius recenſionem videre eſt in VOGELII *neue*

medicinische Bibliothek 1ſter Band 4tes Stück p. 173. inter alia argumenta quibus contra certitudinem Docimaſiae pulmonum inſurgit, experimenta quoque refert, vbi pulmones infantis iam ante partum mortui vidit ob putredinem natantes.

XIX.

Experimenta Lieberkuhniana.

Tandem et Ill. LIEBERKVHNII experimenta adducere fas eſt quorum mentionem fecit in *Diſſertatione de Experimento pulmonum natantium et ſubmergentium, Halae 1772.* Confirmant Imo pulmones canum ex vtero exſectorum aquae putrefactae, in qua putredinem conceperunt, innatare, aquae autem purae immiſſos fundum conſtanter petere. Ad quam ſententiam magis ſtabiliendam §. VIII. affert praeter alia a nobis commemorata, Vateri et Hornii experimenta.

IIdo Pulmones tam animales quam infantiles qui ſemel reſpirarunt ſemper natare, licet in ſummo putredinis gradu ſint conſtituti.

XX.

Experimenta Ill. Praeſidis.

Nunc vero accedam ad Experimenta Ill. Praeſidis, quae vigeſies et vltra inſtituit. Quorum omnium ſumma haec fuit.

Omnia experimenta facta ſunt cum pulmonibus infantum neonatorum, qui ne minimum quidem reſpirationis et vitae ſignum nec in partu ipſo neque poſt ediderunt.

Pulmo-

Pulmones non ſolum integri cum et ſine corde, ſed etiam in fruſtula diſciſſi putredine exponebantur, et quidem tum in aere tum in aqua, nec ſolum in vmbra ſed etiam in locis in quae radii ſolis libere intrabant.

Facta ſunt experimenta a 1mo die menſis Julii ad finem menſis Auguſti vsque.

Pulmones aquae immiſſi ſunt puriori fontanae in vaſis ſatis amplis vt latera eorum tangere non poſſent.

Quibus periculis comperta habuit haec:

Pulmones integri cum et ſine corde fundum petebant cum in aquam iniecti erant; idem euenit pulmonibus in fruſtula diſſectis. Duobus vel tribus poſtea praeterlapſis diebus aqua reddebatur turbida, pulmones ex fuſco rubentes paululum ſeſe dilatabant, vna alteraue veſicula aerea inde ad ſuperficiem aquae adſcendit et putridus exhalari coepit odor. Symptomata haec omnia indies augebantur, ſexto, ſeptimo aut vbi tardiſſime octauo die aqua in qua putredinem conceperant omnes innatabant pulmones tam integri quam in fruſtula diſſecti. Pulmones cum corde numquam fere ante initium octaui diei natabant. Quilibet horum pulmonum natantium, ex aqua illa ſpurcā in aquam puriſſimam fontanam ſumma cum diligentia translatus, nihilominus natauit, at leuiſſima accedente compreſſione omnes ſubmerſi ſunt.

Pulmones aquae immiſſi et radiis ſolis expoſiti ſexto iam die natarunt.

Pulmones in aere libero putreſcentes raro ante decimum aut vndecimum diem aquae innatarunt.

Qui ſemel natabant pulmones in eo ſtatu permanebant grauiorem indies ſpirantes odorem et maius volumen accipientes vsque ad diem XXI. et vbi tardiſſime XXXV; tumque iterum ne vllo quidem fruſtulo excepto ſenſim ſenſimque ſubmergebantur nec fundum vaſis deſeruerunt, licet per ſeptem hebdomades et amplius retenti fuerint.

Habuit in animo Celeb. Praeſes haec, circa putredinem pulmonum infantum ante partum mortuorum inſtituta pericula, denuo repetendi cum pulmonibus ſub terra per certum temporis interuallum inhumandis, ſed defuit ei huc vsque opportunitas.

XXI.

Epicriſis.

Experimenta haec cum opinione Ill. FABRICII et IAEGERI nec non cum periculis BVETTNERI conſentire videntur, et pleraque dubia, ab aliis Ill. Viris contra hanc ſententiam prolata, inde conciliari poſſe exiſtimo.

Maxime enim probabile eſt, illa experimenta, vbi pulmones aquae ſupernatabant ſpurcae et impurae in qua putredinem conceperant, in aqua

aqua puriori iterum ſubſidentes, non rite fuiſſe inſtituta, niſi vel a leuiſſima preſſione caueas, idem ibi continget.

Quod vero non omnes, quos diximus obſeruatores, putridos et natantes pulmones iterum ſubſidentes in aqua viderint id non niſi taedio forſan experimenti per ſatis longum temporis ſpatium non protracti tribuendum credo; non enim vnquam hoc videbis niſi ſumma adſit putredo.

Reſolutio illa mucoſa, de qua §. XI. monuimus effectus putredinis eſt, ideoque ab eadem oriuntur euentus illi quorum cauſſam in reſolutione illa mucoſa ponit Ill. HVEBER, qui et ipſe monet non a primo foetore ſed aucto demum nataſſe.

Iure itaque meo hoc, tanquam dogma forenſis medicinae ſtabiliri poſſe, cenſeo, quod nunquam contra theſin, de vita infantis extra vterum peracta, ex pulmonibus in Docimaſia natantibus valeat argumentum a putredine deſumtum, niſi ſex ad minimum dies a partu ad obductionem, tempore aeſtiuo, elapſi fuerint; verno et autumnali tempore vnum aliumue diem addere licebit, hyemali autem vel plures hebdomades non ſufficere vt pulmones a putredine natent VItum Exemplum a BVETTNERO allatum comprobare videtur. Verno, aeſtiuo vel autumnali tempore praeterlapſis ſeptem aut octo

 diebus

diebus ex putredine omnino natare poſſunt pulmones infantis ante partum mortui; illud tamen conſtat, ſolam putredinem nunquam praebere pulmonibus colorem tam dilute rubicundum quam inflationem et reſpirationem aeris; nec in pulmonibus ob putredinem natantibus vnquam deeſſe putridam exhalationem. Submerguntur tandem experimento longius protracto pulmones infantum ante partum mortuorum qui putridi antea natauerant, id quod a pulmonibus qui ſemel inſpirationem plenam habuerunt, fieri adhuc dubito. Ceterum noſtris quoque experimentis compertum habemus, id quod iam BVETTNERVS vidit, in infante nempe neonato, qui nunquam reſpirauit, pulmones longe tardius putredine corumpi ac reliquam corpuſculi ſuperficiem.

VII. HEN-

VII.

HENRIC. FRIDER. DELII
Diſſertatio
de ſugillatione quatenus infanticidii indicium.

Erlangae 1751.

Reſp.

M. IGNAT. BERGER.

I.

Arduam ſane medicinae legalis ſcientiam, arduumque medici requiſiti deponentis et diiudicantis officium eſſe, vel ex eo conſtat, quoniam huius rationibus reſponſis et argumentis, Iureconſultorum et Iudicum nituntur deciſiones, dictataeque poenae. Cum itaque hic de vita hominis ſaepiſſime agatur, oportet ſine dubio perquam ſollicite et ſerio inquirere, ne ex mutila mancaque inſpectione prodeant argumenta, ſecundum quae vel innocens in vitae diſcrimen perueniat, vel reus iuſtam effugiat poenam. Non eſt vt per admodum ſpatioſum caſuum medico legalium campum excurramus; doctrina de *infanticidio*, facto horrendo, tot tantasque circumſtantias ſubminiſtrat, quas etiam

etiam minimas obſeruare et curare debet medicus forenſis, ita, vt, ſi integram tractationem exhaurire vellemus, multis opus eſſet verbis. Subſiſtamus in praeſenti circa peculiare quoddam infanticidii indicium, et *reuocemus ad rationes ſugillationis, in tenellorum cadaueribus frequenter obuiae, hiſtoriam. A medicorum enim felici vel infelici teſtimonio hic praecipue ſalus infanticidae dependet: vtrum ſcilicet infantem naturali fato defunctum, an morte violenta ſuppreſſum fuiſſe atteſtentur:* vti KRESSIVS in *Comment. ad Conſtit. Crim. Carol.* p. 423. grauiter vereque loquitur.

II. Sapienter non minus quam iuſte a diuo Imperatore in *Conſtit. Crimin.* articulis diuerſis, praecipue CXXXI. lege ſancitum eſt, vt excuſationibus inquiſitorum, infanticidarum praecipue, concedatur locus, vt videlicet inde veritas in aprico conſtituatur, an cum vel ſine dolo et culpa editus in lucem partus viuus et vitalis viuere deſierit, vel etiam, an mortuus repertus infans mortuus quoque excluſus a matre ſit. Et teſtantur etiam acta criminalia et Caſus medico forenſes ſaepiſſime, quantum fidant excuſationibus inquiſitae earumque defenſores, cum iam mortuum vel etiam praematurum, non vitalem, admodum infirmum, *cet.* natum eſſe infantem, iam partu laborioſo difficilique editum, iam ex ignorantia oppreſſum, laeſum, et ex accidenti enecatum perhibeant. Ergo a medicis, qui res recto iudicio ponderare conſueuerunt, conſtituta

ſunt

ſunt in ratione et experientia fundata ſigna, quae tam modos, quibus vita priuantur miſelli infantes, produnt, quam quaeſtionem determinant, an repertus infans viuus et vitalis excluſus fuerit, nec ne?

III. Verum haec omnia ſigna in praeſenti enarrare inſtituti vetat ratio, cum ea a Iurisprudentiae medicae ſcriptoribus AMMANNO, ALBERTI, BOHNIO, VALENTINI, ZACCHIA, BONETO, ZACVTO, TEICHMEYERO, ZITTMANNO, HILDANO, aliisque luculenter adducta fuerint. Immorabimur tantum *ſugillationis* ſigno, quatenus indicium enecati infantis viui ſubminiſtrare poteſt.

IV. *Sugillationis* Theoriam et curationem ſibi vendicare videtur chirurgia medica, et ſi opus fuerit, inſtrumentalis. Sed advertamus ea animo, quae ad ſcopum noſtrum faciunt. Vocamus autem *ſugillationem*, quando in aliqua corporis, cutanea praecipue parte, maculam caeruleam, liueſcentem, nigricantem, brunneam etiam, cum exiguo tantum tumore obſeruamus. Qua ratione autem ab inflammatione, a gangraena, ab exanthematibus cutaneis acutis et chronicis, a naeuis maternis, ab aliis, differat, e cauſſis fiendique modo, facile patebit. A *ſugendo* praecipue vocem, a PLINIO, praeter reliquos, iam vſitatam deriuant critici et medici. Neque vana eſt haec vel e longinquo petita deriuatio. Quando enim vel ore, reſpirationis ope, vel aliis etiam

etiam inſtrumentis, cucurbitarum variis generibus, Syringa, nec non pneumatica antlia, in parte quadam cutanea viuentis animalis minuitur vel etiam aufertur preſſio atmoſphaerae, motusque vergit ſecundum directionem vis fortioris, p. *Princip. Phyſ.* tum ſanguis in motu conſtitutus ruit verſus hunc locum minus preſſum, et ingreditur minora ſpatia vaſaque; collectus hinc partim in loca, rubicundiori ſanguini legitime non patentia, cruor, ſublata ſimul ipſarum partium ſolidarum reſiſtentia, ſtagnabit, et impactus effuſusque haerens, neſciensque retrogradi, relinquet per cuticulam transparentem *maculam rubram, liuidam, caeruleam, nigricantem, atram.* Hinc vocatur etiam ſugillatio: *ein blauer Fleck, blaues Mahl, unterlaufenes Blut.* Lactantes alias matres, nutricesue non raro ſugillationes ex *ſuctione* infantis ſentiunt, quando eſuriens tenellus, papillam in ipſa mamma nimis latentem, paruam, minus perforatam, lactiferis ductibus minus patentibus, fortiter admouet ore, ſugitque.

V. Perficitur ergo haec ſanguinis ſtagnatio ſublata actione debita fibrarum. Ergo ſi per alias quascunque cauſſas infringitur, minuitur, debilitatur, aufertur tenſio fibrarum determinata in parte quadam, et maior conceditur ſanguinis adfluxus, oritur inde ſuffuſio, ſtagnatio, ſtaſis. Iam accedat parti corporis viui iniuria externa, preſſio, ictus, percuſſio, aufertur tum debita

reactio

reactio tonica, relaxantur fibrae, et conceditur tunc preſſio ſanguinis et irruptio in minora vaſa; in cutem, quam percurrunt *arteriae*, et rete ſubcutaneum *venoſum*, HALLER *phyſiol.* §. 424. BOERHAAV. *praelect.* Tom. III. p. 520. *ſequ.* conf. LVDWIG. de *humore cutem inungente* §. 4. 5. in celluloſam porro telam, ad quam manifeſto accedunt vaſa, HALLER phyſiol. §. 12. 17. in ſeroſa denique et lymphatica vaſa. A maiori preſſione, praeter hunc ſanguinis in minus vſitatioribus vaſis infarctum, oritur etiam ipſorum vaſorum diſruptio, et cruoris in fibras poroſas, ſpatiolaque celluloſa effuſio, cute tamen et cuticula integra ſaepius manente. Hoc phaenomenon *ecchymoſis* nuncupari ſolet. Haec etiam *ecchymoſis* cum *ſugillatione* ſaepiuſcule, ob paria phaenomena, pro eodem affectu habetur, cum praeter ea ſeſe ſaepius mutuo comitentur, licet ecchymoſis etiam valeat de aliis humoribus extrauaſatis vel infarctis. Conf. *Illuſtr. Bar.* VAN SWIETEN *moment. in aphoriſm.* BOERHAAV. *de cogn.* et *cur. morb.* Tom. I. p. m. 539. et ipſum BOERHAAV. *Praelect. acad.* Tom. VI. p. 82. ſq.

VI. Ex vtroque caſu ſatis manifeſtum eſſe reor, ad ſugillationem pertinere *ſanguinem e motu progreſſiuo* ſubito *ad ſtagnationem* vel ſtaſin *reductum.* Immo facilis erit differentia ſugillationis et inflammationis. In hac enim color purpureus admodum ruber, roſeus igneus, viuidusque apparet. Neque hoc mirandum, cum e

theoria

theoria inflammationis pateat, pendere ruborem ab aucta congeſtione per arteriolas indeque creſcente maiori numero et pendente *motu* particularum ſanguinis rubicundarum *inteſtino* aucto; cum contra e maiore reſtagnatione minorique regreſſu ſanguinis per venas, maioreque accumulatione molecularum ſanguinearum, in peripheria color euadat magis caeruleus, liueſcens, nigricans. Color in *gangraena* intenſe ruber, igneus, varius, HEISTER *chirurg.* p. 319. PLATNER Chirurg. §. 184. IVNKER *Conſp. chirurg.* Tab. IX. et in *ſphacelo* nigricans, ater, horumque Phaenomenorum cauſſae, dicta apprime illuſtrant, ex quibus porro elucet, quantum *caloris* etiam vel aucti vel imminuti vel plane deficientis, indeque pendentis molecularum ſanguinearum maioris minorisue cohaeſionis; maſſularum diſſolutionis; mixtionis reſolutionis, *cet.* in determinandis *coloribus* ſanguinis et partium, valeat energia. V. HAMBERGER de *calore* C. H.

VII. Variat vtique *macularum rubentium caerulearum, atrarum* indoles, peripheria et tumor, pro ratione prementis, alterantis concutientis et irritantis obiecti. Suctio enim v. g. *hirudinum, acupuncturae*, ſtigmata tantum forte relinquunt. Contuſiones vero factas e ſugillationibus maioribus hariolamur. Hinc etiam in *viſo* ſic dicto *reperto* et relatione obducentis medici forenſis, neceſſaria eſt exacta *magnitudinis* determinatio, vtrum ſcilicet fuerit ſugillatio magnitudine cru-

cigeri,

cigeri, groſſi, floreni, linearum, pollicis, palmae, an ad *contuſiones* magis referenda ſit macula; *cet.* Intus porro contenta et obſeruata, grumoſus ſanguis, fracta, depreſſa, fiſſa et colliſa oſſa, contuſi muſculi, laceratae fibrae, membranae, diſrupta vaſa *cet.* ſedulo notari merentur. Huc pertinet obſeruatio *foueae* vel *tumoris* cum ſugillatione coniuncti, ſecundum quem facilius diiudicatur vtrum ſugillatio ſit preſſione digiti, pugno, ictu ſcuticae, quae praecipue *vibices* producit, baculo, aliisue inſtrumentis peracta.

VIII. Id autem articulus 149. *Conſt. Crimin. Carolin.* innuere videtur, vbi medicis et chirurgis legaliter Inſpicientibus praeceptum eſt, luſtrare defuncti corpus, et notare vulnera, ictus, tumores, *und alle ſeine empfangene Wunden, Schläg, AVFFWERFF mit Fleis merken und verzeichnen laſſen.* Hinc STRYKIVS *de iure ſenſuum Diſſert. I.* p. 36. neceſſariam iubet inſpectionem, *vt conſtet,* circa infanticidium *de indiciis violentiae. Nam ſe mortuum edidiſſe partum conſtanter aſſerere ſolent.*

IX. Cum a ſanguinis praecipue circa cutis vaſa, ſpatiaque celluloſa ſtagnatione, effuſione, coagulatione ſugillationes deriuauerimus, §. 4. 5. 6. ſequitur, omne, quod ſanguinem in his locis accumulare, congrumare, ſiſtere, effundere vaſaque diſcerpere poterit, in corpore viuo poſſe ſugillationes producere. Iam in *veneno* interemtis communiſſime praeter maculas viſce-

rum partiumue internarum, maculas liuidas, caeruleas, ſugillationes etiam in partibus externis, pectore, dorſo, collo, genitalibus, tibiis *cet.* animaduertimus. Conf. ALBERTI *Iuriſpr. med. T. I. p. 275. ſequ.* *CAMERAR. de venen. indole.* *BOERHAAV. inſtit. med.* §. 1136. *STAHL Op. phyſ. med. p. 471.* *HILCHEN de veneni dati ſignis. p. 21. ſequ.* Ergo datum in hoc caſu venenum ſanguinem vehementius commouit, coëgit, coagulauit, et ad corruptionem diſpoſuit. Sed cum recens nati infantes plerumque quantocyus interfici a matribus, in propria viſcera ſaeuientibus, vel aliis nefariis adminiſtris ſoleant, et ambages per veneficium, ſi abortiua exceperis, §. 17. non facile quaerantur, miſſam facimus in praeſenti hanc venenorum conſiderationem.

X. Ex praemiſſis autem, declaratoque §. §. anteced. ſugillationum fiendi modo, facile elucet, quare, ex maculis his liuidis, caeruleis, in inſpectione infantis mortui, praeter alia indicia e. g. e pulmonum ſubſidentia vel ſupernatatione, e funiculi vmbilicalis conſtitutione *cet.* petita, concludere liceat, *infantem viuum excluſum eſſe, conſequenter hoc vel illo violento modo interiiſſe.* Scilicet cum ſanguinis extrauaſationem, ſtagnationem, praecedere debeat ipſius ſanguinis progreſſiuus et circulatorius motus, p. *princip. patholog.* praeſentibus autem cauſſis §. 4. 5. interruptus et magnopere mutatus, motus autem ſanguinis

guinis circulatorius ſit *vitalis*, et non niſi in viuo animali corpore obſeruandus, p. *princip. phyſiol.* ſequitur, *ſugillationem et* ſanguinis in ſugillatis locis extrauaſationem, ſtagnationem, *in corpore viuo eſſe peractam.* Conſentit BOHNIVS *append. ad exam. vuln. lethal. Diſſ. I. p. 186. Violentiae illatae veſtigia in cadauerulis crebrius obſeruamus, ideo ſuſpecta, quod nullae ſanguinis ex vaſis capillaribus profuſiones et ſugillationes integumentorum NISI IN VIVO NATO, concipi, et in cadaueribus nec rudiori contrectatione et contuſione euenire queant.* Conf. ALBERTI *Iurisprud. med.* Tom. I. p. 119. Et medicae facultatis MARBVRGENSIS idem fuit iudicium. V. VALENTINI *pandect. med. legal.* p. m. 507. et HALENSIS V. ALBERTI l. c. p. 115. n. 6. et ERLANGENSIS, aliorumque.

XI. At enim vero, concedunt factas in corpore humano viuo ſugillationes, concedi autem debere obiiciunt, oriri etiam poſt mortem ſtigmata, ſugillationes. Admodum hinc reddi videtur dubium aſſertum, quo e harum macularum praeſentia infans iam mortuus, pro antea viuo reputatur. Neque negandum eſt, in ipſis ſphacelatis, hinc emortuis, partibus colorem gangraenoſum varium §. 6. mutari in caeruleum, atrum. In venenis exſtinctis maculae obueniunt §. 9. In febribus exanthematicis peſtilentialibus, petechialibus, purpura, variolis, immo apoplexia, epilepſia *cet.* exſtinctis, poſt aliquot horas,

imo poſt vnum alterumue a morte diem, maculae liuidae, nigricantes apparent, quamobrem nihil certi ex his concludi poſſe iam FORTVNATVS aſſeruit. Sed ſalua res eſt. In caſibus enim adductis ſole meridiano clarius eſt, productas licet et auctas poſt mortem ſugillationes, factis in *corpore adhuc viuo* mutationibus *origines* quocunque modo, per ſtagnationes ſanguinis antea in motu conſtituti, debere. Deinde in morbis praecipue malignis auctas maculas a putredinoſo iam motu ſanguinis et humorum facillime deriuari poſſe quis non videt? Tum autem ſimul alia putredinis ſigna apparent, veluti, cutis facile dehiſcens, cruor ex aliis corporis partibus putidus putridusque emanans, cadaueroſus odor teter, et quae ſunt reliqua. Diſcimus autem ex hiſce phaenomenis, quam *mature* praecipue infantis mortui reperti inſpectio ſectioue legalis inſtitui debeat, ne ex confuſione ſignorum oriatur deciſio manca mutilaque, et inquiſitae vel innocentes torturae gladioue ſubiiciantur, vel reae liberentur; licet praeter ea admodum neceſſarium ſit, ad reliqua quoque ſigna ſerio attendere, quae partum viuum a mortuo diſcernunt. Neque decet repertum infantulum in locis tepidis, tempeſtate calida, inuolucris ſqualidis aſſeruare, aliasue externas cauſas concedere, quae putredinem magis augeant, viſaque et reperta dubia reddant. Huc pertinet neceſſaria circumſpectio, quando frigidiſſima tempeſtate inuenta cadauerula rigida caminorum vel hypo-

cauſto-

cauſtorum ope pro faciliori luſtratione et ſectione regelanda ſunt. Ceterum ZACCHIAS *Quaeſt. med. legal. Lib. V. Tit. II. Qu. X.* multa ventilatione ſententiam confirmat, ex eo, quod in ſugillationibus a cauſa externa factis, facile, ſi cutem incidamus, reperiamus extrauaſatum ſeu concretum cruorem, quod quidem, vbi ex maligna febre aut alia ſimili interna cauſſa apparuerint, non habeat locum, neque in his appareat vaſorum dilaceratio, quae quidem adeſt in maculis a violentia externa ortis. Et eleganter PARAEVS *in renunciationibus*, ex inductione vulnerum conſtitutionis, in partes noſtras abit, dum, vulnera hominis qui viuus vulneratus fuit, inquit, ſint rubra et cruenta, mortuus vero ſi fuerit vulneratus, neque rubra neque cruenta ſint. Deinde vulneris labra, ſi viuo inflicta ſint, tumida et liuida refert, mortuo autem inflicta albida et flaccida cernantur. Addit; id fieri ob concurſum humorum ſanguinisque in viuente homine, qui concurſus nequaquam accidit in mortuo! Quod quidem effatum, noſtro quidem iudicio, apprime conuenit cum §. 10. noſtro. Immo liceat cuicunque periculum facere, an ex fuſtigatione, contuſione, plaga, in cadauere, absque aliis adminiculis excitare poſſit ſugillationem: non res ex voto ſuccedet; cum e contrario quando in mactatis animalibus, detracta pelle, ſugillationes perſpicimus, facile ex ictu, iactu, ſcutica, fuſte lanionis, res clarior euadat. Volatilia, anſeres, gallinae, columbae, quodſi

ante mactationem alis pedibusque, ſemore, nimis vinculo conſtrictae ſunt, vel ab ancillis mactantibus vario modo contrectatae ſunt, poſtea, etiam coctae aſſataeque, acceptas inde ſugillationes monſtrant. A ſanguinis congeſtione, ſtagnatione, reſtrictione in vaſis, frequenter oriuntur in cute etiam maculae. v. PRAESIDIS *Diſſert. de vena caua, plena malorum.* Maculas tales ſaepe fictitiis ſpiritibus, ſagis, incubis *cet.* imprudentes adſcribunt. Licet praeterea notae ſint *ſugillationes absque vlla violentia externa,* quales inter alios RIEDLINVS *Lin. med.* an. 1690. p. 646. et an. 1692. p. 830. ſedulo annotauit; tamen hae non niſi in *viuo corpore* productae ſunt. Id eſt quod volumus.

XII. Indicium ergo ſugillatio, in infante mortuo reperta, eſto, motum ſanguinis progreſſiuum adfuiſſe, et vita gauiſum eſſe infantem §. 10. Ergo, *concurrentibus aliis ſuſpicionibus*, inde ad infanticidium concludi poteſt, praeſertim ſi ſuſpecta infantem in vtero iam mortuum eſſe conſtanter aſſerat. Ne autem ſeueri nimis, duri, crudeles, immiſericordesque videamur, ſed prouidi et conſcientioſi procedamus, limitandam eo merito iudicamus ſententiam, vt etiam adfirmemus, poſſe ex ſugillationibus ad partum laborioſum difficilemque concludi, ita vt ſaepiuscule absque dolo vel culpa matris aliorumue infans ſugillatus repertus vita priuari potuerit. Teſtantur hac de re complures caſus in praxi obſtetricia obuenien-

uenientes, vbi vel ex morbo et imbecillitate matris, ex mala conformatione, maloque vel peruerſo infantis in vtero ſitu, extrahitur infans, plus minusue ſugillatus. Sic D. D. PRAESIDI, inter alios, notus eſt caſus vxoris, quae infantem ſanum viuumque, licet non ſine difficultate, ediderat, ex relatione autem obſtetricis, adhuc alium reſtitare in vtero infantem, in graues timores et anguſtias adducebatur, praeſertim cum de peruerſo huius infantis ſitu certior facta eſſet. Scilicet ſuprema ſiniſtri humeri pars cum collo ante internum vteri orificium conſtituta erat. Multa contrectatione, vt ſolent, multo niſu ſitum variare obſtetrix intendebat, vsque dum effluxis viginti quatuor adhuc horis extraheretur mortuus infans, nullam quidem putredinis ſpeciem prae ſe ferens, ſed multis ſugillationibus in collo, capite, humero, ſiniſtro thoracis latere perfuſus, vitam anteactam, quam et obſtetrix, tactu certior reddita, antea aſſeuerabat. Largimur praeterea, indoctam iuuenculam meretricem ſub iuſto etiam infantis ſitu, prodeunte capite, dum hoc arripit, reliquum corpus protractura, poſſe ſugillationibus letiferis anſam praebere; immo poſſe ex inopinato acceleratoue partu, et hinc forte prodeunte prolapſu infantis in terram, letalem contuſionem oriri, quam ſugillatio poſtea inuenta indigitat. Sed in hisce caſibus oportet iudicem vario modo inquirere, quatenus adſint infanticidii ſuſpiciones, quales paſſim in CONSTIT. CRIMINALI *Brandenbur-*

S 4 *genſi,*

genſi, Bambergenſi, Carolina, artic. 35, 131. 151. adducuntur et reſeruantur, veluti: quando ſuſpecta clam vel ſola partum ediderit, grauiditatem vel partum occultauerit, animus occidendi, et effugiendi opprobrii indicium adfuerit, et quae ſunt reliqua. V. BRVNNEMAN. *Proceſſ. inquiſit. c. 8. membr. 5. n. 58. 60.* Sufficit, ex ſugillatione indicium formari poſſe, vixiſſe infantem, ex quo porro inquirendum eſt, an et quomodo enecatus fuerit infans. Conf. CARPZOV. *diſp. de infantibus expoſitis.* §. 13. ſequ. Ex quibus demum ſollicitis inquiſitionibus porro determinandum eſt, an et quomodo in mitiorem ſententiam abire poſſit debeatue iudex.

XIII. Ex praeſentibus autem ſugillationibus medicus inſpiciens porro inquirat neceſſe eſt, quid lateat ſub hisce maculis. Maculae enim indicia eſſe poſſunt, quo infanticidium vel culpoſum vel inuoluntarium modo peractum ſit. Subſtratae ergo ſugillationi partes inſpiciendae ſecandaeque ſunt; vt ex earum laeſione diiudicetur, quantum e tali modo facta functionum animalium, vitalium, naturalium, laeſione ad inferendam mortem ſufficiens fuerit. Quodſi enim ſectio et inſpectio inſufficiens et minime legalis euadit, non mirandum, quod COLLEGIA IVRECONSVLTORVM merito acta redarguant, et de poenis ſaepe extraordinariis decernant. In variis autem locis ſugillationes obſeruantur, in fronte, in fontanella, vertice, circa oſſa parietalia,

tempo-

temporum, occipitis, in facie: in nucha, collo, pectore, cordis ſic-dicto ſcrobiculo, *cet.* Ex qua vlteriori inſpectione tum facile patet, mox pericranium laceratum ſuffuſumque, oſſa cranii fracta, fontanellam depreſſam, vel etiam longiori acu pertuſam, cerebri meninges ſugillatas, ſanguinem in cranii cauitate, vel in cerebri ventriculis, cerebello, extrauaſatum, vel in durae matris ſinubus praeter modum collectum eſſe: mox collum ſilo faſciaue conſtrictum, ex quo ſtrangulatio et ſuffocatio infantis, nec non arteriarum carotidum venarumque iugularium letalis compreſſio, pro re nata determinari poteſt, niſi hoc ex circumuoluto funiculo vmbilicali, vel ex ſpaſmo et conſtrictione oris vteri factum eſſe indubie demonſtretur: Mox compreſſio manu digitoue colli, preſſaque ad ſuffocationem aſpera arteria iudicatur: veluti exemplum praebet *das Todes-Vrtheil über die Inquiſiten* Maria Zollin et An. Barb. Hoepflin *a Iudic. criminali Baruthino publicatum* et exſecutum 1748. Mox compreſſio et dislocatio vertebrarum colli, medullae ſpinalis cum inuolucro laeſio, apparet. Vulgo loquuntur: *das Genick gebrochen, abgedruckt.* Ex *ſtigmate* ſaepius intra foramen occipitale, et vertebram primam colli, perniciosam acupuncturam inuenimus. Mox ſugillatio in pectore circa cordis ſcrobiculum prodit ſterni compreſſionem, reſpirationis impeditionem, ipſiusque cordis, in motu conſtituti, ſubitam et violentam et letalem quietem. Mox e ſugillatione oris, la-

biorum, nariumque iudicatur irruentis vel exſpirandi aëris facta prohibitio. E facie, quoad partem plurimam ſugillata, conſentientibus reliquis circumſtantiis, ſuffocatio in aqua, inquiri poteſt. Tacemus alios infantes interficiendi modos, quos ALBERTI *Iurisprud. med. T. I. Cap. IX.* §. *11. ſequ.* BOHN. *append. ad exem. vuln. letal.* Diſſ. 1. p. 184. *ſequ.* aliique referunt. Sufficit ſugillationem indicium eſſe non leue, *redliche Anzeigung, Warzeichen, Argwohn, Verdacht und Vermuthung* vti loquitur CONST. CRIM. CAROL. artic. 19. ſeq. 25. ſeq. ex quo, concurrentibus praeſertim aliis, ad infanticidium quoquo modo perpetratum concluſio formari poteſt.

XIV. Illuſtrabimus dicta exemplo: Notus D. D. PRAESIDI eſt caſus, reperti ad fluminis cuiusdam ripam infantis mortui. Nulla autem aderant ſigna factae in aquam proiectionis vel ſuffocationis, cum praeſertim haud adeo prope littus repertus fuerit. Partus erat perfectus et maturus. Funiculus quidem vmbilicalis non ligatus, attamen prope vterinam placentam ſolutus. Aperto abdomine et thorace nihil, quod quidem mortem inferre potuerit, reperiebatur; vaſa ſanguine non vacua. Aſt capite accuratius inſpecto, *in fronte, circa os bregmatis* dextrum et *in occipite* reperiebantur *ſugillationes.* Inciſis integumentis, in partibus fibroſis et tela celluloſa, in pericranio, extrauaſatus omnino ſanguis inueniebatur. Reclinatis diſſectis cruciatim his inte-

gumen-

gumentis, non tantum in oſſe frontis ſed et occipitis, nec non parietali *fracturae fiſſuraeque* variae conſpiciebantur. Neque in his ſolum, ſed in ventriculis cerebri, in cranii cauitate extrauaſatus ſanguis cernebatur, mortis cauſſa. Conf. ERLANG. GEL. ANZEIGEN 1750. N. XXV. Ex laeſionibus autem et ſugillationibus hiſce modus enecandi facile perſpiciebatur. Scilicet admodum erat probabile, diram matrem vel aliam ſceleris adminiſtram manu comprehendiſſe tenellum caput, ita vt pollex oſſi frontis, index et medius digitus oſſi bregmatis, annularis digitus et minimus oſſi occipitis violentiam intulerint. Si iam vlterius circa alias ſugillationum ſpecies ſubſiſtere animus eſſet, plura omnino adducenda forent, quibus demonſtrari poſſet, ſugillationes in adultorum cadaueribus repertas ſaepiſſime indicia veſtigiaue ſubminiſtrare, vnde porro letalitas determinari queat. Prodeat exemplum aliud: Oritur ante aliquot annos in vrbe quadam inſanae plebis tumultus. Nonnulli verberibus vulneribusque adficiuntur. Inter hos vir quidam repente mortuus cadit. Inſpicitur cadauer legali modo. Obſeruat medicus infra ſiniſtram mammillam, inter coſtam forte quintam et ſextam ſugillationem, crucigeri magnitudinem vix excedentem. Curioſius inſpicitur macula. Latentem autem anguem in herba apertus thorax commonſtrauit. Scilicet ad cor ipſum penetrabat ſugillatio, hinc ad factam vehementem et validam contuſionem concludebatur, et, facta vlterio-

vlteriori iudiciali inquiſitione, eruta tali modo cauſſa erat, quendam baculi apice tantum, huc illucue directo, fortiter tetigiſſe miſerum interfectum, et in hoc fatali loco cor vicinum grauiter contundiſſe, ipſiusque motum hac ratione velociſſime ſuſtuliſſe.

XV. Iam cum, poſitum extra dubitationem eſſe, iudicandum ſit, ſugillationes eſſe indicium vitae anteactae infantis, quoniam non niſi praeſente ſanguinis circulo ſugillatio actuatur, §. 4. 5. 6. 10. 11. circulus autem ſanguinis praeſens vitae praeſentiam inuoluit; quaeſtio tamen poteſt oriri, *an non infans ſugillatus, et tamen mortuus excludi ex vtero poſſit.* Et poſſibilitatem iam §. 12. demonſtrauimus. Scilicet, vt iam taceamus laborioſi partus circumſtantias, ſub quibus viuus in vtero infans enecari poteſt, nefanda nota ſunt artificia, quibus e. g. fontanella, antequam caput integrum excluſum fuerit, deprimitur, et ſenſatio aufertur, letalis ſanguinis extrauaſatio producitur. Immo ſub partu faciliore nefandae meretrices femorum contractione caput tenelli miſeri letali euentu comprimere poſſunt, et interficere infantem, *antequam reſpiret.* Seu acu longiori fontanellam ſub eodem ſitu perforant, vt habeatur deinde pro foetu mortuo. Inde porro elucet, ſolum experimentum cum pulmone infantis, neglectis aliis inueſtigationibus, infidum eſſe poſſe, cum pulmo aquae iniectus fundum petere poſſit, cum nihilo minus infans viuus

partui

partui proximus fuerit. Niſi ergo extra vterum vixit infans, et excluſus totus viuus eſt, vixit tamen. Patet inde denuo dignitas inquirendarum ſugillationum. Conf. BOEHMER *de caede infantum in vtero.*

XVI. Sed inſpectio ſollicita ſugillationum in apricum etiam proferet verarum ſugillationum a *naeuis maternis*, tam varii generis, e. g. ſub ſpecie ambuſtionis, *eines Feuermahles*, differentiam. Et de liuoribus maculisue in infantibus iam in vtero mortuis, conceptis iam putredinis indiciis, partu demum editis, actum eſt §. 11.

XVII. Plurima quidem violenti *abortus* et *abactus* ſigna ex ipſius matris varia conſtitutione, praegreſſisque cauſſis et indiciis determinanda veniunt. v. ALBERTI *Iurispr. med. T. I.* p. 135. 386. Quando autem expulſus variis modis, *abortiuis* potentialibus et actualibus, *venenis* §. 9. *cet. l. c. p. 136. ſequ.* immaturus foetus ſugillatus apparet, an eſt, quod de anteacta vita foetus dubitemus? non videtur, propter cauſſas ſugillationis ſupra adductas.

XVIII. Quamuis autem ſugillationes pro vitae anteactae indiciis, hinc et in certis caſibus pro perpetrati infanticidii veſtigiis habeamus merito; tamen in arduis his difficilibusque ſaepius indiciis nudae coniecturae et ſolae *praeſumtiones* in cauſſis, vbi agitur de ſanguine et vita humana, omnino exſulent. Peritus contra et conſcien-

conſcientioſus medicus curatiori indagatione et ſedula inueſtigatione ſignorum ſociorum omniumque circumſtantiarum apparentes praeſumtiones in veras aſſertiones conuertere, quantum ipſi poſſibile fuerit, omni ſtudio, omni dexteritate et ſolertia adlaborabit, niſi quidem in caſibus ancipitibus maximeque dubiis iudicium plane ſuſpendere, et rem omnem Deo omniſcio supremo factorum cogitationumque ſcrutatori ſatius ducat commendandam.

COLLECTIO OPVSCVLORVM SELECTORVM AD MEDICINAM FORENSEM SPECTANTIVM.

CVRANTE

DR. IOAN. CHRIST. TRAVGOTT SCHLEGEL

MEDICO APVD LONGO-SALISSENSES.

VOL. II.

LIPSIAE,

IMPENSIS CAR. FRIEDER. SCHNEIDER.

1787.

EX LIBRIS G: IORDAN

COLLECTIO
OPVSCVLORVM
SELECTORVM
AD
MEDICINAM FORENSEM
SPECTANTIVM

CVRANTE

D. IOAN. CHRIST. TRAVGOTT
SCHLEGEL
MEDICO APVD LONGO-SALISSENSES.

VOL. II.

LIPSIAE,
IMPENSIS SAM. LEBERECHT SCHWICKERT.
1787.

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,

CELEBERRIMO

EDVARDO SANDIFORT

MEDICINAE DOCTORI,

MEDICINAE, ANATOMES, CHIRVRGIAE IN ACADEMIA BATAVA, QVAE LEIDAE EST, PROFESSORI, COLLEGII CHIRVRGICI, OBSTETRICII VT ET PHARMACEVTICI LEIDENSIS PRAESIDI, ACAD. NAT. CVRIOS., HOLMIENSIS, EDINBVRGENSIS, BASILEENSIS, CHIRVRG. PARIS., SOCIET. MED. PARISINAE, LVNDINENSIS, EDINBVRG., HARLEMENSIS, ROTTERODAMENSIS, VLISSINGANAE CET. CET. SOCIO

HOCCE VOLVMEN SECVNDVM

D. D. D.

VNAQVE

SE RESQVE SVAS DE MELIORI NOTA

COMMENDAT

EDITOR.

PRAEFATIO.

Volumen primum huius collectionis, quod duos ante fere annos in publicum prodire iuſſi, communi applauſu, quantum enim reſcivi, ab omnibus arbitris fuit exceptum: id quod me ad telam coeptam ſtrenue pertexendam excitavit.

Sequitur nunc ſecundum volumen, itidem comprehendens opuſcula varia, quibus res, e ſcientia medica forenſi ſcitu

neceſſariae, fuerunt docte tractatae atque demonſtratae. Qua de re ſum certus, hocce quoque volumen cenſorum aequorum applauſu fore dignum.

Vtaris itaque hisce mecum, Lecter beneuole, velim; ſi meliora autem occurrerint, mecum, quod iamiam perhumaniter petii, ea, vt opus perficere poſſim, benigniſſime communices, et conatui meo in poſterum etiam faveas. Dab. Longo-Saliſſae, die XX. Ianuarii, MDCCLXXXVII.

CON-

CONSPECTVS

CONTENTORVM

Voluminis ſecundi.

VIII.

Laurentii Heiſteri diſſ. qua partus tredecimeſtris pro legitimo habitus proponitur, et ſimul, partui nullum certum tempus in vniuerſum tribui poſſe, oſtenditur. Reſp. *Ioan. Gerard. Wagner.* Pag. 1

IX.

Rud. Auguſtin. Vogel. diſſ. de partu ſerotino valde dubio. Reſp. *Ioan. Chriſtoph. Harrer.* 114

X.

Ioan. Zacchariae Platneri progr. quo oſtenditur, medicos de inſanis et furioſis audiendos eſſe. 156

XI.

Ioan. Chriſtophor. Pohlii progr. de lethalitate vulnerum lienis. 185

XII.

Phil. Conr. Fabricii diſſ. de lethalitate vulnerum ventriculi ſecundum principia anatomica et medica expenſa. Reſp. *Aegid. Iungen.* 196

VIII.

Petr. Imman. Hartmanni diſſ. ſiſtens medicam tormentorum aeſtimationem. Reſp. *Frider. Adolph Detleffſen.* 227

VIII. LAV-

VIII.

LAURENTII HEISTERI
Diſſertatio,

qua partus tredecimeſtris pro legitimo habitus proponitur, & ſimul, partui nullum certum tempus in vniuerſum tribui poſſe, oſtenditur.

Secundum editionem alteram.

Helmſt. 1753

Reſp. & auct.

IOAN. GERARD. WAGNER.

PROOEMIUM.

Tametſi multa in phyſiologicis occurrunt valde dubia, multaque contentione in vtramque partem a naturae ſcrutatoribus diſputari ſolita; tamen nulla fere res maiores ex omni aeuo rixas ac diſceptationes inter eruditos mouit, quam, *de foetus humani in lucem productionis legitimo tempore*, quaeſtio. Quod quidem eo minus ſubit mirari, quo plura ſunt in hoc negotio obſcura, longa demum experientia cognoſcenda, ac diuerſo modo in quibuslibet fere hominibus comparata. Plane

Cauſſae tantarum de legitimo partus termino litium.

enim abſtruſa ac nulla non ex parte plurima caligine tecta haec eſt diſputatio. Ad quae obſtacula tamquam cumulus aliquis acceſſit, quod illi, qui de his veritatibus alios erudire ſuſcipiebant, plane a re aliena in eamdem inuehebant. Vires verbi cauſſa numerorum et aſpectuum ſic dictorum coeleſtium, de quibus CENSORINVS *libro de die natali cap.* X. conferendus. Quae res duplici de cauſſa magnam huiusmodi veritatum indagationi moram interpoſuit. Primo, quod, dum de eiusmodi aſylis cogitarent, de viis ad eruendam veritatem ſolliciti eſſe non poſſent. Dein, quod magna auctoritate pollentes talium errorum parentes, plane ſuas nugas, ſolo auctoritatis ſenſu diſcentibus commendarent, ne dicam obtruderent. Quid enim, obſecro, erat cauſſae? quam ob rem pro octaui menſis ad ſuperfuturi foetus productionem ab HIPPOCRATE aſſerta ineptitudine tantopere digladiarentur: quod vltra vndecimum menſem partus protrahi poſſe negarent, quoniam ARISTOTELES hos terminos quaſi ac limites fixerat. Non libris hic et auctoritatibus; ſed exemplis curate ac crebro obſeruatis pugnandum erat, non ratiociniis meris atque cerebri, intempeſtiuis ſaepe, foetibus, ſed experientiae erat inhaerendum. Quod quo magis ſpretum ſuperioribus fuit ſaeculis, eo minus eſt mirandum, in harum veritatum cognitione eo nondum peruentum eſſe, vt omnia, quantum eius fieri poteſt, et tot ſaeculorum obſeruationes ſpondere videntur, ſint exploratiſſima: licet inter vetuſtiſſimos iam philoſophos hac de re quaeſtiones ſint propo-

propoſitae, ac per omne tempus, at noſtram vsque aetatem agitatae. Vt ſententiae huius veritas clarius eluceat, legat mihi aliquis varias hac de re quaeſtiones diſceptationesque COI *ſenis*, verbi cauſſa, libris *de ſeptimeſtri et octimeſtri partu*, quem alii ad POLYBIVM auctorem referre malunt. Legat GALENI *de ſeptimeſtri partu librum*, in Opp. eius T. I. reperiundum; HORATIVM porro AVGENIVM *de incerto partus tempore libro, epiſtolis et conſiliis eius medicis*, annexo. Legat CONRADI AXTII *de ſeptimeſtri partu dialogum*, in HARTVNGII *de ſeptimeſtri et vndecimeſtri partu diſſertatione, Ienae habita,* vna cum FED. BONAVENTVRAE *de octimeſtri partu libro*, et ARNISAEI, ſplendidi quondam huius Academiae ſideris et anatomici, *de legitimis partus terminis diſquiſitione* excitatos. Legat SPERON SPERONII *de partus tempore dialogum*, et ANDR. SPIGELII perquam docte, *de incerto partus tempore ad ſtudioſos Germanos in academia Patauina* ſcriptam epiſtolam. Legat denique P. BARRAE, medici Lugdunenſis, *anno 1666 de veris humani partus terminis, ex Hippocrate editos libros tres*, ne plures commemorem ex inſtituto de huiusmodi diſceptationibus agentes, (eos enim, qui de hac quaeſtione in phyſiologicis ſuis libris egerunt, et quorum numerus iniri vix poteſt, non commemoramus,) plane ita vt diximus comparatum eſſe reperiet;

Ordo diſputationis indicatur.

Vt tamen rem ipſam adgrediamur, et debito nosmet noſtro, quo in prima

 huius

huius ſchediaſmatis fronte nos obſtrinximus; caſum illum liceat loqui, cuius occaſione haec potiſſimum exercitatio inſtituta eſt ac ſuſcepta; proponemus, et ſimul incertitudinem partus termini, non praeter naturam rerum ſolum, ſed et ſecundum eamdem, argumentis ſane grauibus impugnatam, vindicabimus, atque demonſtrabimus, omnibus etiam recte ſe habentibus, non tamen certum prorſus ac perpetuum humano partui terminum conſtitui poſſe. Quae quidem tribus a nobis explicabuntur capitibus, quorum primum caſum hunc, cum ſententia hac de re lata, proponat, ac nonnulla ad reliqua probe intelligenda neceſſaria, contineat: alterum, argumenta pro noſtra hypotheſi probanda adferat: tertium argumenta noſtrae ſententiae oppoſita confutet.

CAPVT I.

Exponens hiſtoriam foetus poſthumi tredecimeſtris, et nonnulla alia ad reliqua rectius intelligenda pertinentia.

I.

Proponitur hiſtoria partus tredecimeſtris.

Anni huius ſaeculi decimi noni menſe Sextili, virgo temperamenti melancholico cholerici, anno aetatis trigeſimo viro nupſit LIX. fere annos nato, cui menſe Decembri praecipite eodem anno funus facere coacta fuit. Iauolena, (hoc nomine mulierem hanc denotare placuit) cum ſe praegnantem, nec temere, arbitraretur, id quod, diem obeunte

marito,

marito, ſtatim medico ſuo aperuit, paullo poſt menſtrui fluxus, ſiue rectius, haemorrhagiae vteri, indicia perſentiſcens, huius rei, ne abortus fieret, auxilium ab eodem prudenti excercitatiſſimoque medico petiit, qui, debitis medicaminibus ac venae ſectione adhibitis, id dedit operam, ne quid damni inde futuro homini oriretur. Quum autem et moerore graui et ira interea temporis ſaepe adficeretur, commoti ſanguinis indiciis poſt aliquod tempus rurſus infeſtata, conſilio medici iterata venae ſectione, foetui opem ferre ſtuduit. Tandem menſe Aprili ſequentis anni cIↄIↄccxx ſe motum infantis percipere, medico refert. Exinde ſenſim ventri tumor tantis acceſſionibus ſingulis menſibus auctus adparuit, vt partus tempus imminere menſe Septembri, tum ipſa, tum alii, iudicarent. Perſtitit vero ex illo tempore tumor, nullo, quod ſentiri poſſet, incremento auctus, ad anni cIↄIↄccxxI primos vsque dies, quibus infantem perfectum quidem, debilem tamen et ſuturis cranii hiantibus, admodum difficili puerperio, eſt enixa. Ad vitae vero, quae grauiditatis tempore ipſi contigit, genus, quod attinet, illam parco victu vſam, multo ob mariti ex hac vita inopinatum diſceſſum moerore ac triſtitia excruciatam, plurimis animi perturbationibus, iraque crebriori infeſtatam, omnes qui eamdem illo tempore viderunt, vno ore vnaque voce ſunt teſtati. Bis venae ſectionem ſuadente id medico, ſymptomatibus iubentibus, paſſa eſt, ita, vt nullum calamitatis genus, quo infantis ſanitas in diſcrimen ſummum adduci poſſet, relictum videretur.

II.

Hac de re quum inclytus medicorum in academia Iulia ordo iudicium ferre rogaretur, an hic partus, his poſitis circumſtantiis, pro legitimo haberi poſſit? ſingulis adiunctis aequa iudicii lance expenſis, ſententiam tulit, cuius ſummam, qua fieri poterit breuitate, exponemus, Quae quod ad manus noſtras peruenerit, ſingulari beneuolentia viri experientiſſimi atque celeberrimi, LAVR. HEISTERI, praeceptoris mei omni pietate ſuſpiciendi, factum eſt. Is enim, cum in ſcholis ſuis quibus in BERGERI *de natura humana librum* commentabatur, vbi de partus legitimo tempore agebatur, negotium hoc, quo conſueuit candore, qua doctrina, (plura dicere viri modeſtia, cui grauis eſſe vereor, vetat,) explicaſſet, memorabilis huius exempli mentionem ſimul iniiciebat. Ac, cum penes ſe ſententiam hac de re a ſe cum reliquo medicorum corpore latam teneret, cuius ſummam paullo ante exhibuimus, copiam eius, roganti mihi liberaliſſime faciebat. Comitabatur haec tanta ex inſtructiſſima eius bibliotheca, librorum farrago, vt, quidquid fere de hoc negotio celebrioris quidem nominis viri litterarum monumentis conſignaſſent, illud omne euoluere ac rimari plane liceret.

III.

Sententiae vero hac de re latae praecipua capita haec ſunt: Infantem hunc, ex indicato in conſultatione tempore, quo et vir mortem obierat, et in hanc lucem ab vtero infans prodierat, pro duodecim

decim menſes et dimidium circiter geſtato eſſe habendum. Ex veterum quidem placitis et conſueto de partubus iudicandi modo infantem hunc vix, ac ne vix quidem, pro legitimo, ac eiusmodi, qui ante mariti obitum conceptus ſit, habendum fore, ad illam enim normam vndecimeſtres ad ſummum pro legitimis haberi. Verum his ſemper fidem haud tribuendam eſſe, cum quae illis fidem ſuperare ſaepe viſa ſint, ſenſus poſtmodum atque experientia confirmarint. Adde, quod ſuccedente tempore, naturaeque myſteriis curatius exploratis, huiusmodi, miraculis antea ſimilia viſa phoenomena, grauibus rationibus cauſisque ſolidiſſimis explicare licuerit. Neque dubitandum, quin clementius de eo, quod Iauolenae contigit, ſi res rite ac ſine praeiudicio perpenditur, ſit ſtatuendum. Experientia enim teſte multa ſunt, quae partus terminum inſignem in modum aut accelerare queant aut retardare, Hippocrate, aliisque eruditis medicis id quam clariſſime euincentibus, ita, vt ſexto, ſeptimo, vndecimo, duodecimo, decimo tertio, et quarto, menſibus, qui primam lucem aſpexerint, ſint reperti, vt videre eſt apud SPIGELIVM *de format. foetus part. III. cap. VII.* CODRONCHIVM *de methodo teſtificandi p.* 205. Quid? quod decimo ſexto demum, decimoque nono menſe natorum exempla habeat SPIGELIVS *d. l.* et *Zodiacus Gallicus A.* 1. *p.* 25. TH. BARTHOLINVS *de inſolitis partus viis. p.* 8. et TIM. a GÜLDENKLEE *in opp. medico pract: Reſp.* 36. *p.* 974. diſertis verbis quam veriſſime pronuntians: *Et ſi plerique foetus nono vel*

decimo menſe in lucem edantur, certum tamen eſt aliquos etiam vndecimo, duodecimo, decimo tertio nonnullos ſexto, ſeptimoque vitales naſci, quemadmodum apul PLINIVM *L. VII. hiſtor. nat. c. V.* CARDANVM *L. I. Contradict. VIII. Tractat. XXXI.* AMATVM LVSITANVM *Centur. I. Curat. LXXVII.* AVICENNAM *de natura animal. Lib. IX.* FRANCISC. VALLES *de philos. ſacr. Cap. XVIII.* HORATIVM AVGENIVM *Epiſt. et Conſult. Lib. VI.* SCHENCKIVM *Lib. IV. Obſerv. XLI.* ADR. SPIGELIVM *de format. foetus Cap. VII.* SPERONIVM *in dialogo de partu* et alios indubitatae fidei auctores reperire licet. Proinde ſi is, qui frequentius obſeruatur, decimeſtris partus terminus, per trium menſium interuallum certis de cauſſis poſſit maturari, vero fieri ſimile, miratu haud magnopere dignum eſſe, ſed concipi poſſe, ſubeſſe cauſſas, quae eumdem per tres menſes protrahant: imo, ante dictas medicorum relationes, id factum fuiſſe, plane euincere. Iam vero ſic ea, quae de Iauolenae caſu relata ſint, ita ſe habent, vt re vera ſe habuiſſe teſtes ſunt idonei, maximum honeſtiſſimae mulieri patrocinium pariunt. Primo enim Iauolena ex menſibus non ſuccedentibus ſtatim moriente marito grauiditatis ſuae ſignum cepit; et animaduerſa rurſus vteri haemorrhagia, eiusdem, damnum vtpote embryoni illaturae, medelam a medico popoſcit; Dein, fluxus ille in uſum vocatis venae ſectione aliisque abortui contrariis remediis, ceſſauit, ac denuo rediens, ſcienter a medico fuit cohibitus. Tum Iauolena menſe

menſe Aprili, qui quartus a mariti obitu fuit, ac ſolito proinde tempore, incipientem in vtero infantis motum medico indicauit. Poſt, menſe Septembri anni cIↃIↃCCXX ventre adeo intumuit, vt partui admodum vicina iudicaretur. Denique, illa ex eo tempore notabile incrementum haud cepit, ſed in eadem conditione vterus permanſit, donec menſis Ianuarii cIↃIↃCCXXI initio in lucem infans ederetur. Quae certe plane id ſuadent, diem ſuum obeunte marito, Iauolenam iam re vera fuiſſe grauidam. Medico enim ſuo breui poſt indicauit reditum haemorrhagiae vteri, ac exinde abortum metuens, eumdem quae auerruncarent flagitauit: perceptum infantis motum eo tempore medico aperuit, quod eumdem ante mariti obitum conceptum eſſe teſtaretur. Vteri tumorem, quod praecipuum, ac inprimis memorabile eſt, eiusmodi perpeſſa fuit ſolito tempore, qualis eſſe ſolet mulierum puerperio admodum vicinarum. Ex quibus elucet, Iauolenae vtero concluſum foetum, tametſi maximam augmenti ſui partem menſe circiter nono fuit conſequutus, ob matrem tamen omnis generis ingratis animi pathematibus excruciatam, pauciſſimo per geſtationis tempus cibo vſam, haemorrhagiis crebris, iteratisque venae ſectionibus eneruatam, non potuiſſe tantum alimenti, tenello corpori adpoſiti recipere, quin partus hora magnopere protraheretur. Quid? quod infans, vitioſo, ac, nunc ira nimis aeſtuante, nunc ex moerore non citato ſatis curſu fluente, ac infeſtiſſimis motibus agitato ſanguine nutritus, non potuit non, de

huiusmodi ſiquidem turbis participans, aliquo morbo adfici. Quod quemadmodum fieri et obſeruationes medicorum aliorum, et celeberrimi HOFFMANNI induſtria, *diſſertatione de morbis foetuum in vtero*, clare demonſtrarunt; ita, cum parentem nactus fuit infans hicce, ſenem, non admodum bene valentem; vnde ex primo iam conceptu debilis exſtitit, quod futurae hiantes ac nondum perfectum cranium aliquo modo monſtrare videntur, vero ſit ſimillimum, ipſum in vtero morbo qualicumque fuiſſe correptum. Iam vero cum morboſos foetus non ſolum magno temporis interuallo nihil incrementi capere, ſed magna priſtini incrementi parte fraudari, inde colligere liceat, quod id in infantibus iam natis, morbisque adflictis, ſiue adulti iidem ſint, ſiue tenelli adhuc, ad oculum liceat perſpicere: ita facile adparere, infantem hunc aut proprii corporis aut materni ſanguinis vitio in morbum coniectum, aegrotaſſe, et ſui, vt vigoris, ita et magnitudinis iacturam feciſſe, oblanguiſſe, et proinde non potuiſſe, quin longiorem in vtero moram traheret. Quemadmodum enim maturior foetus perfectio ac vigor infantis, maturioris excluſionis auctor eſt; ita re contrarium in modum ſeſe habente, non potuit non partus termino inſignis mora interponi: ſuffragantibus TIMAEO *ſupra dicto loco*, et BONETO *Theſauri practici lib. V. de morbis mulier. pag.* 287. Proinde ſi vltimis geſtationis menſibus foetus morbo fuit correptus, potuit eodem laboraſſe vsque ad anni CIƆIƆCCXXI initium, ex quo ſanitati redditus,

primis

primis menſis Ianuarii eius anni diebus exitum eſt molitus. Nullum itaque dubium amplius relinqui, allatis potius ex cauſſis, et exinde quod vitae integerrime ſemper actae teſtes haberet, quotquot ipſam norant, omnes, ſole clarius meridiano elucere, marito adhuc ſuperſtite illam concepiſſe, infantum vero ob paucum vitioſumque ipſi ſuggeſtum nutrimentum in morbum qualemcumque coniectum, non potuiſſe exitum moliri, donec fractae vires aliquo modo eſſent reſtitutae. Datum Helmſtadii in acad. Iulia III. Non Auguſti cIↃIↃCCXXI.

IV.

Expectas fortaſſe, lector beneuole, vt propoſito hoc partu miratu digno de cauſſis differamus, quibus, vt adeo producto tempore in lucem edantur homines, contingit. Et ſane ſpatioſus eſt, in quem differendo excurrere poſſemus, campus, ſiue enim, quid de his veteres aeque ac recentiores ſtatuerint, colligere; ſiue exemplis ſingula illuſtrare ex auctorum monumentis placeat: ſiue alias quaſcumque lites in hoc negotio mouere, animus foret; omni ex parte integrorum voluminum conſcribendorum materies ſeſe obferret. Verum, quoniam ſatis multi in his ſtadiis iam deſudarunt, vt partus aut nimis protractos, aut iuſto citius maturatos vindicarent, et cauſſas quam id ob rem contingere queat, explicarent; (conf. VALENTINI *Pandectas dicas Part. I. Sect. I.*) eiusmodi argumentum eligere potiſſimum placuit, in quo quod actum egerimus iure haud poſſemus incuſari.

Nimirum,

Explicatur diſſertationis ſcopus.

Nimirum, vt partus humani certum tempus, ſecundum naturam quoque non determinatum eſſe demonſtremus, ac contra ſecus exiſtimantes vindicemus. Quae enim in ſimili cauſſa commentati ſunt HORATIVS AVGENIVS, SPIGELIVS, aliique, ſupra dictis libris, ea id fere agunt, vt cauſſas maximam partem praeter naturam, ſeu morboſa ſymptomata in medium adferant.

V.

Non recens excogitata noſtra eſt ſententia.

Vetus iam eſt ARISTOTELIS pronunciatum, *Hiſt. Anim. lib. VII. cap. IV.* τα' αλλα ζωα μοναχως, ποιει την τουτου τελειωσιν, (εἷς γαρ ὥρισται του τοκου χρονος πασιν) ανθρωπω δε πολλοι μονω των ζωων· και γαρ ἑπταμηνα και εννεαμηνα γινονται, και δεκαμηνα το πλειστον, ενιαι δε επιλαμβανουσι και του ἑνδεκατου μηνος. h. e. *reliqua animantia omnia vno modo partum perficiunt (vnus enim omnibus praefixus eſt partus terminus,) ſoli vero homini, ex animantium numero multi. Etenim et ſeptimeſtres et nonimeſtres eduntur infantes, et vtplurimum decimeſtres: quaedam vero vndecimo quoque menſe pariunt.* Quae verba velut ſumma eorum ſunt, quae HIPPOCRATES *ſuis de partu ſeptimeſtri et octimeſtri*, ac aliis, vt *de natura pueri, libris*, tradiderat. Non inquiremus iam, num quid vere de partu animalium iudicarit philoſophus; nec de eo erimus ſolliciti, an iuri octauum menſem ex hoc negotio excluſerit; (cum infra his de

de rebus nobis ſermo ſit futurus;) in illam ſolum humani partus indolem animum conuertemus, qua diuerſi admodum eius termini proponuntur, cui quidem ſententiae fides diu fuit habita, nec qui de eius veritate dubitarent, ſunt reperti. Poſtea vero quam renatis litteris in veritates altius inquireretur reperti ſunt quibus hypotheſeos huius veritas vacillare videretur.

VI.

Non dubitatur an diverſum ſit partus tempus.

Nolumus autem quemquam in ea eſſe opinione, ac ſi homines alios ſeptimo, octavo alios, nonnullos, eosque plurimos, nono, decimo ac ſequentibus aliquot menſibus, in lucem fuiſſe editos, valde ſit dubitatum. Plane enim coecos, ac eius quod vbiuis obuium eſt, negligentes, fuiſſe oporteret. Verum de eo magnas lites mouerunt, annon reliqua omnia partus tempora, praeter nonum menſem ac decimi initium, pro ſpuriis, ac a cauſſa quadam praeternaturali profectis, ſint habenda.

Sed an id ſecundum naturam eueniat, ambigitur.

VII.

Definitur legitimi partus termini vox.

Vocamus vero cum HIER. MERCVRALI *Praelect Piſanis, tractatu de generatione hominis cap. XXIX.* illud tempus, legitimum partus momentum, inquo foetus non modo iam abſolutus eſt et confirmatus ſecundum

cundum totum et omnes ſui partes, (ſaniori quidem ſenſu) verum aptus eſt, vt extra vterum viuere et diu et ſanus valeat; et proinde cum experientiſſimo DE LA MOTTE, in *Traité complet des accouchemens liv. II. chap. XXVII* dicimus infantem termino natum legitimo, *quand il eſt en etat, de ſe conſerver la vie, et de prendre le ſain de ſa nourrice en quelque tems que la mere accouche:* *ſi eiusmodi eſt, qui vitam ſibi conſeruare poſſit et nutrimentum accipere a nutrice, quocumque tempore mater puerperium ſubierit.*

Et infantis legitimi.

VIII.

Quid menſis vocabulo denotetur veteribus.

Attingenda quoque, ut omnia eo rectius explicari queant, illa lis eſt, cui menſium diſcrimen originem praebuit. Diſceptatum nempe ex omni poſt HIPPOCRATEM fuit ſaeculo, quodnam menſium genus, lunariumne an ſolarium, HIPPOCRATES in ſuis monumentis intellexerit. Si GALENO *in Epidem. Comm. VII. c. 29.* fidem habemus, in partus negotio intelligi menſem, qui triginta dies capiat, conſtabit. Verum, vt haec ita haud comparata eſſe doceamus, duo HIPPOCRATIS loci ſufficient. Alter horum ex libri *de ſeptimeſtri partu* initio deſumtus ſic ſe habet: *οἱ δε ἑπταμηνοι γινονται εκ των ἑκατον ἡμερεων καὶ ογδοηκοντα, και δυο, και προσοντος μοριου.* Quibus nonniſi lunares ſiue eos periodicos ſeu ſynodicos ſeu illuminationis, ſeu adparitionis accipias, intelligi, facile adparet. Alter ex *libro de principiis*, vbi *εχει δε*, ait, *καὶ το ἑπταμηνον γενο-*

μενον

μενον τρεις δεκαδας ἑβδομαδων, ες δε την δεκαδα ἑκαστην. ἑβδομηκοντα ἡμερας, τρεις δεκαδας δε ἑβδομαδων, αἱ συμπασαι δεκα και διακοσιαι. Quo quidem loco ſolares, ſeu triginta dierum menſes, indicari, adeo clare patet, vt ſi haec vlterius illuſtrare animum inducerem, diei lumen inferre velle merito exiſtimarer.

VIIII.

Hippocrates explicatur.

Sed inquies, aut fallendi alios ſtudio; aut ſibi ipſi non conſtante animo, HIPPOCRATES *ἀμφιβολικῶς* menſis voce vſus eſt. Verum, fallendi ſtudii crimine alias conſuetus et vbiuis obuius ac perſpiciendus candor ipſum facile, ſpero, abſoluet. Nec ſibi quod ipſi non conſtiterit, in hoc incuſandus videtur homo grauiſſimus, cum alia ſubſit cauſſa, cur diuerſa menſis genera admiſerit. Falſa haec nititur hypotheſi. Videlicet cum lunae olim ac ſoli, tum generatim, tum in partus praeſertim negotio, magnam in humana corpora vim tribuerent; alios foetus ſole, luna alios *ξυντρεφομένους, connutritos*, adpellabant. Cuius rei teſtes plurimi ſunt HIPPOCRATIS loci. Ac lunae quidem dominio ſubiectos eſſe, huiusque vi in vtero increſcere, putabant poſt menſtruas ſtatim purgationes conceptos. Illos vero, qui alio quocumque tempore conceptionem ſubierant, ſole regi ſibi perſuadebant; indeque horum partus tempore ſolaribus, illorum, lunaribus menſibus metiebantur, egregie id explicante P. BARRA *de veris partus humani terminis lib. I. C. V.* qui certe tantum, quantum vllus medicorum, operae in eo

poſuit;

poſuit, vt verum HIPPOCRATIS ſenſum in hac materia erueret, et pugnari viſa loca inter ſe conciliaret.

X.

Quot dies nos menſis voce deſignemus.

Non quidem inſtituti noſtri ratio poſtulauit, vt horum mentionem iniiceremus, tamquam de iis in hac diſſertatione pluribus expoſituri; ſed quoniam haec P. BARRA expoſitio rarior eſſet inuentu, multum tamen lucis HIPPOCRATI foenerans; ac vt declarandi nobis anſa praeberetur, nos menſis vocabulo triginta dies complecti, et ab eo menſe qui vltimus in geſtationis menſium numero eſt, licet ille aut inchoatus, aut fere completus ſit, infantem nunc ſeptimeſtrem, nunc decimeſtrem, etc. adpellare. Quibus generatim nunc praemonitis, ad ipſum nos negotium conferimus, vt, quam animo concepimus ſententiam, explicemus. Perficiemus id eo ordine, vt primum argumenta, quibus commoti ſic ſtatuimus, proferamus atque exponamus; dein argumenta eorum, qui pro contraria compararent ſententia, adferamus, et pro ingenii viribus confutemus.

CAPVT II.

De cauſſis, ſecundum naturam quoque partus terminum incertum reddentibus.

I.

Quo grauius molimur negotium, quoque acutioribus ac pluribus cum aduerſariis nobis congrediendum

diendum eſt; eo magis operam nobis dandam eſſe intelligimus, vt tot dubiorum ac contentionum phalangis obuiam ituri, non figmentis ingeniique luſibus pharetras noſtras inſtruamus, ſed veritatibus ex ipſa rerum natura depromtis, ac, quantum obſcuriſſimi negotii indoles permittit, in apricum prolatis, aciei ac conflictui nos committamus.

Et foetus et matris conditio expendenda eſt.

Rite itaque de tantae in partus negotio varietatis cauſſis cogitanti mihi, duorum momentorum praecipuam rationem habendam eſſe, vero factum eſt ſimillimum; nimirum, quo mater primo, dein, quo embryonis ſeu tenelli in vtero foetus partes ſint habitu. Et quidem adeo vtriusque conditionem obſeruandam eſſe ſemet mihi magnopere probauit, vt, ſi potior alterutrius habeatur ratio, iam nullum ſani coloris iudicium enitere poſſit. Non vereor, lectores, ne eruditi criminis reus peragar, quod nullum coeli conſtellationibus locum tribuerim; aut vim numerorum ad idem aduocauerim; cum, ſi quis credulus aut ſuperſtitioſus hanc me ob cauſſam accuſare audeat, facile vnius criminationes mille defenſoribus me retundere poſſe confidam, et haec eius ſint generis, vt prudens quilibet non poſſit, quin ſummo eadem habeat ludibrio. Vnum fortaſſis eſt quod haud paucos patronos inueniat; maſ-

Maſculini feminis ad futuri homi-nis materiam ſymbola.

culini in hoc negotio feminis ſymbola, qua ex eius, femineique feminis, in coitu confluentis ac mixtionem ſubeuntis, materia, foetum prodire nonnullis viſum eſt. Etenim, cum multa

in liberis ſaepius patribus ſimilia tum corpus tum animum deprehenderent; ac liberos nonnunquam ad illos morbos valde pronos conſpicerent, quibus patres laborarant: quod praecipue vrget cum aliis VIDVSSI, mox citando libro *pag.* 132 *ſq.* *cap. IV)* non dubitarunt pro certo habere, aliisque rationibus confirmare, ſuam, quoad molem ſeu materiam in partu humano ſymbolam maribus deberi. Aſſertionis huius patronos ſemet cum DIEMERBROECKIO *in Anatomia*, profeſſi ſunt Galli Italique non ignobiles, vt LAMI, *Traité contre les Ovariſtes*, DE LA MOTTE *in ſuis diſſertations ſur la generatione etc. cap. II.* quod inſcripſit *de la conception par l' aſſemblage des deux ſemences pag.* 41. *ſq.* 10. HIER. SBARAGLI *in dubiis de viuipara generatione*, paſſim. VIDVSSI in ſuis *Motiui di dubitare intorno la generazione dé viventi ſenſitivi ſecondo la commune opinione de moderni.* Verum vt horum argumenta aliquot praecipua facile ac paucis conuellit acutiſſimus BOHNIVS, *circuli anatomico-phyſiologici progymnaſmate I. c.* I. (cum quo faciunt F. MAR. NIGRISOLI *conſiderazioni intorno alla generazione dé viuenti etc.* GRAAFIVS *de mulierum organis*, BERGERVS *de natura humana libro*, PAITONVS *in diſcorſi della generazione dell' uomo*, VALLISNERIVS *in hiſtoria generationis hominis et animalium*, Italice ſcripta, quae in *Tomo diuerſor. oper. eius IIItio* continetur) ita reliqua quae in eius patrocinium excogitari

a multis defenſa

a multis vero rationibus grauiſſimis reiecta.

cogitari

cogitari poſſe videntur, confutatu ſunt facillima. Mutata vero nonnihil ratione, eam, qua ad futuri foetus materiam a mare ſymbolam conferri creditur, ſententiam, tuetur cum aſſeclis ſuis LEEVWENHOECKIVS, cuius placita illuſtriora fortaſſis ſunt, quam quae ſilentio praeterire liceat. Is enim, quum in ſemine maſculino oculo armato vermiculos conſpexiſſet, non dubitat pro certo adfirmare, ex his, velut *ex nucleo ſeu medulla pomi, arborem*, recito verba eius, *prodire hominem*. Iungit his eas a ſe inſtitutas obſeruationes, quibus e vix ineundo beſtiolarum ſeminalium numero in matricem delato, poſt aliquod temporis interuallum vnum tantum alterumue, (reliquis haud dubie deuoratis) ſuperſtitem vidit. Ne illam quidem litem nunc attingemus, numquid vere ita comparatum ſit vt vermiculi illi adſint, magnis vtpote hominibus pro adfirmante, nec incelebribus pro negante parte comparentibus: nec, an facetiſſimae illae deuorationes, de quibus modo diximus, quasque LEEVWENHOECKIVS in *Anatomia* ſua *et contemplationibus* in epiſt. ad regiam ſocietatem Londinenſem (quae incipit *pag.* 149. quaeque tota de ouariis et de vermiculis ſeminis maſculini agit) proponit, apud animum concipi poſſint, expendemus: nec denique lectu admodum iucunda, quae ANTRY libro *ſur la generation des vers chap. XI. p.* 196. *ſq.* narrat, vermiculi maſculini ad ouarium itinera, noui hoſpitis ingreſſum

Leeuwenhoeckii ſententia proponitur.

Leeuwenhoeckii a Andryo correcta ſententia explicatur.

 portae

portae per quam ingreſſus fuerat per caudam renitentem factam obfirmationem, et ad vterum deſcenſum, morabimur; cum haec ita ab ipſo narrentur, vt vix iudicare poſſis, ſerione rem, an per iocum, tractet auctor ingenioſiſſimus. Etenim, cum ipſi ſyſtema Leeuwenhoeckianum mirifice placuiſſet, non tamen ouaria muliebria negare poſſet, quum LEEVWENHOECKIO vſu ſaepe venerit, vt, quae alii manibus palpare ob magnitudinem poterant, ipſe ne oculo quidem armato perſpicere quiuerit: dicto libro, *Il n' eſt point neceſſaire*, ait, *de ſe declarer avec* LEEVWENHOECK *contre la doctrine des ovaires, et des oeufs, et de dire, qu'il n' y a ordinairement dans toute la matrice qu'un ſeul point propre a entretenir et a nourrir le ver pſermatique; en ſorte que de tous ces vers, il n' y a que celui qui vient a rencontrer ce point, lequel croiſſe et devient foetus; et que les autres meurent enfin faute de nourriture, comme des grains qui ne ſont pas en bonne terre. Il eſt plus naturel de ſuppoſer le ſyſteme des oeufs, et de leur donner ſeulement un autre uſage, qui eſt premierement de recevoir, et puis d' envelopper et de nourrir le vermiſſeau.* hoc eſt breuiſſime; *Non eſt quod cum Leeuwenhoeckio oua et ouaria reiiciamus, et ſtatuamus, vnum tantum aliquem in tota matrice locum aptum eſſe ad retinendum nutriendumque vermiculum, ad quem qui perueniat horum, foetus euadat, reliquis, deficiente nutrimento, haud ſecus ac grana in ſterile ſolum coniecta, perire coactis: ſed, vero longe ſimilius eſt, admittere oua, alio ipſis vſu tributo, vt videlicet recipiant*

nutir-

Leeuwenhoeckiana et Andryana ſententiae ex obſeruationibus confutantur.

nutriantque beſtiolam hanc. Solum quae ad Leeuwenhoeckianam hanc tam, quam Andryanam hypotheſin euertendam, longe clariſſima eſt, quam RAIVS *in ſua ſynopſi methodica animalium quadrupedum*, vbi de animalibus in genere agit, *p.* 40. memoriae prodidit, hiſtoriam, ex *Actis philoſ. reg. ſocietatis Lond. Num.* 147. *Sect.* 4 eius verbis huc adſcribemus. *Caniculae cuiusdam grauidae foetus vtero incluſi, ictu violento exanimantur, ſubſequitur carnis, aliusve putridae materiae et purulentae ſat ampla per pudenda euacuatio. nec ita multo poſt eadem canicula denuo grauida facta, ventrem deformem habere obſeruabatur. Mortuam, (nec enim diu ſuperuixit, dominus eius, vir generoſus Oxonium mittit diſſecandum. Vteri aperti cornua, oſſibus, muſculis firmioribus, et craſſiori cute foetuum mortuorum, (quorum nonnulli naturali ſitu collocati, ſceletis adhuc integris reſtabant, oſſium duntaxat interſtitiis carne muſculoſa et cute repletis) adeo ſuffarcinata reperiebantur, vt impoſſibile plane eſſet vllam omnino, non dicam materiam craſſiorem, ſed vel vaporem quidem auramue ſeminalem ad ouaria penetrare aut aditum inuenire. Oua itaque foecunda, ſecunda hac ingrauidatione foecundata, cum nullum in vteri cornibus locum invenirent, in abdominis cauum compulſa ſunt, vbi meſenterio, renibus, affixa reperiebantur; duobus tantum folliculis, tenui ductu intercedente, vtero connexis. Hi, vt coniicio, in*

 cornua

cornua primo delapſi, et magnitudine aucti, ob loci anguſtias iterum expulſi et retrocedere coacti ſunt. reliqua tria oua ſeu foetuum folliculi, cum nullus omnino initio in cornibus locus ſupereſſet, admiſſa non ſunt, ſed in abdomen prolapſa. Membranae, embria continentes, tenuiſſimae erant, et animalcula in iis contenta, ob inopiam, fame enecta. Qui plura deſiderat Obſeru. 110. *An.* 1. *Ephemer. German.* nec non *Acta Phil. Anglic. Num.* 192 p. 479 *legat.* hactenus RAIVS. Quae ſane hiſtoria ad veritatem reperiendam tanti eſt, quam quae maxime. Tubae enim Fallopianae, hunc in modum infarctae, nihil ſeminis maſculini ad ouaria peruenire demonſtrant, cum canis, his viis arctiſſime clauſis, tamen denuo foecundata fuerit. Ex ouario itaque, quae ſola hic via eſt relicta, prodierunt, proinde vermiculus materiem ipſis haud ſuggeſſit, ſiue Leeuwenhoeckianam ſiue Andryanam hypotheſin aduoces, et ante admiſſum canem in femina adfuerunt catuli, nec e virili ſemine prodierunt. Quibus ſi ſatisfactum haud eſſe aduerſariis, aliquis exiſtimet, legat RVYSCHIVM *obſeruat. anat. chirurgicarum XXIIda* de muliere quadam narrantem, quod cum grauiſſimis partus laboribus fere enecata eſſet RVYSCHIO in auxilium vocato, repertum ſit, *membranam hymenem,* ſunt verba RVYSCHII, *eſſe integram, valde craſſam, et a foetus capite exitum quaerente foras extenſam. Hoc viſo,* ait porro RVYSCHIVS, *incidendam eſſe dictam membranam iudicaui, quam operationem inſtitui etc. ſed fruſtra excluſionem foetus expectauimus,*

uimus, propter alteram membranam craſſam, vuluam profundius claudentem, foetusque exitum impedientem. his diſſectis ſanus vegetusque prodiit infans. Legantur porro quae *Ephemerides Germanorum anno III obſ.* 173 narrant, puellam carbonibus viuis inſidentem, ſomno captam, inque carbones delapſam, inguina ita ambuſſiſſe, vt vix, per quod vrinam excerneret, foramen, poſt curatam ambuſtionem, eſſet relictum. quae tamen, licet vix primis vaginae labris admittere marem potuerit, impraegnata, foetum in lucem edidit rectiſſime ſemet habentem. Vt taceamus foetus in ouariis haerentes repertos, magno numero obſeruatos. Sed vt nunc pateat, quibus perſuaſi argumentis tantum foetui eiusque partium conditioni deberi in explicandis tot diſcriminibus ſtatuamus, age, ordine ſingula proponamus.

II

Tota futuri foetus delineatio iam in ouulo adeſt.

Primum vero in his exponendis locum, merito tribuimus ſententiae tot acutiſſimorum virorum inſtitutis ſectionibus, curatisque tenerrimorum foetuum inſpectionibus, referendae, qua totam futuri foetus delineationem non longo admodum temporis a conceptione interuallo conſpexerunt, et inde in ouulo, omnia et ſingula vel minimorum artuum ſtamina, iam adeſſe, confecerunt. Microſcopiorum viſusque noſtri imperfectioni tribuendum eſt, quod rudiores, atque artubus deſtitutae primae foetus ſtaminum lineae fuerint conſpe-

ctae; cum ſemet mihi magnopere probet, in ouuli huiusmodi humani anguſtiſſimo ambitu, ſi femella ex eodem ſit proditura, denuo deliteſcere ouula, ſui ſimilia rurſus continentia, adeo, vt hic in infinitum fere progreſſus pateat. Habemus nobis plane ſuffragantem ANT. VALLISNERI in *Parte III Oper. diuerſor. Part. II cap. XIV* initio hanc ſententiam neruoſe admodum deſcribentem, cuius deſcriptionis verba digna ſunt quae hic adſcribantur. *Pare a prima viſta incredibili coſa, et piu de bizarri poeti, che de' ſavi filoſofanti degna, il dire, que dutto il genere humano ch' è ſtato, ch' è, e che ſarà ſino al finire de' ſecoli, ſteſſe rinchiſo nelle Ovaje d' Eva, di manierachè, quando l' Altiſſimo creò la gran Madre dalla coſta d' Adamo, poneſſe in eſſa nello ſteſſo tempo vn numero d' nova, al noſtro intendimento, infinito, altre delle quali i maſchi, altre, le femmine conteneſſero: e di pui nelle nova delle femmine nascondeſſe altre nova, e poi altre, che conſervaſſero in ſe l'uno, e l' altro ſeſſo, e coſi di mano in mano nelle ſeguenti; dimanierachè in queſto ſiſtema conchiudere ſi poſſa, che Eua nelle ſua ovaie tutta quanta intera la poſterita teneſſe inuiluppata, e riſtretta, lo che parimenti ſi dice di tutte le piante.* hoc eſt breuiſſime: *Incredibilis, ac poetis quam philoſophis dignior eſt primo intuitu res, dicere quod omne praeteritum, praeſens, et ad ſaeculi vſque conſummatioem futurum genus humanum, in Evae contentum fuerit ovario. ita, vt Deus ex coſta Adami Euam creans, in eandem repoſuerit infinitam*

tam noſtro captu ouulorum tum maſculinorum tum femininorum ſeriem, ac, quod maius, in feminis natis rurſus alia oua vnius alteriusue ſexus, et ſic vlterius. Quo quidem modo conficere licet quod Eua in ouario ſuo omnem quae interiit poſteritatem continuerit, quod pari modo de omnibus beſtiarum primis femellis ac omnibus plantis licet pronuntiare. In cuius rei argumentum, ſi fidem ſuperare noſtra videatur hypotheſis, adferemus incredibilem illam vermiculorum beſtiolarumque paruitatem, qua oculo armato quidam academiae regiae Luteticnſis ſocii conſpexerunt corpuſcula viuentia adeo parua, vt, ſi eorundem ſeptem circiter et triginta millia in vnum congerantur, magnitudinem acori non excedant. vt ſilentio inuoluamus quod VALLISNERIVS dicto loco numero *6. p.* 219. adpoſite admodum; *ogni*, ait, *corpo è diuiſibile in infinito*, et obſeruationes microſcopicas LEEVWENHOECKII dicto capite *num.* 3. *p.* 217 prolatas, *quibus ad acad. regiam Lond. in epiſtola die* 13 *Iunii* 1686 *data, ſcribit, ſe in vno frumenti grano vidiſſe tres diſtinctas plantas cum foliis et radicibus, et quod maius adhuc, ſibi diligenti obſeruatione exploratum eſſe, ſingulum ſecalis granum quatuor principiis recentium plantarum inſtructum eſſe;* et in alia quadam, LEEVWENHOECKIVS, die XI Iunii 1686 data, *in praecedenti*, ait, *mea epiſtola dixi, me in vno hordei grano, quinque diſtincta plantarum principia obſeruaſſe. Notum vobis facere omittere nequeo, me poſt illud tempus*

hordei obſeruaſſe grana, in quibus ſeptem plantarum principia obſeruabam, ac inter multa vnum habebam hordei granum, in quo octo diſtincta plantarum principia obſeruabam. Mitto admirabiles illas, paſſim in LEEVWENHOECKIO obuias, beſtiolarum, granis arenae infinite minorum, obſeruationes. Sed ne longo nimis a foetibus ex ouariis prodeuntibus digrediamur, nunc obſeruationibus cel. RVYSCHII, qua in delineandis embryonibus, qui haud diu extra ouarium erant commorati, diligentem admodum ſe praebuit vir celeberrimus, *Theſaur. Anatomicor. VIto, Tab. I. et III* fruemur: priori quidem exhibente rudimentum tenelli embryonis humani, pediculi magnitudine; dein aliud rudimentum ad ſeminis aniſi magnitudinem accedens. cui ſimilem inter praeparata ſua, admirabili induſtria nec paruo numero collecta, aſſeruat Praeſes celeberrimus. tum alium, eiusdem fere magnitudinis; cuius tamen caput adhuc cum reliquo corpore confuſum; poſt alium, paullo maiorem, cuius caput a reliquo corpore iam diſtinctum, cuiusque artuum rudimenta in conſpectum prodeunt adinſtar minimorum tuberculorum; (qualem aliquoties, me ſpectante ex praeparatis ſuis praetioſiſſimis produxit ac monſtrauit, quem honoris cauſſa modo nominaui, HEISTERVS experientiſſimus, et cum antecedenti foetu in noua compendii ſui anatomici mox proditura ecdoſi aeri inſculpi curauit;) denique quemdam digiti tranſuerſi magnitudine, in quo praeter caput a reliquo corpore diſtinctiſſimum, artuum rudimenta tuberculorum

ad

ad inſtar maiorum, prominent. Poſterior Tabula viſui obfert embryonem praecedenti paullo maiorem, in quo manuum aeque ac pedum digiti adparent diſtinctiſſimi, ita, vt huius perfectionis cauſſa huncſe pro *foetu* habere adiungat RVYSCHIVS. Quo quidem vocabulo ille, proui ex his adparet, ſecus ac fieri ſolet, vtitur, dum homunculum, cuius artus nondum omnes in conſpectum prodeunt, *embryonem* adpellat. Quod tamen diſcrimen, quoniam nec alii in his vocibus obſeruarunt medici, ſed hominem vtero concluſum, nunc *embryonem*, nunc *foetum*, nonnunquam *partum*, adpellarunt; nos ſubinde etiam poſthabuiſſe, nemo arbitror, aegre feret. Sed mirabere forſan, lector, nos Ruyſchianos hoſce embryones pro noſtra proferre ſententia, cum prima fronte iidem huic non leuiter aduerſentur. Etenim, hi rudem primo indigeſtamque molem, dein eandem paullo magis elaboratam, ac denique perfectam, oſtendunt, ita, vt velut ex chao hocce formentur, ſeu eidem quaſi adnaſcantur, ſingula membra. Sed primum reſpondemus, notabilem hic paruitaten omnibus partibus cognoſcendis haud leuiter obeſſe: dein, partium mollitiem ac teneritudinem ſingularem, perficere, vt minimae partes in conſpectum prodire et ab inuicem diſcerni haud poſſint. hac enim fit, vt omnia marceant quaſi, flaccida ſint, ac collabaſcant, cum haec praeſertim foetuum ſtamina ab humorum motu ſint deſtituta, quippe quae vitale robur, pro illius vitae ratione, iam deſeruit. Denique largiemur, extremas haſce a corde longius diſtantes partes; non aeque cito,

ac

ac bracchia, femora, aliquam, eamque notabilem recipere magnitudinis augmentationem; vnde aliis quidem ſerius perficiuntur, non creantur tamen, aderant enim iam antea. Sed, quod longius a corde aberant, nec ad vitam agendam magnopere pertinebant, inde tardius easdem perfectionis ſuae faſtigium adſequi embryonis non magnopere intererat. Haud ſecus ac in plantis comparatum eſſe videmus, vt v. g. in fabis, tota iam conſpici poſſit futurae plantae figura, licet ea nondum ſit expanſis omnibus ramulis, ac foliis explicatis conſpicienda, quae accedente leuiſſimo ſucci nutritii adpulſu, iuſtam et formam adipiſcuntur et magnitudinem. Quae quidem productio tam ſimilis eſt noſtrae, quam quae ſimillima. Etenim ſimulac illa ex ſolo caput exeruit, ſeque priſtinis exuit carceribus, ſtatim in conſpectum cotyledones inſignis prodeunt magnitudinis, ita, vt de reliquo in altum excreturo plantae corpore, ſi horum magnitudinem reſpicias, nihil cernatur; cuius tamen delineatio, antequam legumen illud ſolo crederetur, iuſto adhibito artificio, clariſſime ſemet viſui obferebat. Plane enim nullam olim creditarum coagulationum, nouarumque creationum, ideam, me apud animum concipere poſſe fateor, neque eamdem aliis conceptu facilem, futuram arbitror.

III.

Conſtitueramus iam apud animum, data occaſione eorum argumenta prolixius expendere, qui pro foetu in ouulo ante conceptionem haud exi-

ſtente

ſtente pugnant: ſed quoniam haec diſputatio prolixior videbatur quam quae paruo exponi poſſit ſpatio, hoc loco ſententiam noſtram indicaſſe ſufficiat. cum alia fortaſſis haud ita multo poſt ſemet obferet occaſio his pluribus exponendis apta. Conſulto enim prolixitati ſtudentes videri veremur. Noſtra cum praeterea non magnopere interſit, vtrum Leeuwenhoeckiano Andryanoue, an Hippocratico, aut alio quocunque ſyſtemate poſito, foetus a matre diſtinctiſſima indoles explicetur, cum eamdem certo certiorem eſſe, obſeruationes omni dubio eximant, nunc foetus habitum eiusque diuerſam a materni corporis indole diſtinctiſſimamque ſaepe conditionem contemplabimur. παράδοξον quidem ab initio videtur, cum, quidquid recipit alimenti, foetus, a matre accipiat, perhibere, aliam eſſe corporis infantilis atque materni conditionem, et a matre, corporis habitu diſſimillimum infantem in lucem prodire poſſe. Sed quemadmodum videmus optimo ſemini vſu venire, vt, tametſi in deteriorem detur ſegetem, tamen non degeneret in aliquod a ſua bonitate alienum, vtque, licet aridiſſimae ſaepe effoetiſſimaeque concredatur telluri, ſuam ſibi nihilo ſecius vindicet praeſtantiam; ita in hominibus rem pari modo euenire conſpicimus. Etenim primo, ſunt, qui a robuſtiſſimis ſaniſſimisque matribus nutriti, debiles tamen miſerique in lucem prodeunt: ſunt tamen quos omnes languentibus vtpote morboſisque matribus edendos, miſeros imbecillesque futuros augurantur, qui

Foetus habitus a matre diuerſum ac ſeorſum conſiderandum eſſe.

robuſti

robuſti ac ſine vllo morbi ſenſu eduntur poſtmodum atque adoleſcunt. Dein obſeruationibus plurimis euictum eſt atque demonſtratum, gemellos vna geſtatos, partim diuerſo temporis interuallo perfectos in lucem fuiſſe editos, aut certe edendos, cum alter horum perfectionis ſuae culmen nondum ſit adſequutus, partim quod ſimul quoque editi gemelli tam diſſimilis fuerint roboris, vt, cum alter vegetus ac optime ſe habens huius lucis vſura frui ceperit, alter aeger prodierit ac morbis inſigni modo adfectus. Hiſtoriam haec egregie illuſtrantem memoriae prodidit obſtetrix non ignobilis, et vltra ſui ſexus ac vitae generis conditionem docta, LOVISE BOVRGEOIS *in arte ſua obſtetricia*, gallice primum ſcripta, dein noſtro idiomate aliquoties edita, (*edit. ger. Hanouienſis part. I Obſeru. VI*) quae eſt huiusmodi. Se ad mulierem ſeptimo eius geſtationis menſe fuiſſe accerſitam, et cum partus dolores horam excluſionis imminere docuiſſent, primum filiolae caput exitum fuiſſe molitum, cuius totum corpus adeo durum tactu erat, vt LOVISA petrefactum foetum in lucem proditurum eſſe ſuſpicaretur. Quae cum tota prodiiſſet, filiola fuit, viua quidem, ſed plane hydropica, ita, vt ex aquis iam putrefactis gangraenoſum colorem contraxiſſet. Ac licet ſatis magna eſſet, tamen vteri tumore alium adhuc foetum intus latere ſuadente, derepente, ac vix debito modo hoc foetu ſocillato, aquae profluxerunt denuo, quas confeſtim ſequutus eſt puer robuſtus ac vegetus. Tanta autem flauae, ac quae

Obſeruationes id euincunt.

putredinem

putredinem iam contraxiſſet, aquae copia hunc eſt comitata vt fere amphoram repleret. Ac puella quidem breui poſt diem ſuum obiit, ſed puer per aliquod temporis ſpatium ſuperſtes manſit. Quae hiſtoria magni ſane ad ea, quae diximus, illuſtranda eſt momenti. Oſtendit ſiquidem, cum mater gemellorum, hydrope vere laborarit, quem, vt ipſa confitebatur, immodico aquae potu ſibi contraxerat, foetum, ſuum ſibi adverſus materni ſanguinis iniurias robur vindicare, nec puerum hunc quidquam morbi ex infectiſſimis quibus innatabat humoribus, contraxiſſe. Haud ſecus ac videmus homines imbelles ab iis alimentis male haberi, quae homini ruſtico aut alii cuiuis robuſto, non ſolum non obſunt, ſed in nutrimentum quoque abeunt. Vnum fortaſſis, ne quid diſſimulaſſe videamur, eſt, quod nos premere prima fronte ſuſpicamur; videlicet quod BOVRGEOISIA referat, vaſa ad puellam abeuntia referta fuiſſe ſanguine flauo, quum ea, quae cum puero cohaerebant, ſanguine florido eſſent turgentiſſima. ex quibus fere confici potuiſſet, hic partialem quemdam vteri hydropem fuiſſe, nec ad puerulum eumdem pertinuiſſe. Sed cum doctiſſimorum medicorum diſputationibus demonſtratum ſit, ex liquore amnii alimenti ſui partem foetum recipere, adeo, vt P. STALP. *van-der* WIEL, ex duobus quibusdam exemplis editorum absque funiculo vmbilicali infantum, peculiari ad *nutritionem foetus* dedicata *diſſertatione* foetum per os ſolum nutriri iuerit euictum; dein inſignis humorum ad putredinem iam ſummam inclinantium

um

um quantitas adfuerit, adeo, vt exercitatiſſima obſtetrix tantam aquarum molem ſtupuerit; longe eſt euidentiſſimum, etiam in alterum hoc foetus habitaculum, hydropem ſuam exercuiſſe ferociam; foetum autem, quod vaſis eſſet robuſtioribus, non abſorbſiſſe hoc venenum, ſeu in minima admiſiſſe vaſcula. Quare hic liquor in tunicae amnios cauum ſe exonerare fuit coactus, vnde tanta eius moles dubio procul eſt deriuanda quae in puellulae partu non animaduertebatur. Miratu proinde digniſſimum, ex infenſiſſimo liquore, et cui vix admixta laudabilis ſeri portiuncula eſſe potuiſſe videtur, ſanam tamen carnem potuiſſe confici. Hoc autem fieri poſſe, tam hic, quam alii foetus, demonſtrant, et exemplis clariſſime doceri poteſt. Ita enim in toto humano corpore ex vno liquoris genere infinita alia ſegregari poſſe animaduertimus, et cum perſpiciamus, ex ſanguine, cui reuera particulae vrinoſae, billioſae, chyloſae, aliaeque infiniti diſcriminis una in mixtione inſunt, tamen ſuo loco vrinam, bilem ſecerni, ita, vt nec ad muſculos bilis aut vrina, nec ad veſicam vrinalem ſerum alibile abeat; in hoc negotio ſolum vaſorum colatoriorum indolem reſpiciendam eſſe, intellectu eſt facillimum. Cuius rei rationes, aut quo eandem modo concipere liceat, vt proponamus, non magnopere videtur neceſſarium, cum cel. BERGERVS id ſibi ſumſerit negotii *de natura hum. Lib. I. c. VI. p.* 120 *ſqq.* ne BOHNIVM, BOERHAVIVM, MICHELOTTVM aliosque commemorem, et nobis, ne ad res aliunde demonſtrandas

temere

temere dilabamur magnopere ſit cauendum. Ac ne corollarium quodpiam poſthabuiſſe videamur, etiam hic a LOVISA prolatus puer in exemplum partus ſeptimeſtris eſt allegandus. Sed, infauſtum, inquies, exemplum, etenim non ita multo poſt fato functus eſt. At vero primum, hunc per ſuum robur, ſi matris morbus ipſi non obfuiſſet, (quod, quam magnum ſit ad hanc rem momentum paullo poſt docebimus) rectiſſime viuere potuiſſe, diſerta LOISAE verba indicant, quando, *poſt tres*, ait, *dies, curate inſpexi tenellum puerum, et notaui in toto corpore cutis flauedinem, quae tamen ea aetate frequentiſſima infantibus eſſe ſolet, cum ceterum functiones corporis naturales quam rectiſſime ſe haberent.* Dein etiam mortis cauſſam ſubiungit, *ſed tanta*, inquiens, *repletum erat humorum viſcoſorum colluuie, vt viuum eundem ſeruare, omni licet opera adhibita, plane eſſet impoſſibile.* Facile eſt etenim intellectu, ex tanta putridorum humorum mole, inque tanta vteri preſſione, fieri non potuiſſe, quin et immane quantum diſtenderetur ventriculus, et fibrillae eius adhuc tenerrimae, ex putredine, quem humores iſti contraxerant, ingratis modis adficerentur. Neque hoc ſolum, licet ſatis memorabili atque graui, exemplo, cauſſae noſtrae patrocinium quaerimus, ſed alia etiam ad manus ſunt, quae eandem tuentur P. PORTAL *in arte ſua obſtetricia* gallice quidem ſcripta, ſed cuius traductio belgica nobis tantum ad manus peruenit, ſub titulo *de Practyck der Vroed-Meeſter en Vroed Vrouwen, Amſtelod.* 1690. 8.

Obſeruat. LXXIV. habet exemplum hydropicae grauidae, gemelloſque nono circiter menſe geſtante, quorum prior fuit puella, quae ex PORTALII relatione, *ad finem perfecta et bene formata, candida, ſed mortua, attamen ſine vlla corruptione:* poſterior vero, filiola itidem humoribus innatans, quod quarto iam quintoue geſtationis menſe eam extinctam fuiſſe ex membrorum magnitudine iudicare liceret, *erat,* eius verbis, *vergann, dat de deelen nit meder aan malckanderen bongen. Ik haalde et by de Voeten, en trok de ſtuken van een als verrot Vlas.* h. e. *conſumta, vt ne partes quidem inter ſe cohaererent. Apprehendens illam pedibus, lini inſtar putridi partes diſſolvebantur.* Quod quidem phaenomenon non potuit non cauſſarum huiusmodi rerum ignarum PORTALIVM in ſummam admirationem abripere, vt in haec verba *p.* 290. erumpat: *'t is egter verwonderlyk te ſien, dat in een holligheyd, als de Lyfmoeder, two kinderen kunnen upgesloten zyn, dar het eene van verrot is, en het andere geſond in alle ſyn deelen, en nogtants dood.* h. e. *mirabile eſt, in vna vteri cauitate, duos foetus contineri poſſe, altero putredine infecto alter oomnes partes perfecto et tamen mortuo.* Habet *idem anctor obſeruatio- nt LXXX* exemplum mulieris treſe mbryones geſtantis, quorum vnus fuit filiola, quae primo loco viua ac vegeta prodiit, reliqui duo, quorum funiculi vmbicales in vnam placentam terminabantur poſt a P. PORTALIO in lucem ſunt producti, ita quidem, vt vtroque mortuo ac tenello, altero tamen liceret

ceret annotare, primo, quod altero inſignius iam augmentum cepiſſet, dein, magis iam minore, a putredine corruptus eſſet. Quae omnia iterum diuerſiſſimum ac peculariem foetuum habitum animaduertendum eſſe, clare monſtrant. Pari modo multi obſeruationum ſcriptores referunt de pluribus liberis vno partus termino excluſis, quorum aliquipaucis a partu diebus fuere extincti; aliqui vero vitam ad plurimos dies prorogarunt. Narrat ex. gr. F. MAVRICEAV *Obſeruatione* CLXV. feminam quandam, nemine obſtetricante, fuiſſe gemellos ſeptimeſtres enixam, quorum prior ſtatim poſt partum obiit, alter vero ſuperſtes manſit. Prae reliquis vero omnibus memorabile eſt illud exemplum quod idem habet, dicti libri Obſeru. DXII *Le IV Fevr.* 1688. in quiens *j'ai accouché vne femme de deux enfans, qui vinrent naturellement, et qui avoient chacun ſon arriereſaix ſeparé. Le premier de ces enfans, qui etoit plus gros, etoit vne fille, et le ſecond etoid vn garçon, qui etoit plus petit et plus foible. J'avois deia accouché cette méme femme le 4 Mars de l' anné* 1683. *des deux autres enfans de ſa premiere groſſeſſe, qui etoient pareillement vne fille et vn garçon. Mais ces deux enfans n' avoient q' u vne méme arriereſaix qui leur etoit commun, et la fille qui etoit venue auſſi la premiere, etoit tout au contraire plus petite et plus foible que le garçon, qui vint le dernier. La varieté de ces deux exemples fait voir, que lors qu' il y a deux enfans que ce n' eſt pas touiour le plus fort, qui ſe perſentele premier pour ſortir, ni le garçon deuant la*

fille; car cela depend ſeulement de la ſituation des enfans. Iunge his ſi placet, eiusdem auctoris obſeruationem DXXXVII et DXL. Quibus licet res omnis ſatis videatur confecta, tamen quod memorabiles admodum ſint prae reliquis omnibus obſeruationes duae, quas in ſuo libro *de arte obſtetric. edito Paris.* cIↄIↄccxxII. 4 habet DE LA MOTTE numero XCIX et C, illas huc adponemus. Refert is de duabus mulieribus, quarum prior, cum vtero geſtaret, quinque ſaepe dies, alimenti absque vllius aſſumtione, tranſegit, dubio procul ob ciborum nauſeam, vnde emaciatam, omnes ad partus labores ſuſtinendos et foetum nutriendum ineptam iudicabant. Altera, praeter inſignem ciborum abſtinentiam, etiam ea, quae aſſumſerat, per continuos vomitus ſemper eiecit, ac praeterea inſignem alui adſtrictionem quadraginta tres dies ſuſtinuit, quae omnia tam imbellem eandem viribusque deſtitutam reddiderunt, vt tandem lecto ſemet ſuis viribus leuare haud poſſet, ac non niſi triſtem grauiditatis exitum ominari. Sed praeter omnem ſpem, vtraque infantem edit et vegetum, et quod mireris, mole magnum, ita, vt ne minimum tantae matrum imbecillitatis veſtigium in iisdem liceret annotare. Vide *ſcholion obſeruationis C.* eiusdem Autoris. Quae omnia ſi equa iudicii lance expendantur, credo neminem non eſſe intellecturum, foetuum, a matre, et inter ſe, diuerſiſſimum eſſe habitum. Eſt denique ex omni iam aetate animaduerſum, mares citius femellis in lucem vtplurimum prodire, ita, vt ſi citius paullo partus tempus immi-

mineat, grauidae marem ſe parituras eſſe coniecturam faciant. Quum vero praeter haec notare liceat, robuſtioribus vaſis, muſculis, oſſibus, mares eſſe donatos, et foetus qui robuſtioribus ſunt partibus, reliquis citius in lucem prodire, animaduertatur; iure nobis pronuntiare videmus, foetuum in ouulo adhuc et ſimulac in vterum deuoluuntur, indolem corporis, longe ab inuicem eſſe diſtinctiſſimam. Quae res, vt noua prima fronte videatur, cum, quantum ego quidem ſciam, eandem pluribus explicandam ſibi huc vsque non ſumſerint eruditi, atque exponendam; ita nullus dubito, ſi, quanto rectius ex hac hypotheſi, cerebri figmentis haud ſuperſtructa, omnia explicari quaeant diſſimillima partuum phaenomena, conſideretur, nos plures cauſſae noſtrae patronos eſſe conſequuturos. Omnia enim fere, quae hucusque in tutelam varii, ſecundum naturam quoque, partus termini, ſunt excogitata, ad matrem pertinent. Nam, quae de morbis embryonis ab aliis prolata ſunt, non magnopere ad noſtram diſſertationem adtinent, cum nobis rerum ſecundum naturam comparatarum rationem tantum habere ſit conſtitutum.

IV.

Quid e parte matris partus terminum variet.

His ita expoſitis, nunc illa etiam in medium proferemus, quae ab iis, qui e noſtris ſtant partibus, ita ſunt excogitata, vt ad diuerſitatem materni corporis habitus reſpiciant. Primum horum

rum eſt, quod notabilis temperamentorum varietas non poſſit non diuerſo modo, embryonibus vteri cancellis concluſis, alimentum ſuggerere. Vocamus vero temperamentum fluidarum potiſſimum in corpore animali partium habitum ac conditionem. Varietatem horum, quod alius homo ſanguine ſeroſo, tenui, bilioſo, atque nunc leniori, pro vaſorum indole, nunc fortiori impetu moto; alius aquoſo ac pituitoſo, craſſo alius, ac difficulter per corpus ac eius minora praecipue vaſcula ſemet mouente, ſit praeditus. Ex qua temperamenti varietate cum pendere conſpiciamus, quod alius homo longe citius laetiusque altero nutriatur atque adoleſcat et rectius ſe habeat; num dubitandum videtur, pari modo in foetibus rem ſe habere? vt videlicet mater ſufficienti meliorisque notae ſanguine turgens, accedente vegetiori cordis ſanguiferorumque vaſorum pulſu, foetu quoque totum corpus recte conſtituto, embryoni ſuo largius nutrimentum ſuggerere poſſit, atque illa, cui iuſto aut aquoſior aut ſpiſſior ſanguis venas permeat. Itaque ſic ſtatuendum eſſe videtur, recta quippe ratione dictante, matrem ſanam et florido vegetoque ſanguine praeditam, ſi embryonem nacta ſit ſanum, eum vt inſigni temporis interuallo citius in lucis auras prodeat, aptum reddere, atque ea, cui ſanguis morboſus eſt, minus mobilis et nutritio ſucco deſtitutus, cum praeſertim deficiens cordis machinae vigor, eumdem in vaſcula, ſerum ex ſanguine ad partes deriuantia, inſinuare haud valeat. Quod ſi tamen eueniat, vt mater δυςεφος vegetio-

tiorem infantem citius in lucem producat, illud aptitudini cuidam embryonis ac habitui ſingulari eſſ tribuendum, qua vaſa nutrimentum vehentia rectius in embryone ſe habent, quam in ipſa matre. Sed huius theſeos clarius proponendae occaſionem conſequemur, ſi ea, quae ab aduerſariis contra eamdem ſunt excogitata, proponemus, confutabimus.

V.

Multi, et prae reliquis P. *Zacchias*, pro vno naturali partus termino pugnant.

Magnum eſſe eorum numerum, qui vnum quendam humano partui terminum, omnibus ſecundum naturam comparatis, praefixum iudicant, nemo fortaſſis, qui in huiusmodi litibus cognoſcendis aliquantum eſt verſatus, ignorat. Acerrime omnium, quantum egô quidem ſciam, pro hac ſententia pugnavit P. ZACCHIAS, quem ſi confutauerimus, non erit iam fere quod amplius inquoquam refutatu dignum ſit auctore. Etenim is in *Quæſtionibus medico legalibus lib. I. Tit. II. Quaeſt. I.* acute admodum ac copioſe contra hanc theſin diſputauit, adeo, vt omne in hac diſputatione punctum tuliſſe a plerisque cenſeatur. Nolumus autem quemquam in ea eſſe opinione, nos omnia illorum argumenta, qui pro diuerſo pugnant partus termino, noſtra facere. Sunt enim in iis quae non probamus, ſunt quae ad ſtatum praeter naturam pertinent, de quo nos plane tacituros pronunciamus. Ea ſolum quaeme-

lioris notae ſunt, a P. ZACCHIA vero exturbantur, pro ingenii modulo vindicare conabimur. Primum horum eſt; non poſſe in partus negotio temperamentorum diuerſitatem vllius eſſe efficaciae, cum animalia bruta, licet inter ſe temperamento ſint diuerſiſſima, tamen certum habeant partus terminum. Sed, hanc argumentationem nos nulla ratione et plurimos eorum, qui eamdem nobiſcum tuentur ſententiam, ferire, facile patebit; ſi primo indicauerimus, nos neque vnum toti cuidam animantium brutorum generi, felium e. g. canum, etc. temperamenti genus tribuiſſe, nec vmquam hanc ſententiam veritati reperiſſe conſentaneam. SPIGELIVS certe, *in ſupradicta epiſtola*, plane hoc veritati non eſſe conforme demonſtrauit, docuitque, ex ſolius veteris hypotheſeos inconſiderata veneratione hoc dogma in recentiorum ſcholis adhuc obtinere. Atque mirum ſane eſt, non videre illo loco ZACCHIAM quam pugnantia loquatur et argumenti loco rem proferre, de cuius veritate ſe aliter edoctum. *Lib. I. Tit. II. Quaeſt. I. Num.* 106. non ſolum non diffitetur, ſed prolixe demonſtrat. ita, vt eo loco vno velut conſpectu quotquot de hac varietate explicarunt in medium proferat et exponat. At quod illuſtrandum, recentiſſimum, quod domi ſuae hoc anno habuit, exemplum, experientiſſimum Praeſidem narrare mihi memini. Capra videlicet, ex bubulci calculo circa initium ieiunii quadrageſimalis paritura cenſebatur. Peperit tamen in fine demum earundem, adeoque ſex hebdomatibus tardius quam debuerat. Pone iam caprae IV. mulieri IX. menſes ad

pari-

pariendum. Tum hoc XLII. circiter dierum interuallum, ad rationes IX. menſium in homine relatum, pluris cenſendum erit, quam ſi tribus menſibus tardius mulier pariat. Ita quoque in plantis comparatum eſſe hortorum cultores norunt. Sic in horto Heiſteriano *Ricinoides* duae, *Turneſol Gallorum* dictae, in vno fictili ſimul menſe Aprili huius anni ſatae, adeo diuerſo tempore prodierunt, vt, cum altera menſe Auguſto florere inciperet, altera e terra primum caput tollere cepit. Quod in eodem horto in *Ketmiæ* variis ſpeciebus, itemque in *colutea æthiopica*, non hoc ſolum anno, ſed antea quoque ſaepius licuit annotare.

VI.

Objectio. Quod ab accidenti eſt, non valet immutare id, quod eſt a natura. Confutatur argumentatio.

Haec vbi ſatis euicta putat, aliud contra hanc theſin argumentum nectit, nimirum, quoniam haec euariatio temperamentorum ab accidenti eſt, (victus enim ratio animique pathemata eadem mirifice valent immutare) fieri nullo pacto poſſe, ut id, quod ab accidenti eſt, illud quod a natura prouenit, valeat immutare. Pulcre ſane ita argumentaris, O ZACCHIA, ac ſi temperamentorum varietas plane ab accidenti pendeat, et cholerici e. c. ſanguinei, melancholicique ab accidenti tales fiant. Neceſſum itaque eſt, vt vnum aliquod generalius in rerum natura exiſtat temperamentum, quod fundamentum quaſi reliquorum ſit omnium, et ex quo cetera ſu-

am trahant originem, pro ratione ſuperuenientis eidem victus rationis, animi motuum. etc. Sed hoc eſt ejusmodi, vt id nullo vmquam pacto ſis euictutus. Non quidem negamus, ea, quae modo prolata ſunt, inſigniter homines mutare poſſe, ita, vt homo ſanguineus, melancholicus poſtmodum euadat, ſi aut motus ipſum deficiat, aut grauioribus curis ſuccumbat: quod etiam homo, tardioris alioquin ex indole ſua ſanguinis, ſi motu ipſi ac rebus animum oblectanribus, et mutato victus genere ſuccurratur, vegetior alacriorque reddi poſſit, cum ſolo fere diaetae rite ordinato genere, homines ſaturninos ac ad delirium triſtes excitatos eſſe ac mutatos, medicorum obſeruationes abunde doceant. Verumtamen nullo umquam pacto ZACCHIAS demonſtrauerit, hoc temperamentorum diſcrimen, a ſolis externis, educatione e. g. victus genere, aliisque pendere. Finge iam homines aliquot iisdem procreatos parentibus, eodem victu, nec diuerſo educationis aërisque genere vſos, nullis grauioribus ac diuerſis animi pathematibus turbatos; horum tamen alios ad ſeueriora animum adplicare videbis, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos ire placet, vt SIMO ille Terentianus recte pronunciat: animaduertes alios alacres et ad quosuis labores ſubeundos promptiſſimos; alios autem timidos, ſegnes, torpidos, ac toto coelo moribus, (quorum fundamentum in temperamentis requirendum eſſe, magnus ille medicinae rationalis inſtaurator IO. FR. HOFFMANNVS *in*

differ-

diſſertatione de temperamento fundamento morum ſolidiſſime demonſtrauit,) inter ſe diſtantes. Dices, diuerſo tamen tempore hos homines, matrisque corpore mutato, editos. Non equidem hoc exemplum iam vrgebo hanc ob cauſſam, (cum alio tempore tibi idem pulcre in memoriam reuocare poſſim, cumque hoc ipſo jam multum mihi conceſſeris, videlicet, ab vtero ſtatim diuerſam eſſe temperamentorum indolem, quorum tamen ſimilitudo tibi pro tuenda ſententia tua magnopere eſt propugnanda;) proponam tibi vero catulos ab vna eademque cane ſimul nutritos. Horum tamen alios, ſimulatque firmatum erunt corpus adepti, lentos tardosque, alios agiles, audaces, mordacesque ſua ſponte fieri deprehendes. Dein gemellos quoque humanos tibi contemplandos obſeram, quorum vix e millenis duo ſimul editi eiusdem erunt corporis, et ex hac, animi, indolis ita, vt ſole pateat meridiano clarius, quemadmodum pro diuerſa vaſorum, nunc majorum, nunc minimorum ſubtiliſſimorumque indole, diuerſus ipſis in venis ſanguis fluat; ita non ab accidenti temperamentorum diuerſitatem, ſed a natura, hominibus obtingere, inque ea huius varietatis fundamentum plane deliteſcere. Ac ſi tandem ab accidenti hanc varietatem euenire concedamus; quis partus varietatem ex eodem fonte manare negauerit? numquid et iam temperamentorum antea demonſtratam immutationem negabit, a ſe ſupra aſſertam, Zacchias? In quibus plane

plane clarum eſt, id, quod a natura eſt, ab accidenti poſſe immutari.

VII.

Non procedit argumentatio; ſi infinita temperamentorum ſint genera: iufiniti quoque eſſe deberent partus termini.

Nunc ex infinito temperamentorum diſcrimine elici poſſe ZACCHIAS perhibet, quod, ſi temperamentum in partus termino conſtituendo vires ſuas exerceat, cum tanta temperamentorum ac infinita prope ſit varietas, maxime incertum eſſe debere partus terminum. Putat, cum hoc diſcrimen adeo late pateat, nihil eſſe quod impediat, quo minus, tertio verbi cauſſa, quarto, ſeptimo, duodecimo, decimo ſexto, menſibus, biennio trienniove, et, neſcio quo non tempore, legitime pariatur. Sed ſi magnam temperamentorum varietas inferre partui varietatem poteſt; quis tibi, O ZACCHIA, infinitos terminos elicere permiſit? Vt enim nemini vmquam noſtrarum partium a priori, vt vocant philoſophi, licuit pernuntiare, tantam varietatem partus termino temperamenta inferre valere; ita quoque intra iuſtos limites obſeruationes te continebunt, et infinitorum temperamentorum iuſto fortiorem ideam ex animo tuo exturbabunt. Obſeruatum nimirum eſt ex omni aetate, a ſexto finito ad vndecimum uſque menſem, ſanis matribus, vegetisque infantibus, partus terminum incidiſſe. Quid cauſſae ſit quamobrem hoc inter ipſos partus terminos diſcrimen intercedas, diu diſ-

diſceptatum eſt, aliis ineptis, aliis pro temporum ac doctrinae ratione atque incremento, ieiunis cauſſis in medium proferentibus. Corporis autem humani conditione rectius paulo explorari cepta, ſaniora dogmata inter eruditos obtinuerunt. Videlicet, multis permoti et rationibus et obſeruationibus, ſtatuerunt, magnum in partus termini diſcrimine efficiendo momentum, temperamento deberi. Animaduertentes quippe, vt plurimum, vegetas, ac ſucci plenas optimi, mulieres, agilioresque, citius ſuos foetus perficere iis, quae pituitoſi ſint tenaciorisque ſanguinis. Tot illud ſe ipſis probauit et rationibus et rite obſeruatis exemplis, vt iam non poſſent, quin magnam huic hypotheſi ineſſe veritatis vim, iudicarent. Animaduerterunt autem, cum temperamentorum rationem haberent, quatuor in iisdem potiſſimum diſcrimina, ex quibus diuerſum in modum temperatis, ac variis, vt ita dicam, gradibus, nunc auctis, nunc diminutis, infinitum temperamentorum numerum emergere deprehenderunt, haud ſecus atque ex quibusdam primariis coloribus infinitos alios produci a pictoribus videmus. Poſſemus quidem de his, ac fortaſſis non temere, hoc loco pluribus exponere, ſed quod praeter ſpem labor increuiſſet, eaque omnia pluribus diſputata atque explicata diſci poſſint ex peculiaribus ad hanc rem dicatis STAHLII, HOFFMANNI, GOELICKII, DE LA CHAMBRE, aliorumque libris et diſputationibus, vt ne breuis quidem horum a nobis iniiceretur mentio, neceſſarium nobis fuit

viſum

viſum. His ita ſeſe habentibus, ratio ſuadet, cum intra certos terminos infinita haec temperamentorum compoſitio contineatur, et quatuor tantum extantiora diſcrimina ſeſe prodant; etiam certo modo certos partus termino limites non deeſſe. Vt planius mentem noſtram exponamus, rem exemplo illuſtrabimus. Ponamus mulierem ſanguineam et vegetum embryonem nactam, et per geſtationis tempus ſanam. Haec poſitis hiſce conditionibus quo minus infantem ſanum perfectumque ſeptimo menſe in lucem edat, nihil eſt quod aut ſana ratione, aut obſervationibus praeeuntibus, prohibeat. Cum contra melancholico-cholerica, ob melioris alimenti defectum, non raro tardius perfectum infantem in lucis auras producat, nono v. g. decimoue menſe. Quod ſi vero ad optimam ſanguinei temperamenti indolem accedat, vt largior generetur ſanguinis copia, quo non poſſunt non vaſcula minima diſtendi, vnde iam craſſius aliquod ac minus perfectum ſubactumque nutrimenti genus infanti (niſi ſuum ſibi robur peculiari quadam εὐεξίᾳ vindicet) obtruditur, inde quidem mole externa, non vero curata minimarum partium elaboratione, increſcit, et ob deficientem perfectionem, longiorem in vtero moram nectere cogitur, aut, ſi citius prodeat, aegre in viuis conſeruatur. Itaque ſibi finxit tantum hypotheſin hanc ZACCHIAS, quodlibet minimum, quod inter temperamenta intercedit, diſcrimen, a nobis inſigni quadam efficacia pollere, exiſtimari, ita, vt integrorum menſium ſpatium aut addere idem, aut demere

demere valeat. Et quid? ſi ad dies aut horas illam efficaciam reducamus? Nonne ſic ſatis multa temperamentorum diſcrimina vno complectemur ambitu? cum calculus grauidarum ipſas tantopere fallat.

VIII.

Oſtenditur, qui fiat, quod ſub diverſo climate, tamen ſeptimo aliisque menſibus pariatur.

Sed, pergit ZACCHIAS, cum coelum diuerſum maximam temperamentis varietatem inferre conſtet; eccur Hiſpanus quia Gallo calidior, non abſoluitur citius in vtero atque Gallus? ſeu, ut rectius explicemus, quoniam Galli aliaeque gentes diuerſis ſunt inter ſe temperamentis, cur non pro diuerſitate populorum diuerſa quoque ſunt partus terminorum genera? Infert, fateor, varia caeli facies diſcrimen aliquod temperamentis, et calidiorem plagam calidioris indolis homines producere, obſeruatum eſt. Exinde omnino, ſi curate animaduertamus, citius, eosdem perfici debere videtur atque breuius temporis ſpatium in vtero conſumere. Verum vt haec confutemus anxie quaeſitis refugiis non magnopere indigemus. Concedemus, Hiſpanos v. c. aliosque calidioris Zonae accolas, indolisque calidiſſimae homines, eodem vt plurimum temporis intervallo ex vtero in lucem prodire, quo ii qui arctoas plagas incolunt, Largiemur, vtrobique et nono et octauo, et ſeptimo, menſibus naſci; cum toto tamen coelo diſtans aëris genus vterque hauriat, quod magnum eſt

eſt ad varietatem temperamenti momentum. Non tamen exinde quidquam confici poterit, quo theſis noſtra ſubplántetur atque iuguletur. Etenim ſi reſpiciamus, primo frigidioris plagae incolas, (loquimur de eo, quod ſaepiſſime fit) ſucci pleniores habitioresque, calidioris vero, graciliores minusque obeſos eſſe; dein, matres Hiſpanas eam ob cauſſam largius alimentum praebere haud poſſe, vnde non poſſit non, deficiente ſucco alibili, quem fortius pellat acceleratior motus, tardius incrementum calidior foetus capere; facile patet, quantum fortior ſanguinis motus in promouendo, Hiſpani v. c. foetu, valet, tantum largius alimentum in Germani e. g. aut Sueci partu maturando poſſe.

IX.

Obi. Diuerſitas temperamentorum in animalibus non variat partus tempus E. nec in homine.

Argumentari pergit *Zacchias*, et pro euertenda temperamenti efficacia in partu variando, hunc in modum ratiocinatur, ſi v. g. aſinus, equus, et camelus, quos temperamento diuerſo eſſe conſtat, ita, vt hic ſicco, ille calido, iſte frigido praeditus temperamento ſit, omnes tamen duodecimo menſe foetus ſuos in lucem edunt: ſi capra ſicca, humida ouis, nihilo tamen ſecius utraque quarto menſe pariunt: certum eſt atque indubitatum, nullas eſſe temperamenti hac in re vires. Pulcrum argumentum! bellum ratiocinium! Quae, obſecro te, ineſt vis iſti concluſioni, quae in diuerſis

uerſis animantium generibus vnam aliquam rem eodem modo comparatam eſſe debere poſtulat. Procederet, ſi in vna quadam brutorum, v. c. equorum, ſpecie, monſtraſſet, equas eiusdem proſapiae, eodem pabulo nutritas, ſimilibus ſemper laboribus adſuetas, alteram ſegniorem, ac, liceat ita loqui, phlegmaticam, alteram igneae naturae generoſioremque, eodem temporis interuallo foetus ſuos perfeciſſe. Sed vbi diuerſas animantium brutorum ſpecies inducit, res diuerſis legibus indoleque diſſimillima ab opt. max. conditore factas, vni cuidem legi adſtringere audet, quod tamen nulla ratione procedere ſanus quiuis perſpicit. Quaero ex te, ZACCHIA, cur capra non aeque menſe duodecimo pariat atque camelus? ſunt enim vterque ex tua hypotheſi calidi. Taceo innumera alia, quae huic argumento opponi poſſent, niſi eidem iam ſit vberrime ſatisfactum.

Oſtenditur imbecillitas argumenti.

X.

Quod autem ab iis, qui noſtram tuentur ſententiam, altero loco prolatum eſt argumentum, vterorum videlicet diuerſam magnitudinem, quo altero alter ſit capacior ſpatioſiorque, multum ad partus termini varietatem conferre, illud a ZACCHIA conuelli ac ſubuerti, aequiſſimo ferimus animo. Exemplis quidem feminarum quarundam grauidarum, quae quoties grauidae ſunt factae, quinto ſemper aut ſexto menſe redeunte foetus

D ſuos

ſuos excuſſerunt, DE LA MOTTIO ſupra dicto libro vero ſit ſimile, certam quandam ſaepe extenſionem eſſe, ad quam vbi vteri peruenerint, non poſſint, quin ex continuis doloribus ob nimiam tenſionem ad pariendum adigantur, ac nos, niſi praeter ſpem atque expectationem labor hicce nobis videretur excreturus, totam huius argumenti rationem, a re non plane alienam, ex DE LA MOTTIO explicaremus *Liv. II. chap XIX.* Verum, quoniam et haec hypotheſis nonnullis adhuc grauibus videtur obnoxia diſceptationibus, tam in theſi ipſa, quam ad noſtram diſſertationem hypotheſi, (licet huiusmodi hiſtoriae longe plures ſint ac frequentiores, quam quae DE LA MOTTE annotauerit,) potius id damus operam, vt tertium argumentum in libertatem vindicetur. Pendet illud aliqua iam ex parte ab eo, quod modo defendimus, temperamentorum diſcrimine, et hac ratione ab iis, qui incertum partus tempus ſtatuunt, proponitur: temperamentorum diuerſitas, alias matres pluri, alias pauciori ſanguine praeditas, cum demonſtret; neceſſum eſſe, vt alius embryo altero vberius nutriatur, et exinde cum partus diuerſitate in lucem prodeat. Quo in argumento vindicando, vt recte nos geramus, primum in id directa ZACCHIAE tela, proponemus, dein ipſum argumentum paululum emendabimus, rectiusque explicabimus; denique iſta ZACCHIAE argumenta, ſi poterimus, auerruncabimus. ZACCHIAE argumenta haec ſunt: *ſi ſanguinis copia aut inopia ad foetus nunc tardiorem, nunc celerio-*

leriorem perfectionem multum confert; in brutis autem pari modo ſanguis nunc copioſior eſt, nunc paucior; bruta vero vno tempore pariunt, ergo nutrimenti copia aut inopia nullum continet ad hanc rem momentum. Dein pergit, *ſi ſanguinis copia citius embryonem ad perfectionis faſtigium perduceret, ſequeretur, mulieres aetate prouectiores, ſeptimeſtres, iuniores vero, nonimeſtres, ſemper parere debere; ſunt enim, ex* HIPPOCRATIS *mente, aniculae multo prae iuuenculis ſanguine praeditae. At vero compertum eſſe, iuuenculas, aniculas, multo a pauco ſanguine praeditas mulieres, promiſcue, nunc nonimeſtres, nunc ſeptimeſtres foetus in lucem edidiſſe; exinde non poſſe temperamenti varietatem quidquam ad partus termini diſcrimen conferre.* Sed primo tenendum eſt, non plethoram ſanguinis ſine diſcrimine ad foetus citiorem perfectionem facere; ſed matres, quibus bene nutriens in venis ſanguis fluit, ad meliorem embryonis bene diſpoſiti nutritionem longe eſſe reliquis aptiores. Tantum enim abeſt, vt generatim hoc plethoricis tribui queat, vt potius easdem ad hoc negotium ineptiores eſſe, ſana dictet ratio, atque experientia frequens confirmet: et animaduertimus, nimia ſanguinis copia foetum vel obrui, ita, vt ne debitum ipſi quidem ſuppetat alimentum, vel etiam prorſus diſſolui et saepiſſime abortu exturbari. Ex his quodammodo patet, (quoniam argumentum, a brutorum partus termino certo ductum, ſupra iam confutauimus *pag.* 33. *ſq.* vbi animantia bruta eodem ſemper

tempore parere, falſum eſſe demonſtrauimus,) quid de ſecundo argumento ſit futurum, vt, etiamſi concedere velimus, aniculas prae iuuenculis eſſe plethoricas, tamen ſi hae illis tardius pariant, ſuum argumento noſtro a temperamenti diſcrimine ducto robur perſtet. Negamus enim, quaslibet plethoricas ad cito nutriendum aptas eſſe, neque iudicari ſtatim poſſe; plethorica haec; ergo multum alimenti embryoni ſubminiſtrare, aut eumdem citius perficere valet. Si modicus ſanguis ſit, meliorisque notae, facile ad embryonem nutriendum ſufficit. Si ille praeſtantioris indolis ſanguis maiori adſit copia, facilius adhuc embryonem nutriet; modo nimia eius copia non ſit corruptionis auctor. Et ſane in hoc negotio notatu ſunt digniſſima, quem ſupra honoris cauſſa nominauimus, HOFFMANNI experientiſſimi, verba, quae in *diaeteticis* eius *p.* 645. leguntur. Vbi enim de diaeta grauidarum praecepiſſet, eas, primis praeſertim grauiditatis menſibus, a cibis crudioribus abſtinere oportere; *frequenti*, ait, *conſtat obſeruatione; nimiam ciborum ſatietatem debitae infantis nutritioni eſſe impedimento, et videmus obeſas mulieres frequentius edere infantes imbecilliores; quum e contra pingues ac robuſti a macilenta matre ſaepe prodeant.* Haec ille. Adde FR. MAVRICEAV in ſuis *Obſeruationibus* ſcribentem: *Obſtetricatus ſum feminae duos magnos infantes parienti, qui rectiſſime ſe habebant, licet mater tenerrima eſſet ac ita macilenta, vt plane hectica videretur.* Non attingam nunc, an HIPPOCRATE fultus

fultus, iure aſſerat ZACCHIAS, vetulas iuuenculis matribus ſanguine turgidiores eſſe, cum ſenſus et experientia haec erroris facile conuincant. Mouebo ſolum, nullo iure ZACCHIAM ſibi perſauſiſſe illas, quibus multae purgationes menſtruae ſunt, ob plethoram ad citius pariendum magis compoſitas eſſe debere. Contingere enim crebrior hicce fluxus, primo ob plethoram vitioſi, dein vitio quodam nimis aeſtuantis ſanguinis, poteſt. Quum vero huiusmodi excretione, ſi nimis frequens eadem ſit, valde debilis mater euadat, (quae eneruatio in embryonem quoque, niſi id alia quadam cauſſa impediatur, redundat, exemplo partus noſtri tredecimeſtris; (inde apparet, quo iure ZACCHIAS, ſaepe purgari ſolitas, ad citius nutriendum aptiores pronuntiet. Adde quod crebrius et copioſius contingentes purgationes, cachexiae vt plurimum ſint initium.

XI.

Quas praeter has in medium profert cauſſas a noſtrarum partium propugnatoribus excogitatas e. g. de facultate formatrice, &c. eas non facile quidem meas fecerim. Sunt enim erroneae magnam partem et nullius valoris. Quo aequiori animo illas ab eo conuelli ac peſſumdari patior, ac ne iis allegandis quidem tempore ſpatioque intemperanter abutendum eſſe cenſeo. Superſunt etiam adhuc in quibus confutandis nos ex promiſſi noſtri ratione exerceamus. Videlicet, *vt illa argumenta erroris conuincamus, quae vnius natu-*

ralis partus termini propugnatores excogitarunt. Quae hic iterum ex ZACCHIA, a quo praeſertim maximi noſtrae aetatis et Medici et ICti ſeſe conuictos fatentur, proponemus, ac pro ingenii (quod quam exiguum ſit, ſentio) modulo confutabimus.

CAPVT III.

Argumenta eorum, qui certum humano partui terminum praefigunt, continens ac refutans.

I.

Antiquorum opiniones vt olim ſummo in pretio habitae;

Tametſi ea ſemper fuiſſet antiquorum et philoſophorum et medicorum ante aliquot ſaeculorum ſpatium veneratio, vt piaculi loco haberetur, ſi quis eorum placitis ſubſcribere recuſaret; bonis tamen liberalibusque artibus caput paullo ex ignorantiae caligine exerentibus, reperti ſunt, qui non modo ab iisdem paululum diſſentirent; ſed in contraria dogmata manibus pedibusque deſcenderent.

ita poſtmodum repudiatae.

Neque tamen id ea ſemper ratione peregerunt, vt veritati magis congruentia proponerent; ſed neſcio, quo diſputandi furore, noua ſemper pro iis refutandis proferre atque excogitare ſtuderent, licet eorum futilitatem omnis experientia demonſtraret. In cuius rei exemplum merito mihi proferre videor HIERONYMI MERCVRIALIS pro vnico partus menſe, nono videlicet, argumentationem. Cum enim vetuſtiſſimi-

ſimi et medici et philoſophi, diuerſum ſecundum naturam humani partus terminum, a ſeptimo ad undecimum menſem (vid. *pag.* 8.) conſtanter et ſine dubitatione defendiſſent, ac ne repsrtus quidem contra qui ſibilare auderet, diu eſſet; HIERONYMVS *in praelectionibus ſuis Piſanis, tractatu de generatione hominis, cap. XXXII.* ab hiſce placitis diſcedit et *mulieres*, ait, *ac viri quilibet paſſim fatentur, humanos partus fieri nono menſe. Quantum autem apud medicos et philoſophos aeſtimentur huiusmodi communes hominum notiones et aſſenſus, ad rerum veritatem confirmandam, nemo ignorat, et dicere ſoleo,* CHRISTVM, *hominem perfectiſſimum, voluiſſe nono menſe completo naſci, vt doceret, verum ac communem hominibus terminum eſſe ipſum menſem nonum.* Sed HIERONYMVS argumentis hiſce contentus eſſe videtur, cum ipſe paullo ante, capite nimirum XXIX. cauſſas vniformis partus termini in brutis, difformis in homine, tradidiſſet. Acrius autem pro hiſce diſputat PAVLLVS ZACCHIAS, dum *Quaeſtionum medico legalium L. I. Tit. II. Quaeſt. I.* vt ipſe loquitur, demonſtrare ſuſcipit, *hominem, quoad naſcendi ſeu pariendi tempus, habere cum aliis animantibus quoddam ſuae ſpeciei determinatum congruum naſcendi tempus, decenti latitudine, vt in ceteris, minime deſtitutum, quod nonum aut decimum menſem comprehendat.* Quem omiſſis reliquis omnibus etiam hoc loco confutationi noſtrae propoſuimus, quoniam aliorum

tentias, ſeu argumenta potius, et collegit, et prolixe illuſtrauit, atque ab omnibus, qui in eadem ſunt opinione, ita allegatur, ac ſi nullum dubitationis ſcrupulum hac in materia fecerit reliquum. Prima eius argumentatio eſt huiusmodi: *ſi partus variatio eſſet homini in naſcendo naturalis, ſequeretur, quod non ſolum in iis terminis, verum in plerisque aliis, homo naſceretur, et eſſet ſemper vitalis.* Aſt haec conſectario hoc fulta argumentatio, neutiquam, vt ipſe quidem ſibi perſuaſiſſe videtur, procedit. Hic enim generatim tenendum eſt, cum veteribus et experientia, vt ſupra iam aliquo monimus modo, cauſſas eſſe, quibus humani partus terminus longior breuiorque reddi poſſit. Harum alias naturales dicere, alias non naturales, ſiue extrinſecus accedentes, liceat. Illarum mihi nomine veniunt, indoles ſanguinis ex quo foetus nutritur, dein habitus embryonis ad facilius aut difficilius recipiendum alimentum: harum autem, morbos, aut matris aut infantis, vndecumque illi ſuam nanciſcantur originem. Quae omnia ita ſe in homine habeant, vt cauſſas ſecundum naturam a ſeptimo ad decimum menſem operari, ex obſeruatione conſtet, (quamquam nonnulla quinquemeſtrium et ſex menſibus perfectorum exempla apud HARVEVM et SCHENKIVM *l. IV. obſeruationum* proſtent. Sed, quoniam haec raro nimis eueniunt, horum rationem non aeque ac reliquorum habemus,) non naturales vero aut infra minimum, id eſt, ſeptimum, aut vltra poſtre-

poſtremum terminum, ſeu vndecimum, vim ſuam exercere fuerit compertum, ſiue, vt clarius dicam, ſi homines in lucem ex vtero prodeant, ſi id a ſeptimo ad decimum vndecimumue menſem eueniat, obſeruatum eſſe, id ſanis matribus, nec morbum paſſis infantibus, factum fuiſſe, ſi vero aut citius aut tardius id acciderit, a non naturalibus cauſſis idem profectum eſſe, qua in opinione vberrime confirmamur experientia. Itaque hos terminos huius vniuerſi optimum maximum conditorem, cum eosdem huic rei conuenientes eſſe infinita ſua ſapientia in mundo hoc perſpiceret, huic negotio tribuiſſe, obſeruatione docemur. Qualis autem, quaeſo, argumentatio eſt? aut quem idearum nexum inuoluit ſyllogiſmus? ſi vnus aliquis menſis (nonus quippe, quem ipſe tamen ex aliquali obſeruationum frequentia ſe determinare fatetur,) pro certo naſcendi tempore homini non eſt a natura conſtitutus; ſequitur ſpatium a ſeptimo ad decimum menſem illi conſtitutum eſſe non poſſe, ſed debere quoslibet hac ratione terminos ipſi naturales eſſe. Non perfunctorie falleris, O ZACCHIA, hoc modo vbi argumentaris; cum nec tua argumenta eiusmodi ſint, vt extra omnem dubitationis aleam id collocare poſſint, nec quisquam homo ſit, qui humano, aut alii cuidam animalium, generi, fixum aut vagum partus terminum propoſitum eſſe, pro diuino quodam ac infallibili pronuntiato adſtruere potuerit, cum, quidquid de his determinatur, ſola obſeruatione ſeu experientia praeeunte, aut pronuntietur, aut pronuntiari certe debeat.

Neque nos negamus, eſſe aliquem humanis partubus terminum praefixum, ſeu, vt planius dicam, eſſe aliquod tempus, quod pro adiunctorum ratione, in ſtatu naturae vegeto, ſit conſtitutum: ſed illud nimis arctum a *Zacchia* determinari credimus, cum, quae ille ſibi ratione et experientia edoctus videtur, illa nos ab iisdem magiſtris ſecus accepimus. Neque eſt quod tuam obiectionem metuamus, qua, *ſi adfirmas mihi*, ais, *hoc homini naturale eſſe, vt non habeat determinatum ortus ſui tempus, cur dehinc illud ipſum determinas, et non, niſi ſupra ſeptimum et infra vndecimum, eum naſci poſſe adfirmas?* cum tota haec diſceptatio ad litem de verbis inclinet, qua tu *determinatum tempus* accipis arctiſſime pro vnius menſis interuallo, nos vero quod ſextum inter et vndecimum intercedit tempus, experientia et pluribus obſeruationibus edocti, partus terminum vocemus. Et cur tandem ipſe aliquam huic *determinato tempori* latitudinem concedis? et hoc modo teipſum iugulas? tum eo loco, qui modo disquiſitioni noſtrae eſt propoſitus, tum *Lib. I. Tit. II. Quaeſt. III. Num. I;* vbi, *terminus hicce*, inquis *congruam habet latitudinem, neque ad praeſcriptas horas aut momenta, ſed neque ad dies aut hebdomadas determinatur, cum tanta eſſet indiuiduorum multitudo, et conſequenter temperamentorum variatio.* Quae vero vlterius pro huius argumenti robore, ex libro, qui inſcribitur, *la Commare del* SCIPIONE MERCVRIO, profert, ex centum ſeptimeſtribus vix vnum ſuperſtitem manere, illa obſer-

obſervationibus SCHENCKII *lib. IV. obſeruationum rariorum, titulo de partu,* aliorumque, imo frequenti experientia, erroris poterunt conuinci. Et praecipue attendi merentur, quae idem auctor ex LEMNIO, diligentiſſimo illo obſeruatore, *libri IV. cap. XXII. de occultis naturae miraculis* (edit. locuplet.) habet, dum, *noui*, ait, *quod ad ſeptimum menſem adtinent, apud Belgas maritimos complures, etiam gemellos, qui ad extremam deuexamque aetatem crudo ac viridi corpore, menteque vegeta deuenerunt. Quocirca futilis eſt, nulliusque momenti, illorum perſuaſio, qui ſeptimi menſis partum inabſolutum minusque vitalem ſtatuunt et non, niſi exactis nouem menſibus, infantem omnibus membrorum numeris conſummatum in lucem producendum.* Porro HIPPOCRATES, *libro de principiis ſiue carnibus. Quod ſeptimeſtris*, ait, *puer naſcatur, ego quidem frequenter vidi. Si quis autem deprehendere vult, facile eſt obſtetrices adire, quae parientibus adſunt, et ex his percunctari.* Et, ſi recentiorum, in his rebus longo annorum vſu experientiſſimorum exercitatiſſimorumque iudicia ac teſtimonia deſideres, lector, audi quae DE LA MOTTE ſaepe dicto *Traité complet des accouch. etc. liv. I. chap. XXVII.* experientia dictante, de vno quodam partus termino, quisquis ille conſtituatur, iudicat. Verba ipſius auctoris lingua producam. *Je ſuis au même bien eloigné de regarder ce terme (nonum menſem) comme vne regle generale pour tous les accouchemens, puisque j'appelle l'enfant etre a terme depuis*

puis le commencement du ſeptieme mois, iusque au- DIX, DOVCE, ET MEME AVTREIZIEME; *ce tems avance ou retarde, n' eſt, ſelon moi, d' aucune conſequence, quand cela n' arriue par aucune cauſe violente, mais parce que le nature eſt obligée de ſe decharcher d' vne fardeau qui l' oppreſſe, et que l' enfant prit plus ou moin de nourriture au ventre de ſa mere, dans la penſée, que quand ce redardement arriue, ce n' eſt qu' a cauſe que l' enfant eſt trop petit ou trop foible, ce qui fait que la mere ne ſe ſent point incommodée, ni ſi la matrice irritée car quelque foible et petit que ſoit l' enfant, dès qu' il irrite par trop la matrice, c' eſt vne neceſſité qu' il en ſorte, par ce que cette irritation donne occaſion aux douleurs, d' ou s' enſuit l' accouchement, auſſi bien à ſept et a huit mois qu' a dix ou a douze.* Adiungit dein huic capiti DE LA MOTTE *obſeruationes. LXVIII et LXIX* de foetibus duobus ſeptimeſtribus, ad quarum primam docet, eum, licet puſillus eſſet, tamen lac nutricis rectiſſime adſumſiſſe, et poſt priorum duorum menſium aliqualem languorem, tantum roboris eſſe conſequutum atque incrementi, vt omnes ſuae aetatis infantes, qui aliquo aut vigore aut corporis magnitudine eſſent conſpicui, ſi non antecelleret, plane tamen aequaret, haud ſecus ac is, de quo ad ſequentem obſeruationem ſit dicendum, de quo iunctim cum priori, hoc interponit iudicium; *Ces deux obſeruations font parfaitement bien concevoir, que quand les femmes accouchent a ſept mois ſans accident qui puiſſe y avoir,*

donne d'occaſion, les enfants, quoique fort petits, peuvent vivre, ainſi ce ſeroit inutilement que je rapporterois d'autres obſervations pour le juſtifier, quoique j'en puiſſe rapporter un plus grand nombre, dont j'ai dans mon pais de temoins irreprochables, malgrè ce qu'en a dit M. M. dans pluſiers des ſiennes. Quibus quidem litteris initialibus Mr. MAVRICEAV, in libro, *Obſeruations ſur la groſſeſſe et l'accouchement des femmes*, indicari videtur, qui ſeptimeſtrium, quoties ſe ipſi cumque obtulit occaſio, imbecillitatem, tum graphice, credo ex proareſi, delineat; delineat; tum, ſi qui ſeptimeſtres iudicati eſſent, ii autem hypotheſi ſuae aduerſari viderentur, cum robuſti eſſent et ſatis magni, errorem in ſupputatione menſium commiſſum accuſat, haud ſecus atque id a P. ZACCHIA factum infra referemus. Cuius rei exemplum videſis *obſervatione CCCLXXVIII.* plures enim hic indicare ſuperſedemus. Poterit tamen, 1) hoc nobis aliquod parcere patrocinium, quod magna eorum pars, quos tamquam imbecilles ſeptimeſtres memoriae prodidit idem, matribus morbo adflictis fuerint editi, cuiusmodi partus ad nos pertinere, alio loco negauimus, 2) quod rarius ad illos caſus, vbi ex morbo, lapſu, aut difficili partus labore ſibi pariturae non metuunt, ſic dicti *Chirurgiens Accoucheurs*, adhibeantur, cum prae pudore, grauidae, obſtetricum potius, quam huiusmodi chirurgorum, opem expetant.

II.

II.

Alterius rationis robur nunc in conſpectum prodeat. Deſumtum illud inde eſt, quod *cum parens natura, non, niſi ob finem aliquem, agat; huius autem diuerſitatis nullus finis proferri poſſit, inde conficiendum ſit, hanc diuerſitatem, quoniam fine careat, ſecundum naturam euenire haud poſſe.* Et quidem, quod multiplicatio, reſpectu ſpeciei pro fine haberi haud queat, exinde patere, quod animantia bruta, certo naſcendi termino, longe multiplicentur inſignius atque humanum genus. Nec, ſi perfectionum indiuiduorum pro cauſſa habere placeat, h. e. quod incerto termino naſci homini vni prae reliquis animantium generibus, ſplendorem quemdam perfectionemque conciliet, proceſſuram eſſe argumentationem, cum natura ſemper intendat perfectiſſimum terminum, quem ſi forte non conſequatur, id cauſſarum adiunctarum culpa euenire. Verum ad hanc argumentationem euertendam ad tria potiſſimum momenta vt animaduertamus, neceſſe eſt. Primum, naturae vocem hic ſano ſenſu accipiendam eſſe, nec concipiendum eius vocabulo rem quamdam ſeorſim exiſtentem, ſed illum ordinem, quem res a Deo creatae obſervant, qui quoniam a perfectiſſimo creatore originem ſuam ducit, vtique illud ſemper intendit, perfectiſſimum quod iure poſſit appellari. Cum enim ex infinitis mundis, pro infinita ſua ſapientia, ſummus conditor optimum elegerit, huius quoque theſeos veritas, ſua luce radiat.

diat. Verum, quod alterum eſt; negamus in his poſitiuam dari perfectionem; hoc eſt, eſſe argumenta, quae nobis perſuadeant ac clare monſtrent, perfectionem quandam ineſſe, aut vario aut certo partus termino, ex ſupra enim cap. II. demonſtratis hanc perfectionem mere reſpectiuam eſſe elucet, ita, ut embryone vegeto ac incolumi, ſanguine bene ſano floridoque nutrito, matre nullis rebus aduerſis adflicta, perfectus ſit ſeptimus e. g. octauusque menſis, quod ſecus in embryone minus robuſto, ſanguine tardo, nec optimae indolis ſero nutrito, eſt comparatum. Is enim quoniam longiori ad legitimum terminum mora opus habet, imperfectus prodit, ſi ſeptimo octauone menſe naſcatur: non quidem externas, ſed, vt mentem meam explicem, internas potiſſimum partes, haud rite perfectus. Valde enim ſe probat, frequentiſſimam, quod infantes in viuis retineri nequeant, cauſſam hanc eſſe, quod nondum vaſa chylifera ac reliqua ſerum ex ſanguine ad partes deuehentia, eam ſint perfectionem ac magnitudinem conſequuta, vt lac nutritium ſine laeſione vaſculorum, quae ob teneritudinem valde ſunt ad obſtructionem aliasue laeſiones prona, poſſint permeare, nonus enim his decimusue menſis, ex adiunctorum legibus conueniebat. Ex quibus hanc perfectionem mere reſpectiuam eſſe facile adparere nullus ambigo. Ad tertium denique quod attinet, quo perfectionem aliquam certus partus terminus prae incerto habere perhibetur, exinde, quod bruta in procreationis multitudine

tudine ſuperent homines, et tamen vno quodam partus ſuos perficiant temporis interuallo, illud valde leve eſt. Corruit enim ex parte inde, quod ſupra iam negauimus, vnum animantibus brutis ſemper eſſe terminum: cum experientiae id repugnet: ex parte vero, quod multa animantium brutorum genera ſint, quae ſingulos tantum foetus vt plurimum edunt, vt vacca, capra, equus, ouis, ne plura commemorem, quae tamen vniformi partus termino eſſe ZACCHIAS numquam negauit. Quae omnia ſatis euincunt, vagam fuiſſe perfectionis hoc in negotio ideam, inaniſſimis quippe argumentis ſuperſtructam.

III.

Tertii argumenti confutatio, ex ſecundi argumenti confutationis priori parte pendet. Summa huius haec eſt: *In vnoquoque rerum naturalium genere neceſſum eſt dari perfectum quoddam. E. etiam in partus terminis.* Hinc ſi nonus aut decimus menſis perfectum continet terminum, reliqui erunt imperfecti; aut ſi partum nonimeſtrem v. g. lubeat perfectum adpellare, reliquos omnes a perfectione abfuturos. Verum, paullo ante eiicimus, perfectionem hanc, non, niſi referendam eſſe ad certas adiunctorum rationes. Exinde, quantum matrum ipſorumque embryonum robur in ſtatu ſano ab inuicem differt, tantum etiam inter ſe diuerſi ſunt humanorum partuum termini perfecti.

IV.

IV.

Quarta ratio eſt, quod *a natura alieniſſimum ſit, temere et ſine ratione agere.* Proinde *ſi ſeptimus menſis iam ſufficeret, fruſtra, ac ſine ulla cauſſa, ab eadem nonum ſerioresque expectari menſes. Imo impie operatam videri eamdem, ſi hominum nollet, cum poſſet, trium menſium interuallo citius a materni carceris moleſtiis liberare.* Sed fruſtra ac impie in hoc naturam adcuſas, ZACCHIA, dum quod plane improbari nequit, vitio ipſi das. Ordo rerum ab optimo maximo conditore aliter non eſt creatus, quam vt diuerſo matres polleant robore ac vigore, aeque ac idem de ipſis foetibus ſupra euicimus; et quas tu apud animum concepiſti perfectiones, cerebri tui intempeſtiui foetus ſunt. Is enim ordo, ſuadente ratione, obſervationibus teſtantibus, ille eſt, vt embryones robuſtiores ex ipſo iam ouario melioris habitus ſtamina in vterum deferentes; matrem dein ſortiti valentem, citius illis, quibus contrariae ſunt conditiones, perfectionis ſuae terminum valeant attingere. Omnia haec ex male obſeruatis conditionibus, quae et matribus et embryonibus ſolent eſſe communes, ortum trahunt. Ac praecipue quidem huc facere videtur vetus illa de hominis in vtero materno falſo concepta accretione, opinio, cuius breuem delineationem, DIOGENIS LAERTII verbis, *lib. VIII. in vita* PYTHAGORAE edit. Genev. P. STEPHANI p. 585. exhibebo. Haec eſt eiusmodi: το σπερμα ειναι ςαγονα εγκεφαλου, πε-

E ριεχου-

ριεχουσαν εν αυτη θερμον ατμον. Ταυτην δε προσ-
φερομενην τη μητρα, απο μεν του εγκεφαλου ιχω-
ρα καὶ ὕγρον, καὶ ἁιμα προϊεσθαι, εξ ὧν σαρκας
τε καὶ νευρα, καὶ οςα, καὶ τριχας, καὶ το ὁλον
συνιςασθαι σωμα απο δε του ατμου ψυχην καὶ αισ-
θησιν. Μορφουσθαι δε το μεν προτον παγην ἡμε-
ραις τεσσερακοντα. Κατα δε τους της ἁρμονιας λο-
γους εν ἑπται η εννεα, η δεκα το πλειςον μησι τελεω-
δεν αποκυΐσκεσθαι το βρεφος h. e. *ſemen eſſe guttam cerebri, inque ſemetipſo calidum vaporem continere. Quae cum a cerebro ad vterum ſit delata, ſuccum chyloſum, aquam, et ſanguinem emittat, ex quibus dein carnes, nerui, oſſa, et crines efformentur. Formari vero primum compactum aliquod quadraginta diebus, ad rationes autem harmonicas, aut ſeptem, aut nouem, aut decem vt plurimum menſibus, perfectum infantem naſci.* Quibus recentiores ſuperaddiderunt, triginta maſculum feminam quadraginta duobus in vtero diebus articulis donari et in vtero efformari. Conf. HIPPOCRATEM, cum alibi paſſim, tum *de natura pueri libro.* Licet negari nequeat, eumdem alio loco longe ſanius rectiusque de his ſtatuere, de qua re alibi explicauimus. Adde ZACCHIAM *Tit. II. Quaeſt. II. Num. XLI.* praeterea a ſeptimo menſe oſſium et neruorum confirmationem, ab octauo vero complementum perfectionis pendere. Confer ſis SORANVM EPHESIVM *Iſagoges cap. XVII.* quem ſe ſequutum fatetur ZACCHIAS. Quae opinio, quin inſigne errori fulcrum praeberet, fieri haud potuit, vt ſeptimo menſe editos

ditos omnium partium perfectionem nondum eſſe adeptos, ac proinde ad vitam ineptos, iudicarent. Sed totius negotii rationem ſecus comparatam eſſe ſupra iam docuimus, vnde hoc loco ſpatio operaeque lubentes parcimus, et ſine terrore duas hiſtorias partuum ſeptimeſtrium, in ſuae ſententiae patrocinium prolatas, contemplamur. Depingit hos ZACCHIAS miſere flaccis ac pendulis membris, et ſuturis cranii magnopere hiantibus, in lucem productos. Sed, a particulare ad vniuerſale concluſionem valere negant philoſophi, cum centenos homines, nono menſe, miſeros tamen ac imperfectos editos, obſeruationes doceant, atque indubitatum ſit, hos foetus aut morboſos aut abortiuos fuiſſe. Si abortiui fuerunt, illos vlteriori perfectione ſeu in vtero incremento opus habuiſſe; ſi morboſi, eos ad diſſertationem noſtram haud pertinere certum eſt, ſi denique ex grauibus partus laboribus, ex ſitu ad exitum inepto, vel obſtetricis in hoc negotio aut negligentia aut imperitia periere, nulla ratione noſtram hypotheſin feriunt. Non enim veremur, ne male adcommodatum ad prodeundum ſitum, inter mala ſeu caſus, qui nondum perfecto foetui ſint proprii ex imperfectione, adnumeret. Narrat enim FRANC. MAVRICEAV in Obſeruationibus ſuis obſeruat. XXII. ſe adfuiſſe in partus negotio mulieri gemellos geſtanti, puerulo altero, altero puella, quorum prior, licet notabile quantum et maior eſſet et robuſtior, *in*feſto partus ſitu, vtpote qui pedes primo obſerret, comparuerit, cum illum antecedens femella, ma-

xime adcommodato ad partum ſitu eſſe animaduertetur, nimirum capite primum ſemet in vteri orificium inſinuante. Quo loco exercitatiſſimus his in rebus homo, ac quo paucos alios in huiusmodi negotio exercitatiores crediderim, illud conſectarium quam rectiſſime ſubiungit: *L'on peut connoitre, ce qui m' a eté confirmé par beaucoup d' autres ſemblables, que la bonne, ou la mauvaiſe ſituation des enfans ne depend point de le vigueur plus ou moins grande. Et que ce n' eſt pas auſſi toujours le plus fort, qui ſe preſente le premier pour ſortir dans l' accouchement. Car ſi cela etoit, le garcon auroit prit la place de la fille, et ſeroit venu le premier en bonne ſituation, et non pas le dernier en la mauvaiſe qu' il avoit.* De his ſeptimeſtribus etiam, vt rite ferri poſſit iudicium, plurium adiunctorum mentionem ZACCHIAM inieciſſe oportebat. Si vero iſtiusmodi exemplis rem omnem confectam putet ZACCHIAS, ſuggeremus ipſi quam liberaliſſime aliud exemplum partus ſeptimeſtris, de quo diſſerit LEMNIVS *lib. IV. de occultis naturae miraculis*, edit. locuplet. De quo refert, quod infans ſeptimo menſe, eoque inchoato potius, quam abſoluto, editus fuerit, nondum perfectis vnguium adpendicibus. Sed adiungit LEMNIVS, *hos obſeruamus in noni etiam menſis partu nonnumquam deeſſe ac deſiderari. Cum ceteroquin hic partus membris omnibus exacte elaboratis eſſet productus.* Atque ipſe foetus, qui diſſertationi huic anſam praebuit,

it, haec ex parte refutat. Foetus enim ille tredecimeſtris (fortaſſis etiam quatuordecimeſtris quoniam terminus, a quo poſthumorum aetas computatur, nimis breuis a ICtis conſtituitur,) ex relatione, ſuturas magnopere hiantes habuit: vnde patet, non temporis anguſtia, ſed penuria nutrimenti, ac morbo potius retardante, foetum has partes imperfectum fuiſſe. Ac praeterea hoc loco fontem quemdam generaliſſimum, eius, *quod nonimeſtribus maturiores, ſeu citius nouem menſibus editos, pro minus perfectis habuerint*, indicandi oblata videtur occaſio. Videlicet, cum inter pleroſque ex praeiudicio obtinuiſſet noni menſis valor, exinde ipſos ad ſeptimeſtres octimeſtresque magnopere animaduertiſſe, ac, ſi monſtroſi, aut debiles nono menſe citius prodirent, ſtatim id in ſuae hypotheſeos tutelam litterarum monumentis conſignaſſe. Et mihi ſe valde probat, multos pro nonimeſtribus haberi ac decimeſtribus, qui re vera ſeptimeſtres octimeſtresque, fuere, quod conceptio non in primo concubitu, ſed ſequenti quodam euenerit. Videlicet valde fieri poſſe, vt indicia, quae a menſibus aut ſuccedentibus aut ſuppreſſis petuntur, inſignem in modum ſe obſeruantes fallant. uide quae infra *cap. III. §. VIII* diximus.

V.

Vlterius nunc et ad ſpecialiora progreditur ZACCHIAS, *Tit. II. Qu. III.* demonſtraturus,

ſeptimeſtrem non ex naturae inſtituto viuere. Primum argumentum eſt: quod ſeptimeſtris ſemper imbecillis ſit. Fidem huic opinioni facit ARISTOTELIS verbis *Probl. XXX. ſect. X.* et *de generatione animalium l. VII.* ac relationibus LALAMANTII *Commentario in librum II.* GALENI *de diebus decretis*, AC FORTVNATI FIDELIS; *libro III. de relationibus medicis cap. VII.* et praeſertim inde, quod nondum omnibus partibus perfectus ſit embryo. Sed vt haec confutemus, ſolis opus eſt obſeruationibus id annotantibus, foetus ſaniſſimos in lucem ſeptimo menſe, ac quos perfectiſſimos adpellare fas ſit, fuiſſe productos. Quas quoniam ſupra *pag.* 50. non paruo protulimus numero, ea inde repeti volumus. Quibus non inepte iungentur, quae nonimeſtrium decimeſtriumque imbecillium proſtant exempla.

VI.

Secunda argumentatio, veteri illi, de cauſſis foetum ab vtero expellentibus hypotheſi, eſt ſuperſtructum. Nimirum, duce et auctore HIPPOCRATE *in fine libri de natura pueri*, *alimenti penuriam*, *foetum vt nutrimentum alibi quaerat*, *adigere*, credunt. Perſuadent vero ſibi aliquando naturalem hunc defectum oriri, quando nimirum infans perfectionis ſuae culmen eſt adeptus: nonnumquam autem eumdem ortum trahere a cauſſis non naturalibus, matre morbis eneruata; aut alia quacumque de cauſſa ſanguine orbata. Hinc

itaque

itaque hunc in modum argumentatur ZACCHIAS: *ſeptimeſtris foetus debilis et imperfectus naſcitur, ſeu ob alimenti defectum in lucem prodit, vt paullo ante dictum eſt; prodit autem iniuſto tempore. E. fames haec non naturalis fuit, et partus proinde intempeſtiuus.* Verum vbi ſingulorum momentorum robur tentare ceperimus, vereor, ne totum argumentum corruat, quemadmodum collapſa ruunt ſubductis tecta columnis. Primo enim penuria alimenti ad exitum ab vtero haud ſtimulari foetum, ſi poterimus, planum faciemus; dein, num ſeptimeſtris partus generatim debilis naſcatur, diſpiciemus. Ad primum quod adtinet, vtique grauis ac multis ſemper diſceptationibus obnoxia fuit viſa quaeſtio: quidnam pro cauſſa partum vt ab vtero exeat ſollicitante, ſit habendum? Non poſtulat nec permittit inſtituti noſtri ratio, vt cauſſas in hac re ab omnibus excogitatas in medium proferamus. Inquirere ſatis nobis erit in Hippocraticae huius cauſſae robur. Huic autem primo obſtat, quod viri eruditi, cum SPIGELIO, doctiſſima *de incerto partus tempore epiſtola*, iam adnotarunt, quod non ſolum gemellis, ac pluribus interdum foetibus, ſufficiens alimentum matres ſuggerere valuerint; ſed poſt partum etiam ſingulis alimentum praebuerint. Dein infans noſter tredecimeſtris, aliique ſimiles ab auctoribus litteris conſignati, inſigne confutationis argumentum ſubminiſtrant. Videlicet, ſi certum ſit, nutrimenti defectu ab vtero expelli infantem, hunc ſeptimo menſe iam exturbatum fuiſſe oportere. Etenim, red-

euntibus vteri, haemorrhagiis, venae ſectione bis perpetrata, matrem cholerici melancholici, hoc eſt δυστρεφωτατȣ temperamenti, non potuiſſe non inſignem in modum extenuari, patet; et certum eſt, fame ſtimulatum infantem ſeptimo minimum menſe exitum debuiſſe moliri. Quum vero nihilo ſecius ſex ſupra hos, et quod excurrit, menſes, ſit commoratus, eſſe non poſſe, vt fames, ſeu nutrimentum parcius, inter partus cauſſas ſit alleganda. In noſtrae porro cauſſae partem venit, quod uullo tempore, pro temperamenti ratione, ſanguine magis abundent feminae, atque illo quo vtero gerunt: quodque obſeruationes doceant, non aliunde pendere crebras grauidarum lipothymias, abortus, aliaque ſymptomata, quam a plethora. In cuius rei pleniorem fidem non male fortaſſis nonnullas C. STALPARTI van der WIEL obſeruationes in medium proferimus. Refert ille *obſeruationum rariorum Centuria I. Obſeru. LXV.* matronam quamdam vegetam ac robuſtam, cum prima vice vtero gereret, accedentibus animi deliquiis crebrioribus quinquies vt venam ſibi ſecari pateretur, adactam fuiſſe; nihilo tamen ſecius illam filiam ſanam eſſe enixam. Quae cum ſecundo grauida eſſet, tam crebrae eamdem inuaſerunt lipothymiae, vt, medicis optimis in conſilium adhibitis, quadragies nouies venam ſecare habuerit neceſſum. Refert idem dicto libro plurima exempla foetuum in vtero ob nimiam ſanguinis copiam extinctorum et ab aliis adnotatorum, quae inter in primis memorabile eſt, quod idem

ex

ex LAZ. RIVERIO *lib. IX. de morbis mulierum, cap. XVI.* habet, quo narrat, mulierem ter abortum paſſam, cum quarto grauida eſſet, circa ſecundi menſis finem ſenſiſſe, quos antea ſaepe ſuſtinuerat, ventris lumborumque dolores, abortuum prodromos certiſſimos. Ad quam RIVERIVS vocatus, ſtatim ſanguinem ad *vnc. VIII.* mitti iuſſit, quo factum, vt intra horae dimidium plane doloribus leuaretur mulier, ita, vt ne recipere quidem reliqua pro abortu cauendo remedia voluerit. Tertio cum menſe eadem geſtaret vterum, ſimilibus inuaſa doloribus, praeſentiſſimum a ſecta vena leuamen ſenſit, quarto dein, quinto, ſexto, ſeptimo, octauo, menſibus, periodice redeuntibus doloribus hiſce, ſtatim poſt V. S. perpetratam fuit liberata. Quid? quod paucis ante nonum menſem diebus, ſanguinem vt mitteret, fuit adacta, hoc tamen nihil obſtitit, quo minus circa noni menſis finem filium pareret vitalem ac vegetum. LOVISE BOVRGEOIS in ſua *ad artem obſtetriciam iſagoge, Part. I. obſ. VIta, p.* 163. de iuuencula quadam refert, illam ſibi narraſſe, quod ſaudente experientiſſimo MARTINI, per geſtationis tempus ſexies V. S. ſuſtinuerit, ac clyſteres plurimos, iunctis aliis remediis, receperit; ſe enim absque his remediis certo certius ſuffocatione fuiſſe perituram. Exemplum grauidae ſuffocatione tantopere adflictae, vt iam loqui amplius haud poſſet, cui poſt V. S. et loquela et libera reſpiratio rediit, habet P. PORTAL in ar-

te obſtetricia *p.* 288. *ed Amſt.* 1690. 8. Cum denique obſeruationes doceant, non in ipſo ſolum excluſionis ex vtero ſeu partus actu, ſed proxime quoque partum antecedentibus diebus, multum ad vteri vaſa ſanguinem ablegari, ex ſtimulis excretoriis, quos inſtante partu ſentiunt pariturae; plane nihil eſt, quod vero ſimile amplius reddat, alimenti penuriae hoc negotium eſſe tribuendum, (cum eodem tempore, quo ſanguine foetum putat orbatiſſimum, maxima eius copia ad eumdem ablegetur atque deriuetur,) ſed potius vteri laboribus, ex diuino ordine tunc temporis reliquis ſemet cauſſis iungentibus, et in quorum partem poſtmodum diaphragma et abdominis muſculi veniunt; quibus, ſi placuerit, BOHNII doctiſſimi ſententiam, quam in *circulo phyſiologico anatomico* hac de re protulit, adiunges; nempe reſpirandi ſummam neceſſitatem, qua ipſi videtur ſanguinem foetus non poſſe abſque huius regimine debito modo circulare: incommoda ex fecibus ſiue meconio etc. Quibus omnibus rite expenſis non poſſumus quin ſtatuamus, mere mechanicum alui conatum eſſe ad foetum in lucem protrudendum: nec famis, quam embryo ſentiat, metum, quidquam ab eumdem conferre; nec embryonem multa in his agere, niſi forte ipſi tribuere velis in vtero inuerſionem et ad partus actum ſemet adcommodantem ſitum. Etenim, vbi hoc ipſo ex motu et calcitrationibus foetus vterus vellicatur et irritatur, fieri nequit quin ſenſiles admodum carnoſaeque vteri fibrae, hunc ſemet vellicantem hoſpitem magna vi domicilio

lio ſuo exturbent. Confer haec egregie explicantem BERGERVM *de natura humana l. II. cap. III.* BOERHAVIVM, FR. HOFFMANNVM, quibus iunge ſis verba DE LA MOTTE, §. *I.* huius capitis adſcripta, ex eius *Traité complet de accouchem. Chap. XXVII. lib. I.* Alterum argumenti huius columen eſt: partum ſeptimeſtrem generatim imbecillem dici. Sed quoniam hoc ſupra iam confutatum eſt, *p.* 71. §. *VI.* nihil, arbitror, impedit, quin iam totius argumenti robur corruat.

VII.

Obiect. Eadem femina, quae vt plurimum IX. et X. menſibus peperit, interdum VII. menſe parit. E. contra naturam.

Tertium argumentum eſt huiusmodi, vt, cum antecedens baſeos ac fundamenti loco habeat, cum illud iam ſit confutatum, non difficile ſit futurum hoc etiam ſupplantaſſe. Eſſe nimirum animaduerſum, easdem feminas, quae nonimeſtres decimeſtresque aliquoties edidere, nonnumquam ſeptimeſtres peperiſſe. Ex quo cum pateat, nonum his decimumque menſem naturales eſſe, ergo ſeptimeſtrem non potuiſſe ſecundum naturam ab iisdem edi. Sed facilis admodum eſt huius argumenti confutatio, cum totum eidem largiri illud poſſimus, ita, vt theſin noſtram non feriat, ſi modo caute nonnulla auerruncentur. Etenim, ſi feminae huius temperamento fuit conueniens, vt nono decimoue menſe pareret, non negamus praeter-

ternaturalem hunc partum eſſe, ſi praeſertim, id, quod vtplurimum obſeruare licebit, hic foetus debilior adhuc in lucem prodeat. Si is vero ſanus ac perfectiſſimus prodiiſſe dicatur, multa habebimus, quo temperamenti cauſſam rectiſſime agere poſſimus. Primo enim ex ſupra *pag.* 34. *ſq.* dictis huc aduocari volumus temperamentorum mutationem. Dein robuſtiorem potuit foetum concepiſſe mater, non mutato ceteroquin temperamento, cuius corporis ~~habitus~~ robore ac vigore praecedentes antecelluit. Quae ita ſatisfacere hiſce omnibus videntur, vt non magnopere ſit neceſſum hic allegare ſuperius dicta, de alimenti defectu, tamquam ficta quadam ac commentitia partus impellente cauſſa.

VIII.

Proponitur alia obiectio,

Quarta argumentatio eſt huiusmodi: *celeritas naſcendi calidiorem, proinde robuſtiorem perfectioremque foetum monſtrat, exemplo puerorum femellis citius in lucem prodeuntium; ſeptimeſtres citius naſcuntur nonimeſtribus; ſi proinde ſecundum naturam citius naſcerentur, eos Herculei Achilleique roboris eſſe oportere. Quum vero id non liceat animaduertere, potius imbecilliores ſint, exinde patere, non ſecundum naturam, ſed praeter eamdem, adeoque imperfecte, naſci, citius nouem menſibus editos.* Habet, fateor, hoc argumentum aliquam roboris ſpeciem; non deſunt tamen quae pro noſtra

explicatur breuiter

ſtra cauſſa defendenda proponamus. Inquiramus itaque primo loco in huius argumenti robur; hoc eſt huiusmodi. Qui citius naſcitur, is robuſtior vegetiorque altero eſt; ſeptimeſtres citius prodeunt: ergo robuſtiores ſint oportet. Quum vero non eſſe tales deprehendantur; per ſe patet eos ſecundum naturam editos eſſe haud poſſe. Si maioris propoſitionis robur inconcuſſum eſſe deſideratur, planum Zacchiae faciendum eſt, non dari in quolibet temperamentorum genere homines vegetos ac incolumes. Sed, cnm hoc nulla ratione, ſi quoque robur lacertorum reſpicere velis, euincere poſſit ZACCHIAS, cum hoc magnam partem ex fibrarum prima in foetu conformatione pendeat; et cum vigor ad quem in ſeptimeſtribus quibusdam fortaſſis attendit, multum ex primum oblato nutrimento immutari; cumque vitae poſtmodum genus ipſorum indoli minus conueniens ſuperuenire, potuerit, inde fortaſſis a paucis quibusdam ad omnes argumentatur Zacchias, fortaſſis etiam a nullis. Licebit etiam quaerere: ſi acceleratior partus tantum habeat roboris, eccur mares feminas robore non tantopere antecellant? quantum herculeum achilleumque robur reliquorum hominum vires poſt ſe relinquit, cum multae ſint feminae, in ſimili quodam vitae genere, (hoc eſt, ne ruſticarum robur feminarum, viribus marium delicio ſe ac molliter educatorum, opponamus) ne latum quidem vnguem maribus cedentes; et ſi plures forſan reperi-

et confutatur.

antur

antur fortiores mares, hoc illi inprimis tribuendum, quod mares durioribus laboribus fortioribusque corporis motibus a teneris fere vnguiculis ad ſue fiant. Vnde hoc miſſum facientes, ad diluendam ZACCHIAE hypotheſin, qua errorem in conceptionis termino commiſſum accuſat, conferimus. Etenim cum nihil habeat, quod ad illa vegetorum ſeptimeſtrium exempla, quae LEMNIVS *de occultis naturae miraculis lib. IV. c. XXII.* profert, reſpondeat; errorem accuſat matrum, quo a tempore omiſſorum menſium geſtationis menſes computent, et cum duobus poſt conceptionem menſibus vt purgentur, ſaepe eueniat, duo menſes a geſtationis vero tempore auferant. Non negamus quidem accidere hoc interdum poſſe; at uero id ſemper eueniſſe plane vero diſſimile eſſe nobis videtur, cum res, ſi primorum praeſertim concubituum ratio habeatur, facile ſecus comparata eſſe deprehendatur. Dein notamus, ex ſignis a menſibus deſumtis, multos pro nonimeſtribus haberi, qui re vera ſeptimeſtres, aut certe nouem menſibus inferiores ſunt. Nam cum obſeruetur, vterinam hancce haemorrhagiam parcius interdum fluere atque vtplurimum conſueuerat; (exemplum mulieris nullos vmquam menſtruos fluxus, nec ante, nec in matrimonio expertae, quae tamen quotannis peperit, ſeque ceteroquin rectiſſime habuit, annotauit C. STALP. de WIEL *Obſ. rarior Cent. poſterioris Part. I. obſ.* 31.) id, vbi poſt concubitus quosdam ſteriles euenerit, hunc difficilem fluxum conceptionis ſignum cenſent, quae tamen

men ex quadam poſtea perpetrata compreſſione ortum duxit, vnde duobus menſibus poſt conceptus infans, ſaepe pro duobus menſibus ante concepto non poteſt non haberi. Atque hinc facile patet, quam fieri poſſit, vt nonimeſtris foetus cenſeatur, qui in vtero vltra ſeptem aut octo menſes non eſt commoratus. Habemus praeter hanc Zacchiani argumenti retorſionem aliam quandam, quam eidem poſſimus opponere argumentationem. Nimirum, HIPPOCRATE *lib. de natura pueri edit. Linden. Tom. I.* 8. *p.* 159. *ſq.* rectiſſime obſeruante, ſaepius euenit feminis, vt turgeant, corpus ex cauſſis praeternaturalibus, ita, vt ſe vtero concepiſſe exiſtiment. Quae, ſi poſt conceperint, hos, quibus vterum turſerunt, menſes, quin geſtationis menſibus adnumerent, fieri nequit. Si graeca deſideras, hoc ſe modo habent: *ὁκοταν αἱ μητραι πνευμα λαϐωσιν ες ἑωυτας, ἀπο της κοιλιης φυσαν παρεχουσης και εξαρθωσι. Γινεται γαρ και τουτο. Δοκεουσι δη αἱ γυναικες προς σφας εχειν τοτε. Και ην καταμηνια μη χωρεοντα ξυστραφη εν τησι μητρησι - - και δη και τοτε εν γαστρι δοκεουσιν εχειν αἱ γυναικες, ἁ τε των καταμηνιων μη χωρεοντων, και των μητρεων ηρμενων.* Adde ARISTOTELEM *lib. VII. Hiſtor. Animalium cap. IV.* Quae deinceps *hac Quaeſtione* a ZACCHIA, tum pro ſua ſententia, tum pro noſtra, adferuntur, illa ſunt eiusmodi, vt vterque iis nullo damno carere queamus.

IX.

IX.

Sequenti *Quaeſtione IV.* octimeſtris partus cauſſa a ZACCHIA agitur, quod is ſeptimo menſe edito perfectior eſſe debeat. *Non ſe morari*, ait, *quod magni viri hunc ſuperſtitem eſſe poſſe negarint, ſe enim demonſtraturum eſſe, ſeptimeſtribus longe eſſe robuſtiores, qui octo menſibus ſunt perfecti.* Conuenit quidem nos inter et ZACCHIAM, tralatitia prorſus ac commentitia eſſe dogmata illorum, qui octimeſtrem viuere haud poſſe ſtatuunt. Si enim conſtituatur certus, qui omnibus perfectus ſit, partus terminus, nonus v. g. menſis, per ſe pateret, ratione ſuadente, octimeſtribus, quoniam longius a perfectionis termino diſtant, ſeptimeſtres eſſe debere imperfectiores, cuius tamen ſententiae ipſimet contrarium tuentur. At vero id nulla ratione ZACCHIAE largiemur; vt octimeſtres, quoniam a nono decimoque menſe adhuc abſunt, praeter naturam editos nec perfectos impune pronuntiet. Nam 1) experientia teſtatur, octo menſium interuallo in vtero geſtatos ſaepe robuſtos eſſe et ad vitam continuandam aeque aptos, atque illi, qui nono decimoque menſe in lucem eduntur. (vide quae ſupra *p.* 50. ex DE LA MOTTE protulimus, ab eodem, dictante experientia, litterarum monumentis conſignata: et F. MAVRICEAV *Obſeru. CXXVIII.* de femina, octauo menſe robuſtos gemellos enixa,

octimeſtres ideo non ſunt praeter naturam editi, quod a nono menſe abſunt.

xa, quae tamen tertium circiter geſtationis menſem febri laborarat continua per dies XLII: plura enim, cum infinita prope multitudo huiusmodi hiſtoriarum proſtet, commemorare nihil adtinet,) dein, cum argumenta illa, quibus ZACCHIAS octimeſtrium imbecillitatis cauſſas reddit, leuiora ſint, quam quae perſuadere nobis idem quaeant; nemo, arbitror, mirabitur, ſi in ſemel ſuſcepta ſententia perſtamus. Explorabimus nunc cuius reliqua ſint ZACCHIAE argumenta roboris.

X.

Aliud Zacchiae argumentum.

Primum horum eſt huiusmodi: *Quo tenerior foetus, eo leuior morbus illum male poteſt habere; et contra, quo robuſtior embryo, eo grauior morbus ſit oportet, qui illum adfligere valeat. Embryones, qui ante nonum decimumque menſem ab vtero exeunt, a morbo ſeu praeternaturali cauſſa expelluntur. Ergo octauus, vtpote robuſtior, a grauiori morbo expellatur oportet, vnde fieri non poteſt, quin magis ſit valetudinarius atque ſeptimeſtris.* Accedit, quod, quoniam maiori eſt mole, exinde in partu, hoc ipſo difficiliori reddito, magis laboret ac debilitetur. Primum autem, argumenti huius robur ac ſenſum, indicabimus, dein idem confutabimus. Robur huius argumenti fultum eſt illa hypotheſi; embryo per morbum ab vtero exit. Morbi autem hic voce indicari defectum alimenti, omnia ſuadent. (vid. §. *VI.* p. 46.) Etenim, ſi

F aliud

aliud quodcumque morbi genus hac voce velit denotatum, obſeruationes illum confutabunt, quibus embryones longiorem, ſi aegrotent, in vtero moram trahere, ſumus edocti. Itaque cum alimenti hic penuria ipſi morbi veniat vocabulo, nos vero defectum huncce, tam ſecundum, quam contra naturam exortum, ſupra *p.* 57. *ſq.* ex partus cauſſis exulare iuſſerimus; eum neque hoc loco ita, ut conſiderari mereatur, adferri poſſe patet. Et, quid de nonimeſtri decimeſtrique embryone tandem fiet? Siue enim fortiorem eſſe oportere dicas morbum, qui robuſtiorem foetum adfligere valeat; ſiue labores in partu, ex magnitudine oriundos, pro tua cauſſa adferas: vſque tuo temet enſe iugulare licebit, ZACCHIA. Vtrumque enim inſignius ſit in adflictione nonimeſtris embryonis oportet. Hypotheſin quoque illam, qua ante nonum menſem editos, ex morbo propelli tibi perſuades, paullo antea confutauimus. Finge denique, ac puta conceſſum tibi eſſe, ex morbo prodire et ſeptimeſtrem et octimeſtrem foetum, et hunc quidem, ob robur maius, grauiori, illum ob imbecillius conſtitutum corpus, ex leuiori, morbo, vtero exturbari; nihil tamen in argumentatione tua proficies. Etenim quanto grauior ad octimeſtrem foetum adfligendum morbus requiritur; tanto inſignius, huius prae ſeptimeſtri foetu robur, morbi impetum excipere ac ſuſtinere valebit, ita, vt rite ſubductis rationibus vtroſque pari morbi gradu adflictos eſſe pateat. Ex quibus omnibus clare

re, arbitror, perſpici poteſt, quantum toti argumento ponderis inſit ac praeſtantiae.

XI.

Octimeſtris foetus.

Si porro experientiam ſibi magiſtram elegiſſet homo acutiſſimus et non indoctus, P. ZACCHIAS, forſan priori huic argumento alterum adiungere ſuperſediſſet, pro demonſtrando ac reſoluendo illo phaenomeno, quo octimeſtri partu editi aut plane non viuere, aut ſi in viuis maneant, non niſi aegram miſeramque vitam exigere, omnes credierunt. Cuius quidem erroris fons et productio, ſi ab ARISTOTELIS et HIPPOCRATIS auctoritate, et, qua omnes ipſos proſequebantur, veneratione, diſcedas; nihil fuit aliud, atque illa numerorum a PYTHAGORA potiſſimum exculta doctrina, qua alios perfectos, nonnullos imperfectos eſſe numeros pronuntiabant. Sed quemadmodum horum in quibuslibet negotiis efficaciam nullam, ſenſus demonſtrauit; ita experientia dudum teſtata eſt, nullo iure hiſce commentis fidem eſſe tributam, cum nulla huius rei fere ratio ſubeſſe deprehendatur, et exempla nihil fidei huic theſi adferant. Quo minus erat quod imbecillitatem octimeſtrium fuco oblinire argumentorum, et priori illi alterum adiungeret. vide quae ſuperiori §. IX. huius capitis dicta ſunt.

ex hypotheſi efficaciae numerorum falſo pro illegitimo habitus.

 Sed

Exinde a *Zacchia* fruſtra in huius rei cauſſas inquiritur.

Sed animaduertebat ZACCHIAS hoc phaenomenon rationibus quibusdam pulcre ſibi eſſe infucandum. Potuiſſet enim haec octimeſtrium imbecillitas, ſi naturalis cenſenda eſſet, non leuem ſuae hypotheſi, qua ex temporis interuallo foetus perfectionem metitur, ictum inferre, et inprimis ipſi opponi quaeſtio, cur, cum ſeptimeſtres ſalui prodeant in lucem, octimeſtres imperfecti ſint? cum tamen hi illis ſint propiores ad conſtitutum perfectionis ſummae terminum. Adiungit proinde iſti priori argumentationi alteram huiusmodi. Obſeruatum eſt tam ſeptimeſtres quam octimeſtres ab vtero nonnumquam exire: quod, vbi ſe mouent, vaſa vteri abrumpant, quibus antea fuerant alligati. Argumento autem eſt huius motus in ſeptimeſtribus celeritas prae octimeſtribus, quod hi ſint illis imbecilliores; ad quam imbecillitatem cum partus labores accedant grauiores, ob cauſſas paullo ante allegatas, mirum haud erit, octimeſtrem ſeptimeſtri quidem perfectiorem eſſe, difficilius tamen in viuis manere. Verum, cum ipſe ZACCHIAS imbecillitatem huius theſeos partim intellexit; (argumentum enim quod ipſimet paullo ante retulimus de vi maiori foetus octimeſtris ad morbum ſuperandum contra ſuam theſin necti poſſe perſpexit,) partim reliqua huius argumentationis fulcra, vbi antecedens argumentum conuellere inſtitueramus, ſubduxerimus, nihil, quo minus plane corruat, vetat amplius, quam vt vaſorum vteri abruptionem hic locum habere haud

haud poſſe planum faciamus; quod quidem nullo negotio peragi poterit, ſi ipſam mulierum grauidarum ſectionem et inſpectionem teſtem aduocauerimus. Haec ſiquidem, nulla amplius vaſa eſſe per quae cum vtero embryo cohaereat, monſtrant, quam funiculum vmbilicalem placentae vterinae connexum: hunc autem ab vtero non diuelli antequam ſecundinae ſequantur, adeo clare patet, vt luce amplius non indigeat; vnde et huius argumenti robur corruit. Vt autem hic exemplo pateat, quanto rectius faciliusque ex noſtris hypotheſibus huiusmodi phaenomena explicari queant; ſtatue, eſſe ita, octimeſtres aut nullos plane, aut certe vix ex multis millibus duo ſuperſtites manere; liceret inde id deducere, quod nullum fortaſſe ſit, aut ſi quod ſit, temperamentum, illud quam rariſſime inueniatur, qnod octauo menſe embryonem perficiat. Proinde, ſi qui prodeant octauo menſe, eos, aut ſua, aut matris imbecillitate longiorem in vtero moram nectere, et ſic imbelles prodire, ſi ſeptimus fuiſſet legitimus menſis; aut, ſi nono demum menſe ſecundum naturam exire debuiſſent, a maiori ſanguinis ad vterum ruentis motu aut copia eosdem exturbatos fuiſſe.

Phaenomena partuum longe rectius ex noſtris hypotheſibus illuſtrari, exemplo pateſit.

XII.

Poſteaquam hac ratione confutationem argu-

mentorum ZACCHIAE contra diuerſos naturales partus terminos confecimus; coronidis loco adiungimus illa argumenta, quibus nonimeſtres decimeſtresque, ſolum, ac vere naturales dicendos eſſe, idem, quaeſt. huius tituli Vta, contendit. *Neceſſarium enim fuiſſe vt certum naſcendi tempus a natura daretur, quia neceſſarium erat animal in vtero materno moram trahens ac augeſcens*, recito ZACCHIAE verba, *ad quoddam tempus procedente aetate peruenire, in quo minus alimenti, quam par eſt, a matre haberet, et in quo perfectum iam omnibus eſſet ſui partibns.* Sed quoniam hanc partus impellentem cauſſam antea iam, ſi recte meminimus, confutauimus; nec vmquam negauimus, determinari aliquod, pro rerum abiunctarum conditione, tempus, pro foetus ex vtero materno exitu; hunc ſolum, euidentibus ex cauſſis, non vnum aliquem certum eſſe poſſe demonſtrauimus ac per totam diſſertationem expoſuimus: omnes arbitror perſpicere, quam debile hoc ac infirmum ſit argumentum. Vbi dein ZACCHIAS pergit, non potuiſſe hunc terminum minorem ſtatui nouem menſibus, neque tamen illum quidem certum, ob diuerſitatem victus? coeli aërisque temperiei, atque temperamenti ſanguinis, et exinde naſcendi latitudinem in homine notari a noni menſis principio ad exactum vſque decimum menſem, vel etiam vndecimi principium: quid quaeſo aliud agit? quam quod pugnantia loquatur, et ſemet ſibi

Zacchias ſibi ipſi non conſtat.

ſibi haud conſtare non animaduertat. Quae enim falſe antea perſtrinxerat, ac argumentis demolitus erat, vt ipſi quidem videbatur, grauiſſimis; nunc non concedit ſolum, ſed in partus termini latitudinis cauſſam allegat, vt ſupra etiam iam notauimus, *p.* 48. Sed, vſu ipſi venit, quod in patronis cauſſarum, quarum fides male ambulat, notare licet, qui pugnantes cuiuscumque generis rationes, modo e re ſua fuerint, pro cauſſa ſua adferre haud erubeſcunt.

XIII.

Ab his ſi diſcedas, nihil fere quod annotari mereatur hac Quaeſtione profertur, quam illa quaeſtio, *num menſis nonus, an vero decimus magis ſit legitimus?* Hos pari paſſu quidem ambulare exiſtimans, *decimo tamen, quoniam huiusmodi temporis interuallo Saluator noſter aeque ac eius parens caſtiſſima in vtero latuerint, aliquam prae nono menſe excellentiam tribuendum eſſe iudicat.* Quodſi enim ab octauo cal. Aprilis ad VIII. cal. Ianuarii; et a VI. Iduum Decembris, ad VIII. Idus Septembris nnmeretur; CCLXXV. et CCLXXVI. dies vtrimque interceſſiſſe patere. Conuenit ZACCHIAE in ſimili argumento cum HIER. MERCVRIALI, qui ſupra (*cap. II. N. I.*) allatis verbis eodem vſus eſt. Sed miror, eſſe viros noſtra aetate acutiſſimos doctiſſimosque

Argumentum, a Chriſti et Mariae natalibus ductum, leue eſt.

que, qui quam proletarium ſit hoc argumentum haud perſpiciant. Qui enim, quaeſo, hos geſtationis veros terminos recte norunt? Etenim conſtat inter omnes, qui hiſtoriae eccleſiaſticae ſtudium curae cordique habuerunt, ne ad ATHANASII quidem aetatem, ſeu annum a nato humani generis Seruatore CCCXL, de feſti conceptionis et natiuitatis IESV CHRISTI et MARIAE antiquitate, teſtimonia pertingere. Quod enim ipſi tribuitur *de Deipara Euangelium*, ATHANASII haud eſſe dudum planum fecit BARONIVS, qui exinde CYRILLO potius hunc ſermonem ad annum ſaeculi a CHRISTO nato quinti trigtſimum tribuendum eſſe iudicat. Confer HILDEBRANDI et SCHMIDII noſtri *de diebus feſtis* libellos. Ex arbitrio itaque ciuitatis chriſtianae diu admodum poſt hanc rem dies hicce ſacer in huius rei memoriam eſt conſtitutus. Ex quo obſcurum amplius haud erit, quo iure, qua certitudine ex hiſce terminis, quos ex praeiudicio vulgari de nono menſe ſacer coetus conſtituit, demonſtrari poſſit, quam diu in optimae virginis vtero Seruator cariſſimus delituerit; ac quantam ipſa virgo in materno vtero moram traxerit. Quod ſi de iure noſtro tantum velimus concedere, vt diem conceptionis certum nos perſpectum habere atque cognitum largiamur: bone Deus, quantae lites adhuc de huius partus termino ſuperſunt? quot libri eruditiſſimorum virorum ſumma cura conſcripti proſtant, qui in *annum diemque* IESV CHRISTI *natalem* inquiſiuerunt, neque tamen plane huic rei ſatisfacere potue-

fuerunt. De natalibus MARIAE rem longe adhuc obſcuriorem eſſe, prudentes quilibet iudicabunt. Finge iam, tam certa haec eſſe quam quae certiſſima, num putas? ſi matris, ſi ipſius Seruatoris corpuſculi in vtero conditio, aut citius aut tardius eumdem in lucis auras producere ex naturae legibus debuiſſent, eumdem aliquid ab humana ſorte alienum ſibi fuiſſe tributurum, qui ita humanam naturam induere amore compulſus, conſtituerat, vt, praeter animum ad vitia pronum, ne minimum quidem humani a ſe alienum eſſe cuperet. Ac denique, quidni debuiſſet cariſſimus Seruator menſe demum nono aut decimo in lucem ex utero prodire? cum matrem nactus ſit, quam agiliori floridiorique ſanguine numquam, aut eo certe, quo diuinum hocce pignus geſtauit, tempore, non tur-ſiſſe, multa ſunt, quae vero reddant ſimile. Vt enim illam ſedatam tranquillamque vitam amaſſe patet, quae fundamenti loco tardiorem ſanguinis indolem habere ſolet; ita ob famae metum, quam non temere timebat, vt et ob paupertatem, aliaque plurima, illo tempore ad citiorem foetus perfectionem haud idonea fuiſſe videtur.

XIV.

Illuſtratur hiſtoria foetus noſtri ex diſſertatione et aliis argumentis.

Verum vt nunc ea, quae hucusque *de incerto partus tempore, deque diuturniori grauiditate* generatim diximus, ad infantem noſtrum tredecimeſtrem transferamus, atque indicemus, certas, easque graues eſſe cauſ-

ſas; quae mitiorem de Iauolena ferre ſententiam iubeant; rationes morales nunc medicis ac phyſicis iungemus. Ac per illas quidem indignum eſſe atque ab homine aequitatis amante alienum facinus, exiſtimamus; mulierem honeſtiſſimam, quaeque omni vitae integritati tam ſtuduit quam quae maxime, turpiſſima, et inextinguibili fere, laeſae pudicitiae aut ſcorti nota, commaculare. Quae praeter propriam inculpatae vitae conſcientiam, non per illud ſolum, quod virgo exegerat, aetatis ſpatium, ſed iſtud etiam, quod viro nupta, quod vidua degerat, praeter totam ciuitatem, in qua viuebat, (quae ſedes magni, iuſti, piique Principis eſt) totam aulam vnanimi iudicio caſtitatis ſuae vitaeque bene ſemper actae teſtes habuit. Quod adeo late patuit, vt ne quidem ſineſtre de eius ſanctitate ſuſpicandi locus cuiquam relinqueretur, multo minus laeſae pudicitiae ream peragendi. Iam, ſi illa eſt, homini aequo, iuſto, prudenti, atque chriſtiano praeſertim dignae, aequitatis indoles, vt de hominibus honeſtis, et qui ſemper bene ſancteque vixerunt, niſi in ipſo ſcelere ac nefando aliquis facinore deprehendatur, vix leui cuidam ſuſpicioni aditus tribuatur, leuiſſimi ſane impiique animi eſſet, mulierem optimae famae, quaeque male numquam audiuit, ob dubiam incertamque, imo falſam prorſus, hypotheſin, proaereſinque ineptiſſimam, quaſi foetus alio quam nono decimoue menſe naſci haud poſſit, impudicam meretricem pronunciare, atque infamem ſuſceptae fraudis effraenaeque laſciuiae ac

im-

impudentiae rotam inurere. Quorum vitiorum cum ne ſuſpicionem quidem in Iauolenam conferre liceat; longe, opinor, iniquiſſimum eſt, pleno iure ſummam infamiae culpam in eamdem deuoluere velle. Quis enim, obſecro, iudex, tam iniuſtus et ab omni aequitate adeo remotus eſſet? vt hominem, licet leuiſſimum peſſimeque audientem, ſi nomen eius de furto, homicidio, adulterio, aut alio quouis crimine deferatur, ex ſola ſuſpicione aut hypotheſi quadam condemnaret, antequam rerum documenta adſint certiſſima: cum homines aequiſſimi ſapientiſſimique, in re dubia nec plane exploranda, licet etiam reus boni nominis non ſit, ſemper duxerint ſatius mitiorem ferre ſententiam, atque vindictam occultorum ſupremo illi, quem nemo fallit, iudici, relinquere; quam ſuis mentibus nimii rigoris ſcrupulum iniicere.

XV.

Cauſſae medicae et phyſicae excutiuntur.

Ad cauſſas vero medicas et phyſicas quod attinet, finge, non extare, quae laſciuiae puram Iauolenae mentem fuiſſe declarent; hoc tamen magnum huius rei argumentum ſuggeret, quod eadem, teſte medico peritiſſimo integerrimoque, quem nouimus, tot medicamina aſſumſerit venaeque ſectiones ſuſtinuerit; ab his enim mulieres delicioſae et laſciuae magnopere ſolent abhorrere. Deinde etiam animo reputabimus, Iauolenae temperamentum, (vid. p. 25. N. IV.

N. IV.) Hoc enim eſt eiusmodi, vt moerori ac triſtitiae facile ſe dederit. Huius vero cum tam inſignis ſemet cauſſa obtulerit, inopinatus nimirum mariti obitus, aliaeque res aduerſae, facile factum eſſe exiſtimamus, vt aut parcum nimis, aut illud minus idoneum, nutrimentum, aut infantem deriuaretur. Hinc porro effectum, vt foetus, quem conceperat, quemque ex robuſtiſſimorum genere haud fuiſſe, praeter parentem ſenem et languidum, multa ſuadent, ſolito factus ſit debilior, ac ſenſim aegrotus, nec debitam perfectionem tam cito, atque alii bene valentes, conſequi potuerit. Inde vigor atque conatus ad egrediendum, qui in aliis robuſtis percipitur, defecit, donec poſt aliquod demum menſes, collectis aliquantum viribus, exitum moliri potuerit. Fuiſſe vero illum debilem aut morbo quodam adflictum, exinde colligi poteſt, quod oſſa cranii, teſte medico, laxiſſime tantum, et non, vt in aliis recens natis infantibus, cohaeſerint. De qua re ſupra p. 7. ſq. iam nonnihil dictum eſt. Dein, quum in ſtatu naturali adeo diuerſus ſit partus terminus; (vid. ſup. *p.* 30. *et* 38. *ſq.*) quomodo illud amplius incredibile videri poteſt? quod in ſtatu praeter naturam, ſeu morboſo, aliquot quandoque ad conſuetum ſupremum terminum menſes acceſſerint: cum tam arctus inter motus matris et infantis nexus intercedat, quo non poteſt non, ſi alteruter ingratis nociuisque adficiatur motibus, ſiue affectibus, alter ad perniciem abripi, niſi peculiari quadam habitudine ſuum ſibi vigorem contra has iniurias im-

immunem praeſtet. Plura cuilibet facile licebit ex ſupra dictis huc aduocare, quae breuitatis ſtudio hic non recoquimus.

XVI.

Obiectio. Sed audio plurimos, quibus impoſſibile videtur tam longe protrahi partum poſſe, mihi obiicientes, valde ſuſpectos huiusmodi partus eo reddi, quod ſolum *in viduis, proximo ab obitu viri anno, dein in eiusmodi mulieribus, quorum mariti vltra novem aut decem menſes ab ipſis adfuerunt, occurrant.* Cum hae, ſi aliis permixtae fuerint maribus, adulterii notam fugiant, illae vero, aut laſciviae ſpeciem auerruncandi, aut haereditatem adquirendi ergo ſuſceptam ſubolem, pro legitima velint haberi. Verum huic argumento primum reponere licebit, quod protracti iſtiusmodi partus termini, praeſentibus aut viuentibus maritis, licet ſaepius occurrant, rarius annotari ſoleant. Quis enim, ſuperſtite praeſenteque marito, ſi femina annum geſtauit, aut vltra, lites eam ob cauſſam mouet? quis nomen mulieris hanc ob rem defert? Ad hoc tamen ſtatim, ablatis aut abſentibus maritis, quibuscumque demum de cauſſis, adtenditur. Accedit, quod, ſi id in viduis, ſaepius atque alias, notare liceat, viduae maximam partem illud genus hominum ſunt, quod in ſummo moerore, ob demtum coniugem, vitam tranſigit; ex quo aut graui animi aegritudine corripiuntur,

et ſic, ſi antea melioris ſint temperamenti, ex mutatione eiusdem (vid. ſupr. p. 34. fin. et 35. initium) ad tardius nutriendum foetum plane disponuntur, (vid. quae N. IV. p. 32. diximus) aut prorſus in morbum coniectae, (quod quam ſaepiſſime fit) morboſum infantem, vel qui poſtmodum tardius prodeat, perficiunt. Quod etiam aliquo modo in partes mulierum, quarum mariti peregre profecti ſunt, valere, aequi rerum aeſtimatores facile perſpiciunt. Neque prorſus deſtituimur exemplis ſeu hiſtoriis eiusmodi, *quae, nec profectis, nec fato functis, maritis, protracto admodum partus tempore infantes in lucem productos* fuiſſe, notant. Vt enim ſint, qui, licet eadem ſaepe obſeruarint, tamen ex proaereſi ſemel apud animum concepta, ſemper innumeras ſibi cruces figunt: (qualem ſe FR. MAVRICEAV ſaepe praebuit, quod ex multis eius Obſeruationibus, in indice ſub titulo *Accouchemens au de là du terme de neuf mois* reperiundis, abunde patet; ſed vt ſupra iam p. 50. vidimus, hominem hypotheſi addictum, qua omnes ante nonum menſem editos foetus pro non naturalibus habet, quam ob rem merito etiam a DE LA MOTTIO vapulauit; ita et in nouem menſibus tardius editis omnis generis argumentis anxie quaerit, quibus ſuae hypotheſi poſſit aliquod fulcrum adiungere) ſic generatim haec confutari queunt ex iis, quae ſupra *p.* 49. ex DE LA MOTTII experientia retulimus. Conferri quoque velim eius obſeruationes LXXV, LXXVI, ad quas merito legi-

gitur adiunctum ab auctore illo *Scholion* ſeu *Reflection* Adde quoque obſeruationem LXXIX. et alias. Quae porro ab iis confirmantur, quae experientiſſimus Praeſes, ſe multoties, aliique viri clariſſimi, notaſſe, omni fide retulerunt, mulieres, marito praeſente, atque certiſſimis grauiditatis notis ſemet prodentibus, XI. XII. XIII. et plures interdum menſes vtero geſſiſſe, cauſſis tam diuturnae grauiditatis interdum nullis, interdum multis, ſemet prodentibus. Inſtant vero vrgentque, *mulieres tales, quae vltra nonum decimumue menſem geſtarunt errorem in calculo commiſiſſe*, et, cum ſerius re vera impraegnatae eſſent, citius ſemet grauidas redditas credidiſſe. Non negamus hoc contingere interdum poſſe; (vid. ſupra p. 65. ſq.) ſed id ſemper fieri nullus vmquam medicorum aut legum peritorum planum fecerit, ſi praeſertim id contingat, vt ſaepe contingit, in mulieribus, quarum nihil intereſt, num tribus menſibus citius an tardius pariant. Et ſane non poteſt, niſi praecipitato nimis iudicio, huiusmodi Medicorum ICtorumque hypotheſis, ſemper praeferri ſenſui, feminarum ſapientum, ac illarum, quae longo vſu adcurate de ſua grauiditate cognoſcere didicerunt, cum, qui contra illas diſputant, mares, ſolum ex hypotheſi ſenſuum veritatem conuellere conentur. Neque nonnullarum error in omnes partes valebit; cum motus infantis rectiſſime, ſolito circiter tempore, (quemadmodum Iauolena quoque noſtra) perceperint. Quum praeterea (quod ſupra iam

Alia obiectio.

p. 54.

p. 34. exemplis docuimus) in animalibus aeque ac vegetabilibus, longe inſigniora partuum interualla animaduertere liceat, cum tamen vtriusque, ac praeſertim plantarum, incrementa, animi adfectibus nullis turbentur: quae magni eſſe ad hanc rem momenti ſupra expoſuimus: facile patet, nimis inconſiderate illos agere, qui ex ſola proaereſi, rationibus et experientia maximopere reclamitantibus, varietatem in partus terminis admittere dubitant, et hac ratione, licet huiusmodi in feminis honeſtiſſimus euenerint, ſatius ducant ſuae inhaerere hypotheſi, quam easdem impudentiae laſciuiaeque notis liberare.

XVII.

Magna in huiusmodi iudiciis cautione opus eſſe.

Nolumus autem ea, quae hactenus in fauorem Iauolenae aliarumque optimae fidei feminarum protulimus, generatim ad mulierum impudicitia clararum defenſionem atque ſine adiunctorum curata penſitatione adhiberi. Illud ſolum nobis propoſitum eſt, vt honeſtis, caſtis, pudicisque, ſi quando iſtiusmodi caſus euenerint, aliquod patrocinium pariant, ne illae irreparabili honoris ſeu famae damno adficiantur, bonis ſuis priuentur, aut alio quouis modo iniuſte puniantur. Cum februis luſtralibus vix expiandum crimen, quotquot aequitati ſtudent, cenſere debeant, mulierem virtutis amantem innocentemque, haud ſecus ac ſceleratam adulteramque, poenis adficiendam cenſere. vid. *L.* 10. §. 5.

§. 9. ff. de Quaeſt. *L.* 5. pr. et §. 6. *L.* 3. §. 12. ff. de re milit. Plura pro Iauolena ex Reſponſo Ordinis Medici peti poſſunt, quae breuitatis ergo hic non repetimus.

XVIII.

Apodoſis diſſertationis.

Atque haec ſunt quae data occaſione de termini humani partus indole in medium proferre fuit viſum. Rem pro ingenii modulo explicauimus atque experientiae facultate; cuius vtriusque conditio penes illos, quibus arte benigna et meliore luto finxit praecordia Titan, facile nos excuſabit. Tametſi enim eruditio non plane ipſorum votis reſpondeat; non poterunt tamen noſtrum pro veritate eruenda ſtudium aſpernari: cum ſatis habeamus, ſi nobis perſpicacioribus, materiem ſuppeditauerimus, in qua pro eruditionis ſuae vbertate et ingenii felicitate elaborent. Fatemur lubentes, multa eſſe, quae niſi plane ſingularibus ad hanc rem inſtitutis experimentis eruantur, dubiorum atque ignorantiae nox denſa vſque caligine obfuſcabit. Hoc tamen ignorare non poſſumus, multa ex incertiſſimis ac plane obſcuris cauſſis, nulla habita experientiae ratione, pro certis atque indubitatis habita eſſe veritatibus; quae, conſideratis iis, quae capite praeſertim huius diſſertationis ſecundo propoſuimus, cerae in morem liqueſcent atque diffluent. Tuum eſto de ſingulis, lector can-

dide, iudicium, et ſi qua nos in re allucinatos deprehendes, ac ſufficientibus rationibus euiceris, nos amice monitos, vt ad quaeuis officiorum genera, ita ad rectiorem tramitem eligendum, promtiſſimos ſemper te habiturum eſſe, ſancte promittimus ac ſpondemus.

PRAE-

PRAESIDIS LAVRENTII HEISTERI

Mantiſſa

Ad diſſertationem nuperam de partu Tredecimeſtri.

Lectori Candido S. P. D.

IO. GERARDVS WAGNER.

Quamquam illa argumenta, quae pro vindicando infante tredecimeſtri haud ita pridem peculiari diſſertatione a nobis fuere propoſita, eius ſunt generis, vt nulli dubitare queamus, fore, vt ea ſatis valida a plerisque, rite cauſſam penſitantibus, cenſeantur; tamen nos nihil haud acturos ſumus arbitrati, ſi te mantiſſa hac, de veritate huius ſententiae plenius conuicerimus, Lector beneuole. Tanta enim vis eſt ſaepe proaereſium ac ſententiarum, licet veritati prorſus aduerſantium, vt cum ſucceſſu temporis altiores ſemper radices in hominum animis egiſſe videantur, et non niſi difficillime eradicari queant. Vltra vndecimum menſem pari haud poſſe, adeo verum et in medicorum

ac legum peritorum ſcholis olim eſt iudicatum, vt non ſatis doctus, qui contra dicere auderet, haberetur. Et licet eſſent interdum cordati ſapientesque viri, qui veritatis cauſſam agere ſtrenue ſuſciderent; tamen haud ſecus atque illi, qui ignotos deos Athenis inferebant, nullo fere aſſenſu digni ſunt exiſtimati. Quo magis eſt, quod ad me liberaliter miſſam venerandi Praeceptoris mei LAVRENTII HEISTERI a ſe in chartam coniectam huius infantis tredecimeſtris vberiorem defenſionem, exoſculer, ac tantam veritatis lucem publico haud inuideam. Eſt enim illa ex tota cauſſa penitius explorata, argumentisque ſolidiſſimis, conflata, eiusque generis, vt ſtupidus ſit, qui ea omnem rem plane confectam eſſe non intelligat. En tibi vero illam ex autographo viri *ιατρικωτατȣ.* "

II.

Heiſteri ad diſſertationem Mantiſſa.

„ Poſtquam de partu Tredecimeſtri diſſertatio typis iam exſcripta eſſet, ego, Praeſes, ad aegrum quamdam Wolffenbuttelam, vbi partus ille olim contigerat, vocabar: cumque ibi eſſem virum, cui mulier illa, quae decimo tertio poſt mortem mariti menſe foetum ediderat, ſecundis votis nupta erat, adibam, vt rerum harum ſtatum adhuc intimius, pluraque, quam antea noueram, de partu illo cognoſcerem, eoque mihi ipſi, aliisque, vberius ſatis facere poſſem. Prior huius mulieris maritus erat GODOFR. FREITAGIVS, bibliopola quon-

quondam Wolffenbuttelenſis, inter eruditos his in terris et bibliopolas ſatis notus; alter vero IO. CHRISTOPH. MEISNERVS, nunc quoque bibliopola Wolffenbuttelenſis, atque ob inſtructiſſimam officinam librariam et eruditis et bibliopolis haud incognitus. Hic FREITAGII in officina libraria miniſter ſiue famulus quondam erat, vir iuuenis boni nominis et honeſtus, atque poſt mortem huius, in aedibus defuncti, viduae nomine, bibliopolium continuabat, teſtisque oculatus eſt omnium, quae interea temporis in aedibus hiſce contigerunt. Hunc adivi, et, ne mox, quid vellem, intelligeret, et forte tergiuerſaretur, ſermonem de libris nouis, quos nuper ex vltimis nundinis Lipſienſibus, aliisue peregrinis regionibus accepiſſet, primum inſtitui. Tandem quaeſivi, an infans ille, decimo tertio,poſt mortem anteceſſoris ſui FREITAGII, menſe editus, adhuc in viuis eſſet, et quomodo ſe haberet? Hic mox infantem hunc, qui puella eſt, et iam annum ſeptimum agit, arceſſi curauit, mihique eam et viuere et valere monſtrauit. Ego, an reuera huius puellae pater eſſet defunctus FREITAGIVS? ſubridens, et quaſi dubitans, rogabam. Hic nihil hac re certius eſſe per Deum et omnia ſacra mox affirmabat, addendo, ſe ſemper poſt obitum FREITAGII in aedibus et officina hac, vbi colloquebamur, libraria, verſatum eſſe, viduam mulierem fuiſſe piam, caſtam, honeſtam ac ſimul triſtiſſimam, nullumque prorſus interea commercium cum viro quocunque habuiſſe; ac neminem neque virum neque iuvenem, quamdiu vidua erat,

(ſi Medicum, quando aegrotaret, excipiat,) eam acceſſiſſe; ſed matrem ſolum ipſius, nonnullasque amicas ei continuo adſtitiſſe, ſeque omnes, qui eam adire voluiſſent, videre et obſeruare potuiſſe. Quicunque enim eam adire voluiſſent, illis per officinam librariam neceſſario tranſeundum fuiſſet: ſe vero ſancte iurare poſſe, neminem, niſi dictas mulieres, et Medicum, quando male ſe haberet, ad eam veniſſe. Et licet forte quidam ſint, qui ſiniſtre de ſe ipſo, quaſi mortuo marito cum vidua hac incaſte vixiſſet, indicaſſent, aut ſaltem ſuſpicati eſſent; ſe vero Deum immortalem atque omniſcium, teſtem invocare, quod hoc falſum atque confictum ſit: et quod tunc temporis huius viduae caſtitatem ſartam, tectam et illibatam reliquerit; puellam hanc, quam viderem, revera non ſuam eſſe; ſed ad FREITAGIVM defunctum, cuius etiam haeres aliquando futura ſit, pertinere, a quo et aedes et bibliopolium provenirent. Vt vero hoc et ego et alii tanto certius credere poſſemus, plura narravit, quae perſuadebant: ex quibus primum erat, quod affines FREITAGII, malevolorum inſtinctu, litem quidem puerperae huic tredecimeſtri intenderent, eamque etiam ad Principem deferrent. Verum re penitius perpenſa, vitae ſemper bene caſtiſſimeque anteactae, rerumque, quae durante ipſius grauidate acciderant, probe conſcii atque memores, a lite et haereditate ſatis larga, quam alias obtinere potuiſſent, ſponte rurſus abſtinebant: quod profecto homines hoc tempore, vbi vel minimum rei a vidua male actae indicium, vel aliquod,

etiam-

etiamſi leviſſimum adgrediendi haereditatem fundamentum perſpiciunt, vix ac ne vix quidem negligere ſolent. "

III.

Argumentum alterum quod ſecundum eadem mulier infantem tredecimeſtrem ediderit.

„ Deinde argumentum adhuc fortius pro veritate partus tredecimeſtris militans, mihi narrauit; quod qui credere nollent, omnem ſanam rationem exuiſſe videantur. Nimirum poſtquam hic MEISNERVS viduam illam tandem in matrimonium duxiſſet, atque ſpraegnans reddita eſſet, iterum circa medium geſtationis tempus, menſe nimirum quinto calculi ſui, qui Februarius erat, et ipſa et maritus alui incrementum motumque foetus in vtero cognoverunt: cumque ex illo conſueto praegnantium calculo, menſe Junio, circa feſtum pentecoſtes illius ſanni, parere debuiſſet, omniaque ab ipſa et matre, quae continuo cum ipſa fuit, ad partum parata eſſent, eumque in dies exſpectarent; tamen ab eo tempore et ipſa et venter in eodem ſtatu, ſine vlteriori incremento, perſeuerabant, et partus, omnium, quibus haec non ignota erant, et inprimis affinium ac vicinorum admiratione, Octobri demum menſe contingebat. "

IIII.

Tertium argumentum, quod tertium XIII menſe eadem peperit. „Verum ne hoc adhuc ſufficit. Nam cum altera vice in hoc matrimonio grauida redderetur, circa paſchatos tempus, ſecundum calculum ordinarium ipſi fuiſſet pariendum; at in Auguſti menſis principio foetum demum edebat. Vnde patet mulierem hanc menſe decimo tertio non ſolum ter peperiſſe, verum ſaepius ſine dubio tales partus in matrimonio contingere; qui vero, quia nullius intereſt, nec litis cauſſam praebent, negliguntur. (Illuſtra hinc §. XVI. diſſertationis de partu Tredecimeſtri, p. 60.) Tertium cum in matrimonio hoc impraegnaretur, et ad quintum grauiditatis menſem perueniret; vt valetudinaria, et nephriticis cumprimis ſymtomatibus ſubinde obnoxia eſſet, ita ſimilibus, iisque vehementiſſimis doloribus tunc correpta, ingentem ſanguinis corrupti, putridi ac foetidi copiam per vaginam excreuit, abortum tandem paſſa, paullo poſt animam expirauit. Quae omnia ſane euincunt, mulierem hanc non ſemel, ſed aliquoties, tam diuturnam grauiditatem paſſam eſſe; eamque vel ob valetudinarium ipſius vitae ſtatum, vel ob vteri peculiariem quandam, ac prauam conſtitutionem: quibus denique effectum eſſe videtur, vt tandem hanc ob cauſſam, vna cum foetu, vitam amiſerit." a)

V. Ne

a) Simile exemplum refert *Ammannus* Medic. Critica Caſ. 7. in diſc. Itemque Axtius lib. de partu ſeptimeſtri p. 64.

V.

Quartum argumentum a medici grauis teſtimonio.

„Ne vero MEISNERO ſoli crederem, viro ceteroquin honeſto, et cui ex mendaciis hac in cauſſa nullum iam amplius lucrum ſperandum; Medicum defunctae, virum, eruditione, candore, vſu medico, aliisque multis nominibus illuſtrem, D. IO. HENR. BVRCKHARDVM, ſereniſſimi Brunſuicenſium ac Luneburgenſium ducis, AVGVSTI WILHELMI, conſiliarium et archiatrum digniſſimum, qui, vt ſciunt qui ipſum norunt, nihil minus amat, quam mentiri, aut turpiter mulieribus aſſentari; ſed qui, vt loquuntur, nudam ſemper veritatem amat, quique etiam ſimul tam prudens, cautus atque circumſpectus eſt, vt non facile a mulierculis eiusmodi in rebus imponi ſibi patiatur: hunc, inquam, virum praeſtantiſſimum, tanquam teſtem oculatum, fideque, ſi usquam alius, digniſſimum, adii, et num vera ea ſint, quae bibliopola MEISNERVS, cum de diuturna grauiditate, tum de ſymptomatibus et morte vxoris mihi narraverat, ipſum particulatim interrogaui. Hic igitur pro conſueto candore ſuo, omnia haec vera eſſe aſſeuerauit, nihilque fictum aut falſum hac in re ipſum mihi retuliſſe ſerio pronuntiauit; ſe, una cum matre defunctae, aliisque honeſtiſſimis ac prudentibus mulieribus, quae ipſi durantibus hiſce grauiditatibus ſaepius ac fere perpetuo adſtiterunt, rem, prout acta eſt, vidiſſe: quae etiam omnia examinarunt manibusque

que palparunt ac tetigerunt, quaeque a muliere, vt defuncta erat, candida quidem et honeſta, ſed neque aſtuta neque callida, omnes ſe tam turpiter, tam ſaepe ac tamdiu falli ſane non permiſiſſent; adeoque clariſſimus Archiater vnicuique, qui id deſiderat, adhuc vberius de rei huius veritate teſtari promtus eſt atque paratus, ne vlli forte adhuc vllus dubitationis locus relinquatur. Ipſe etiam MEISNERVS vltro mihi conceſſit, vt nomina huic hiſtoriae (quod quia multis ingratum eſt, in ipſa diſſertatione omittenda curaui) adderem, quo obſeruationibus hiſce raris, at notatu digniſſimis, tanto maius pondus conciliaretur; dum increduli ipſos rei geſtae oculatos hos teſtes hoc modo interrogare, atque de omnibus circumſtantiis ac dubiis tanto ſe certiores reddere queant.

VI.

Non ſolos Medicos Helmſtadienſes huiusmodi protractos partus pro legitimis habere.

Denique, ne forte exiſtimetur, Helmſtadienſe noſtrum collegium medicum ſolum eſſe, quod partum huiusmodi legitimum pronuntiauerit, aut pronuntiaret, (vt Boruſſicus quidam ICtus et conſiliarius aulicus Berolini nuper mihi obiecerat,) diſſertatione hac iam impreſſa, ad manus meas peruenit FRID. HOFFMANNI, Profeſſoris Hallenſis celeberrimi, fautoris atque amici mei honoratiſſimi, pars conſultationum et reſponſorum ſexta: in qua ipſe, collegii MEDICI

HAL-

HALLENSIS nomine, partum duodecimeſtrem, ob graues cauſſas certasque res circumſtantes, pro legitimo agnouit ac declarauit. Neque hoc ſolo cauſſae meae patrocinium quaero; cum in VALENTINI cel. Pandectis Medico-legalibus Part. I, ſect. I, Caſu 36, (qui ex AMMANNO deſumtus) LIPSIENSIS : Caſu 37, GIESSENSIS MEDICORVM ORDO, duodecimeſtres pro legitimis pronunciarint. Habet idem auctor Nouellarum medico-legalium Caſu III, reſponſum ICTORVM INGOLSTADIENSIVM quo puerpera quaedam nobilis, cum qua maritus per integrum annum cum octiduo rem non habuerat eo adulterii abſoluitur, quod nullus, neque vicinus nec domeſticus, qui illam obſeruarant, quidquam in ea perſpexerint, quod honeſta indignum eſſet coniuge, quódque hi omnes iureiurando id vellent adfirmare. Sic ZITTMANNVS in medicina forenſi *p.* 452, aliud exemplum duodecimeſtris partus a LIPSIENSIBVS MEDICIS pro legitimo habiti, protulit. Memorabili autem imprimis eſt quod ex GOTHOFREDO ad *Nouel.* 39 habet cel. WILDVOGELIVS, diſſ. de partu legitimo, Ienae 1710. habita §. XV, iudicium; quo de partu XIV menſium ACADEMIA, quae LVTETIIS PARISIORVM floret, honeſtiſſime iudicauit, quod 1) a morte mariti ſemper apud haeredes mariti defuncti vixiſſet vidua, (2) perpetuo diligenter ab eis aſſeruata, nunquam a latere diſcedens earum vxorum; (3) quod haeredes defuncti nihil eius honori ac pudicitiae obiicere potuiſſent. Qui caſus, quoniam omnibus circumſtantiis tam ac-

curate

curate ponderatis eſt deciſus, non dubitandum, dari quandoque tales diuturnas grauiditates, atque propterea laudatus WILDVOGELIVS iure meritoque affirmat; extendendum aliquando eſſe ordinarium terminum, vbi aequitas ex circumſtantiis colligenda, exceptionem a regula faciendam ſuaſerit. Ita et ſummus Germaniae quondam ICtus STRYCKIVS lib. de ſucceſ. ab inteſtat. Diſſ. I. cap. 2. §. 17, monet, in partu ſeriori diiudicando viduae qualitatem non eſſe negligendam, an ſcilicet bonae famae ſit, et honeſte vixerit, ac nulla in eam ſiniſtrae conuerſationis ſuſpicio cadat: ita enim ob easdem cauſſas, partum duodecimeſtrem legitimum pronunciatum fuiſſe affirmat, atque in teſtimonium adducit ICtos celeberrimos. BEVST. de Matrim. Part. I. c. 36. IOH. a SANDE deciſ. Friſ. lib. 4. tit. 8. def. 10. MYNSING. lib. 6. obſerv. 6. num. 12. idem pronunciantes. Recte tamen ſimul monet, caute his in caſibus eſſe procedendum, ne malitiae aperiatur feneſtra. Ex quibus videre eſt etiam alios ICtos et medicos, praeter Medicos Helmſtadienſes, agnoſcere et ſtatuere, eſſe ſubinde cauſſas, ob quas aliquando partus ſolito diuturniores ac tardiores, vt duodecimeſtres vel tredecimeſtres, pro legitimis iure recteque haberi poſſunt.

VII.

Iunguntur huic Praeſi-

Haec ſunt experientiſſimi Praeſidis mei induſtria ad veritatis lucem

adiuncta

dis mantiſſae obſeruationes nonnullae diſſertationem illuſtrantes.

adiuncta ſunt: quibus quid maius addi poſſit, equidem non perſpicio. Proinde ſolum ad veritates eas, quas ſecundo tertioque diſſertationis noſtrae capite propoſuimus, vlterius illuſtrandas quoniam per ſpatium adhuc aliquid addere licet, quae interea temporis a nobis lecta ſunt, huc adſcribimus. Ac primo quidem ad verba DE LA MOTTII, *p.* 39. diſſertationis noſtrae propoſita, illuſtranda, proferimus memorabilem admodum hiſtoriam, quam obſeruatione 79 propoſuit homo his in rebus exercitatiſſimus. Narrabimus eam ipſius auctoris verbis. Madame la Marquiſe N. paſſachez Mad. ſa Couſine, qui etoit groſſe, et ſi bien a terme, qu'ayant cru accoucher la nuit precedente. Elle envoya querir ſa ſage femme, qui ne bougea plus d'aupres d' elle. Mad. la Marquiſe tomba malade chez cette parente, ou elle fût ſix ſemaines, apres lequel tems, ayant en partie recouvré ſa ſanté, elle partit de chez ſa parente, qu'elle laiſſa groſſe, comme elle l'avoit trouvé, et qui n'accoucha qu'au commencement de Fevrier d'un garcon beaucoup plus gros, que ceux dont elle etoit accouché auparavant au terme ordinaire. Cette Dame pretend ne s'étre pas trompée, et auoir eté groſſe TREIZE MOIS ENTIERS. Elle avoit ſouffert tous les accidens, que lui cauſoient ſes precedentes groſſeſſes, comptant d'accoucher a la fin de ſeptembre, quoique elle ne ſoit accouchée qu'au commencement de l'année ſuivante. In qua ſane hiſtoria

ſtoria, quae primae noſtrae valde ſimilis, nihil eſt, quod fidem eius vacillantem poſſit dubiamque reddere. Fuit enim femina, quae aliquoties iam pepererat, nec proinde falſis ſignis facile circumiri poterat; fuit nulla cauſſa nullaue neceſſitate adacta, vt tredecim menſes ſe geſtaſſe profiteretur. Fuit praeterea menſe ſeptembri iam eadem, (ut Iauolena noſtra,) qua pariens poſtmodum, tumoris vterini magnitudine. Quantum autem, vel hac hiſtoria, lucis, protractis partubus adferatur, prudens quilibet facile iudicabit. Adde, ſi placet, eumdem auctorem, Cap. 28 lib. I, ſimili quodam rem pulcre illuſtrantem: dum, comme il arrive, ait, aux fruits, qui ſont aux arbres; car n'en voit on pas qui ont atteint leur parfaite maturité avant de tems ordinaire, et qu'il en reſte quelques uns au meme arbre long tems apres que les autres ont eté cuillis, parce que les derniers fruits n' ont pas ſi-tôt atteint leur parfaite maturité. Iunge his ſcholion eiusdem auctoris ad Obſeruationes 75 et 76, de mulieribus quae infantes ſuos ad integri anni terminum geſtarunt, quarum in diſſertatione iam aliqualem a nobis mentionem factam putamus. Quae cum pro partubus protractis magnopere faciant; nunc etiam admodum memorabilibus eiusdem Auctoris hiſtoriis, ſaepe dicto libro prolatis, maturatorum, ex vulgari proaereſi, nimis partuum cauſſam agemus.

VIII.

VIII.

Obſervationes quatuor ſeptimeſtrium duarum matrum robuſtiſſimorum.

Harum vero hiſtoriarum prior continetur ſaepe dicti DE LA MOTTII libri Obſeruatione 77, et eſt huiusmodi, Femina quaedam ſeptimo matrimonii menſe feliciter puerperium ſubiit, filium enixa nutrimentum rectiſſime capientem. Adfligebatur morbo, ſed ex eo haud ita multo poſt conualeſcens, nullum formae decrementum ſentiebat. Maritus, etſi mala, tam accellerati partus cauſſa, iniviſſet conſilia; tamen oblitus facti, rem denuo cum illa habuit; ex quo ſtatim impraegnata, ſecundum ſeptimeſtrem in magnum vtriusque ſolatium, edidit, qui poſtmodum vterque cuſtodiam corporis Ducis Orleanenſis tenuerunt. Fidem autem huic hiſtoriae vlterius facit, quod filiae huius feminae itidem ſeptimeſtres pepererunt. Obſeruatio 78. ſequentem continet hiſtoriam, quam breuiſſime ipſius auctoris verbis reddemus. Vne Dame accoucha a ſept mois, juſte du jour qu'elle avoit eté mariée, quoique Mr. ſon mari l'eut epouſée a la ſortie du Couvent. Le mari ayant caché ſon reſſentiment, ne laiſſa pas de l'approcher auſſi tot qu' elle fut relevée de ſes couches. Elle devint auſſitot groſſe, et accoucha une ſeconde fois a ſept mois. Ces deux enfants, nés a ſept mois, ſe ſont ſi bien elevez, qu' un a eté tué a Ramilly, et l'autre a la bataille de Malplaquet.

IX.

Obſeruatio de liquore ſemen virile referente, in vtero reperto.

Ceterum, quoniam ſpatium adhuc aliquid adiungere permittit, ad N. VI, p. 15 diſſertationis noſtrae, addimus obſeruationem, ex nupera quadam cadaueris feminini anatome publica, menſe Octobri in hac academia a venerando Praeſide meo habita, hauſtam. Erat haec puella ob crebra furta capite truncata. Cum ad vterum ventum eſſet, eo diſſecto in conſpectum prodiit magna mucoſi liquoris copia, ſemen virile plane aequans, quoque totus vterus repletus erat. Hoc autem virile ſemen haud fuiſſe, primo ingens eius copia perſuadebat; dein, quod vltimis, antequam neci danda erat, diebus dumque cuſtodia arctiſſime teneretur, et ad mortem ſe praepararet, illam marem admiſiſſe vero ſimile haud eſt, et denique quod nulla ceteroquin perpetratarum compreſſionum ſigna adeſſent. Didicimus autem eo, qui falli potuerint viri alioquin his in rebus exercitatiſſimi, mucoſam hanc materiam, in vtero mulierum in coitu, vel mox poſt coitum, occiſarum, pro ſemine virili, mole ſua ad futuri foetus molem concurrente, habentes, et varias inde hypotheſes aut formantes, aut fulcientes. Ceterum, vt valeas, Lector, opto, mihique fauere pergas, oro. Dab. in acad. Iulia, VI. cal. Decembris cIↃIↃccxxvII.

CO-

COROLLARII

loco in altera huius diſſertationis editione hic ſolum monebo, Virum quondam Celeberrimum NEBELIVM, Profeſſorem olim Heidelbergenſem, et Archiatrum Sereniſſ. Electoris Palatini, diſſertationem quoque edidiſſe *de partu tredecimeſtri* legitimo. Heidelb. 1731. in qua ſimilem fere caſum recenſet et in omnibus mecum conſentit. Sic ut veritas meae ſententiae a viro illo doctiſſimo nouo adhuc exemplo confirmetur.

IX.

RUD. AUGUSTIN. VOGEL.

diſſ. de partu ſerotino valde dubio.

Goettingae, 1767. reſp. et auct.

IOAN. CHRISTOPH. HARRER.

§. 1.

Quandoquidem quaeſtio de retardato partu eiusque tam poſſibilitate, quam impoſſibilitate, aetate noſtra maiore ſtudio quam unquam antehac agitari coepit; neque vero ex omni parte ea reſoluta mihi adhuc videtur; operam me non perditurum prorſus eſſe exiſtimaui, ſi commoda nunc data occaſione et ſuaſore Ill. PRAESIDE meo. Praeceptore nunquam ſatis venerando, quae tam ex ipſius ore hauſi, quam inter meditationes concepi dubia contra hunc partum argumentaque ab ipſius defenſoribus prolata, vberius diſputarem.

§. 2.

Tempus fixum an foetui a natura conceſſum ſit in vtero, ambigunt maximam partem inter ſe aucto-

auctores; et diuiſa eſt ſupra hanc rem eorum ſententia. Quidam videlicet animalibus cunctis, hinc etiam homini tempus definitum, quo alatur intra uterum, et deinceps naſcatur concedunt. Ab HIPPOCRATE *a*) notatum eſt, partum, vt longiſſime, decimo menſe contingere; nec minus brutis ac feris intra determinatum tempus a natura partum ingruere: et alibi *b*): nouem menſium et decem dierum foetum edi et vitalem eſſe, numerumque ad hebdomades exacte reſpondentem habere *c*). Alii contra animalibus brutis certum tantummodo pariendi terminum concedentes, homini illum denegant; quorum ex numero praeprimis recenſeri meretur ARISTOTELES *d*) cuius mentem hiſce verbis explicitam legimus: *vnum pariendi tempus ſtatutum omnibus eſt animalibus: homini vni multiplex datum eſt.* Et alibi: *Ceteris animalibus vnum eſt tempus, homini vero plura*

ſunt

a) Libr. de natur. pueri.

b) Libr. de carnibus verſ. finem.

c) Egregie in haec loca commentati ſunt RODERICVS A CASTRO de vniuerſ. mulier. med. Part. I. Libr. IV. & Io. PEYSSONEL tract. de temp. human. part. c. 4. p. 50. 51. demonſtrantes, in priori loco ſecundum menſes lunares, in altero ſecundum ſolares HIPPOCRATEM computaſſe, idque inito iuſto calculo vnum idemque eſſe.

d) Hiſt. animal. l. 7. c. 4.

ſunt e) Eandem ſententiam tuetur PLINIVS *f)*. *Ceteris*, inquiens, *animantibus ſtatum pariendi et partus gerendi tempus eſt, homo toto anno et incerto gignitur ſpatio.* Hos duces ac magiſtros multi poſthac ſequuti non modo, ſed et pluribus argumentis has ipſas opiniones defendere ſuſceperunt *g)*. Atque inter hos ex recentioribus Cl. LE BAS et PETITVM allegaſſe hic ſaltem ſufficiat. Viro Cl. LE BAS *h)* vteri fabrica tam diuerſimode affecta videtur, vt non poſſit non pariendi tempus inde permutari: *Déterminera-t-on auſſi certainement le terme préfix de la geſtation dans une matrice ſolide et active, que dans une, qui ſera foible, delicate, indolente?* Aliud dubium contra fixum pariendi tempus Cl. PETITVS *i)* mouet et exiſtimat, a brutis ad hominem colligi non licere, cum quae partum brutorum praecedunt, neceſſario quoque alias ante partum foeminarum fieri debeant: *Il eſt clair que ſi l'on prétend, que le terme de la groſſeſſe eſt fixé chez les fem-*

e) de generat. libr. 4. c. 4.

f) Hiſt. natural. l. 7. c. 4.

g) Plures veterum ſententias qui ſcire cupit, adeat SCHVRGII embryol. Sect. IV. c. 2. §. 9. et ALBERTI diſſ. de partu ſerotino. Hal. 1729.

h) Queſtion import: Peut-on déterminer un terme préfix pour l'accouchement. Paris 1764. p. 27.

i) Recueil des piéces concernant les naiſſances tardives Part. I. obſeruat. p. 160.

femmes, par ce qu'il eſt chez les animaux, j'ai droit de prétendre auſſi, que les femmes ne doivent point ſouffrir d' évacuations menſtruelles; qu' elles ne doivent avoir qu' un tems dens l' anée pour dévenir mères et qu' étant une fois groſſes, elles doivent répugner à recevoir les careſſes de leur mari, et les écarter; puis qu' il eſt conſtant que les femelles des animaux ne ſont point reglées; qu' elles n'ont dans dans l' année qu' une ſaiſon marquée pour concevoir, et, que l' ayant fait, elles ne ſupportent plus les approches des males. Quod autem ad certum, quo bruta coire ſolent, anni tempus attinet, non omnibus vnum a natura conceſſum deprehendimus, ſed pro ſingulis generibus id differre, quid? quod non omnibus eiusdem generis ſpeciebus vnum idemque competere obſeruamus. Vt taceam animalia nonnulla, ad coitum omni tempore exercendum prona. Sic enim annotauit Cel. BVFFON *k*) ſeptem poſt partum diebus aſinam iterum oeſtro venereo turgentem marem ad coitum inuitare, ita ut perpetuo vtero gerat, foetum edat, prolemque alat. Eodem pariter auctore *l*) conſtat, *equam* vtero ferentem marem admittere, et *vaccas* *m*) ſueto tempore mox citius, mox tardius aeſtu venereo ſtimulari. Ex quibus efficitur, conceptum illud fixum brutorum tempus coeundi vniuerſaliter ve-

 rum

k) Allgemeine Hiſt. der Natur. Vol. II. p. 201.

l) l. c. p. 106.

m) l. c. p. 130.

rum non eſſe. Neque ideo profecto, quod menſtruo fluxu deſtituuntur, fixum, quo prolem in lucem edant, tempus illis competit. Nec in hominibus quocunque tempore coitum exercendi facultatem ſolis catameniis tribuendam eſſe, numeroſi ſatis conceptus foecundi teſtantur, quamuis foeminae lunare, quod vocant, tributum neque virginitate, neque matrimonio vnquam ſoluerint *n)*. *Et matura virgo,* inquit Perill. VAN SWIETEN *o)*. *Veneris appetitum ſentit non tantum dum menſtrua inſtant, ſed et poſtquam fluxerunt; dum ceſſant, laſciuientes toties videmus iam effoetas mulieres, quae menſtruis ſane carent.* Nouitque ille plures rite menſtruantes, quae in venerem ſegnes maritorum euitabant complexus moroſae. Ceteroquin quorumlibet fere brutorum ſingularis eſt oeconomia in rebus venereis; et quemadmodum ab vno horum genere ad alterum non poteſt concluſio fieri, aut vniuerſalis quaedam regula conſtitui; ita eo minus a ſingulis ad hominum ſtatum applicatio fieri debet. Illud vnum commune in brutis deprehendimus, quod, quantumcunque ipſorum coeundi ratio et geſtationis tempus differat, ſingulis tamen pariendi quoddam tempus fixum a natura praeſcriptum ſit, quod nunquam ſuperent. Quid ergo

ſi

n) Permulta exempla collegit perill. DE HALLER praeleſt. in Boerh. Tom. V. Part. 2. p. 96.

o) Comment. in aphor. Boerh. Tom. IV. §. 1284. p. 407.

ſi in hoc vno homines cum brutis conueniant? et num neceſſe eſt, vt, cum in pluribus differant, in vno conuenire non poſſint? Atque vt paucis ſententiam noſtram ſuper Cl. PETITI argumento exponamus, non magis illud rationi conſentaneum videtur, quam ſi quis dicat, ficum arborem nullum fructum producere poſſe, quia nullos flores in modum mille aliarum ſtirpium edat, vtpote qui fructificationem praecedere, eamque ipſam perficere debeant. Sunt mulieres noſtrae in multis aliis rebus ad foetum ſuum ſpectantibus a foeminis brutorum ſeiunctae, velut cum vnam prolem lactent, alteram iterum concipiant, beneque in ventre alant. Vnde denuo manifeſtum ſit, non placuiſſe Creatori, iisdem legibus in generationis opere animalia atque homines adſtringere, niſi in hoc uno, vt fixum partus terminum obſeruent.

§. 3.

Eſſe autem ſuum cuique animali certum atque naturali lege ſancitum tempus, quo foetum in vtero contineant, eorum ipſa exempla commonſtrant; quorum vulgatiſſima tantum in medium proferre ſufficiat. Repetitis itaque naturae ſcrutatorum obſeruationibus *p*) edocemur, canem nouem hebdomadibus, vulpem et lupam quinque menſibus, grauiditatem abſoluere; felem viginti quinque diebus, vrſam ſedecim ſeptimanis foetum excludere,

p) Fontes collegit Perill. HALLERVS Elem. phyſ. Tom. VIII. p. 427.

et per quinque menſes ſcrofam vtero gerere; porro leporem et cuniculum triginta dierum interuallo ex vtero prodire; ceruam menſibus octo, rangiferum nono et capreolum quinque cum dimidio ventrem ferre; capram menſe decimo quinto, ouem tantumdem, vaccam nono, equam vndecimo et aſinam duodecimo parere. Quorum autem generationis opus huc usque rimari licuit, animalia certum ſuum naſcendi tempus nunquam excedunt; ceterisque etiam eodem modo certos pariendi limites poſitos eſſe, maxima cum probabilitate colligimus. Quid? quod et aduerſarii noſtri terminum fixum brutis haud plane denegant, cauſamque in eo ponunt, quod ſingula vno eodemque victu nutrita, ſimplicem vitam degant *q*). Nihilominus tamen et bruta foetum ſuum ſueto tempore ſerius interdum eniti exemplis comprobatum dare ſtudent; omnes autem vna voce, ſi duas illas obſeruationes ex MATTHAEO et ARISTOTELE a Cl. LE BAS *r*) productas excipias, ad vnum illud a WAGNERO *s*) communicatum exemplum prouocant, quam bubulci tamen obſeruationem eſſe ſimul fatentur; cui an fides habenda, alii inquirant.

§. 4

Quem exquiſitum ordinem igitur quum inter ani-

q) LE BAS Obſerv. nouvell. p. 23.
r) Nouvell. obſ. p. 18.
s) in diſſ. de Partu tredecimeſtri Helmſt. 1727. p. 33.

animalia bruta animaduertamus, atque a veteribus aeque ac recentiorum plerisque concedi illis videamus; quid eſt, cur homini ſoli certum ſuum pariendi tempus denegemus? praeſertim cum quotidiana experientia contrarium ſatis abunde nos edoceat. Equidem ad foecunditatem ac ſterilitatem, marisque ac foeminae procreationem plurimum poſſe locorum differentias, ARISTOTELI iam ſatis perſpectum fuit: at quis hoc argumento, praeter Cl. LE BAS *t*) recte vtetur ad diuerſum pariendi tempus comprobandum? Nemo ſane, niſi qui ſurdus aut coecus, legitimum nexum vnquam inter foecunditatem vel ſterilitatem ac partus terminum inuenit: nemo aduertit ab infoecundiore foemina partum vel citius vel tardius excludi, quam a foecundiore. Manifeſtum eſt potius, in calidiſſimis aeque ac frigidiſſimis regionibus partum vno eodemque tempore finiri; licet ſub ardentiore coelo menſtrua citius paulo erumpant, citiusque nubiles reddantur foeminae *u*). Nec vero inficiamur, quum quis ouipara mox citius, mox tardius incubatum abſoluere adfirmet. Quae enim externo calore oua ſua fouent, ſubinde poſſunt diuerſimode excluſionis terminum immutare, prout vel frequentius oua ſua relinquant, vel frigidiori coelo plus exponantur: vt adeo facile ARISTOTELI *x*) largiamur

 mur

t) Quaeſt. import. p. 22.

u) Perill. DE HALLER praelect. Tom. V. p. II. p. 84.

x) Hiſtor. animal. libr. 6. c. 2.

mur; excludere celerius incubantes aeſtate quam hyeme; ideo aeſtate gallinas duodeuigeſimo die foetum excludere, hyeme aliquando vigeſimo quinto. Quamquam rariſſime hoc ipſum contingere, expertum ſatis matresfamilias habeant. Conſtantiſſima enim et haec animalium claſſis tenetur lege, vt incubatum intra definitum tempus abſoluant. Sic enim compertum habemus, ex anatum genere cygnum duobus menſibus, anſerem triginta et anatem vulgarem viginti ſeptem diebus incubare: meleagridem viginti octo, gallinam vulgarem vno deuiginti et paſſeres canarienſes tredecim diebus ouis incumbere *y)*. Quae denique ex regno vegetabili in contrarium afferuntur exempla nullius prorſus momenti eſſe arbitramur. Quodſi igitur WAGNERVS *z)* memorat, duos Rhinoceroides vno eodemque tempore ſimul ſatas tam diuerſo tempore prodiiſſe, vt cum altera Auguſto florere inceperit, altera e terra primum caput tollere cepiſſet: quis, quaeſo, ex eiusmodi euentu incertum pariendi tempus in hominibus euincet, et quis non potius alterius ſeminis arguet inertiam? Sique Cl. PETITO *a)* placuit, aduerſariorum ſuorum ſententiam alio quopiam exemplo, eiusdem farinae, infringere; dum ſcribit: *Dans les arbres de même eſpéce l'intervalle de tems qui s'écoule entre*

y) Perill. DE HALLER Elem. phyſ. Tom. VIII. p. 428.

z) l. c. p. 33.

a) Recueil de pieces et obſerv. p. 163.

tre la fleur et la maturité du fruit, n'eſt pas préciſement égal: de deux pêcheurs, par exemple, ou de deux abricotiers, qui donneront leurs fleurs en même tems, celui qui ſera en eſpalier, bien expoſé portera de fruits mûrs douze ou quinze jours et quelque foits plûstôt, avant qu'on en puiſſe trouver de pareils ſur l'arbre en plein-vent, et mal expoſé: lubenter et haec quoque concedimus, ſed aliam longe cauſam euidentem huius diſcrepantiae agnoſcimus. Certe enim maturitas accelerata prioris arboris repercuſſioni radiorum ſolis ex muris tribuenda eſt, et ab artificiali hortulanorum cultu repetenda, quo eam amplius adhuc et cum maxima varietate perficere norunt. Admittunt autem eiusmodi artificia naturae leges quidem in ſtirpibus; in animantibus vero, iisque inprimis ouiparis, talia non admittunt.

§. 5.

Certo pariendi tempore ſatis ſuperque, vt opinor, in hominibus euicto, ſupereſt, vt cum veterum tum recentiorum quorundam ſuffragia in hanc rem afferamus; quo praefixum illud tempus vltra nonum menſem paucosque dies protrahi non poſſe eo luculentius appareat. *Hippocratem* iam iam hoſce limites agnouiſſe, ſupra (§. 2.) memoratum fuit, longiſſimum ſcilicet terminum in die 280. ſeu, quod idem eſt, menſe nono cum decem diebus abſolui. Accuratius hanc rem defi-nit

nit RODERICVS a CASTRO *b*) quando inquit: *parere mulieres eadem ſemper diei hora, qua conceperunt, diligentiores nutrices obſervaſſe adſtruunt, quod etſi a nemine ſcriptum reperio, tamen experientia confirmari videtur — quod ſi ita eſt, non ſolum dierum, verum etiam horarum certus ac praefinitus numerus ad partum legitimum requiritur.* Eandem ſententiam tuetur DIONIS *c*) *que le terme de la femme eſt reglé á neuf mois accomplis; ce terme eſt une loi ſi poſitive qu'il n'y a pas une femme, qui en ſoit diſpenſée: celles, qui nous diſent, qu'elles ont porté leurs enfants plus ou moins de tems, ont ſouvent leurs raiſons: il ne faut pas, que le chirurgien ſoit aſſez credule pour les en croire ſur leur parole.* Non minus BOHNIVS noſtrae ſententiae fauet, et reiectis Ariſtotelicis atque Plinianis circa incertum naſcenti tempus opinionibus *d*) ſic pronunciat: *Elapſis ab impraegnatione nouem menſibus ſolaribus aut decem lunae curriculis ſeu menſibus lunaribus ciuilibus, latebras ac tenebras vterinas foetus relinquit, ac auram liberiorem et lucidam petit.* Haud minoris momenti eſt ſuffragium ſummi illius medici forenſis HEBENSTREITII *e*): *quocunque autem modo quis praegnantiae durationem ſibi ſiſtere velit, certum eſt, ultra 272.*

di-

b) l. c. in fine cap. 4. et cap. 2. legitimum tempus nonum menſem eſſe perhibet.

c) Traité des accouchemens livr. 3. chap. 1.

d) Circul. anat. Progymnaſm. 3. de partu.

e) Anthropol. forenſ. Sect. II. c. I. §. 12.

dies ſaluis matre et foetu, partum differri haud ſolere, ſi exemplorum multitudo, quae leges naturae explicat, atque conſtituit, conſulitur. HAMBERGERVS *f*) partus praecocis et abortus mentionem faciens, ſerotinum reticet et *requiritur*, inquit, *ad partum quam maxime naturalem, vt fiat proxime circa finem noni a conceptione menſis.* Nec obliuiſcendus eſt b. ROEDERVS *g*), cuius verba haec ſunt: *finem trigeſimae nonae et nonnunquam quadrageſimae hebdomadis partui maturo natura, vt accuratior obſeruatio docet, conſtituit, vltraque eum non facile differtur.* Plura quidem huius rei afferre poſſem teſtimonia, ſed rem actam agere mihi viderer, quum fontes eorum praecipuos Cl. LOVIS *h*) et LE BAS *i*), cum lectoribus ſuis iamiam communicarunt.

§. 6.

Naturam omnibus animalibus definitum quoddam, quo foetus ſuos in lucem edant, praeſcripſiſſe tempus, ex ſuperioribus patet; an vero iſte terminus iuſtis ex cauſſis protrahi poſſit, in quaeſtionem nunc vocatur. Quibus igitur euincere id ſtu-

f) Phyſ. med. c. 15. S. 5 p. 780.

g) Elem. art. obſtetr. §. 217.

h) Memoire contre la legitimé des naiſſances pretendues tardives. Paris 1764. p. 27, et Supplement au memoire. Ibid. p. 35.

i) Nouvell. obſ. p. 67. ſeq.

ſtudent argumentis doctiſſimi viri, ea nunc ſigillatim examini qualicunque ſubiicere iuuabit. Tantum vero abeſt, vt tantorum virorum honori ac dignitati quicquam detrahere velim meis obiectionibus, vt dubia ſolummodo ipſorum argumentis ſumma cum modeſtia opponam. Igitur qui ſerotinum partum propugnant, primum ad monſtra et naturae aberrationes quotidie occurrentes prouocant, easque in ſuae ſententiae fauorem trahunt. Breuis autem in huius argumenti refutatione eſſe poſſum, cum, aberrationes tam regni vegetabilis, quam, ſi quae ſunt, ouiparorum, externis cauſis deberi, iam oſtendi. Supereſt itaque, vt, quae a monſtris repetant, argumenta excutiam. Dicunt autem, quemcunque viſo monſtroſo partu ſtupore affici; at neminem eſſe, qui ipſum illegitimum pronunciet, quamquam longiſſime a naturae legibus recedat. Eodem ergo iure leuiorem illam partus ſerotini aberrationem defendi poſſe exiſtimat Cl. PETIT *k*) *Or ce changement, quoique très-difficile à opérer, frappe cependant nos yeux tous les jours, dans les monſtres, qui ſe préſentent aſſez ſouvent dans l'eſpéce humaine, d'où il eſt naturel de préſumer, que le plus difficile ſe faiſant, le plus aiſé n'eſt pas tout à fait impoſſible, et que, par conſéquent, la naiſſance d'un enfant peut-ètre plus ou moins retardée, ſuivant le dégré de force de cauſes qui donneront lieu à ce retard.* Equidem quocunque modo monſtrorum ortus contingat, hoc loco exponere noſtri non eſt; ea ſaltem, quoad

k) Recueil de Conſultat, p. 31.

quoad partum, iisdem naturae legibus obnoxia eſſe, monere velim, niſi ab illo tempore recedas, quod ſaepe in partu difficili conſumitur; quem non ſolum excitare, ſed et matris interitum promouere et poſſunt et ſolent. Certe itaque monſtrorum exiſtentia non probaret foetuum ſerotinorum probabilitatem, multoque minus exiſtentiam: argumentumque totum, ſi dicere verum licet, plane huc non quadrat. Non enim conueniunt inter ſe monſtrorum ortus et partus ſerotinus, niſi quod vtrobique natura a ſuetis legibus aberrat. Ab vna vero aberratione ad alteram ſiue quoad poſſibilitatem, ſiue exiſtentiam concludere, logices praecepta vetant. Non aliter, niſi ſi partus monſtroſi tardius iuſto excluderentur, poſſet inde defendi ſerotinus partus embryonis recte ſtructi. Sed prius cum falſum ſit, ceu iamiam memoraui, poſterius quoque inde plane non efficitur. Non magis ergo concluſio a monſtroſitate ad partum retardatum valere mihi videtur, quam a *caeco* nato vel *ſurdo* ad *loquentem* natum, et innumerae aliae eiusdem farinae: unde manifeſtum ſit, ab vna aberratione naturae alteram non ſtatim firmari vel in actum deduci. Neque denique hoc Cl. PETITO facile concedi poſſit, quod monſtrorum generatio difficilior res ſit, quam partus retardatio. Potius ex maiore monſtrorum copia, quae natura efformat, colligimus, eam minore longe difficultate haec producere, quam partum retardare; cuius rei exempla, ſi qua vera proſtent, ad digitum fere cuncta enumerare poſſis.

§. 7.

§. 7.

Alterum, quod mihi obiici lego; argumentum verſatur circa partus ex omni parte perfecti accelerationem, quae fit ſexto, ſeptimo vel octauo menſe: in qua euincenda omnem operam, iunctasque vires aduerſarii figunt. Adſtruere id non dubitat Cel. LEVRETVS *l)* „La nature, inquiens, peut être tardive, ſi elle peut être active & ſi elle peut ſ'accelerer de deux mois, pourquoi ne pourroit-elle-pas être en arrière d'un? En effet, ou il n'y a jamais d'enfant de ſept mois,| à terme parfait, ou il peut y en avoir a neuf qui ne le ſont pas encore: or il eſt prouvé inconteſtablement, qu'il y a des femmes qui accouchent à ſept mois d'enfans auſſi forts et auſſi vigoureux que ſ'ils en avoient neuf, et que d'autres mettent au monde à neuf mois des enfans ſi petits et ſi foibles de conſtitution, quoique ſe portant bien d'ailleurs, qu'on ſeroit tenté de croire qu'ils n'ont que ſept mois; donc, ſi la nature peut être précoce, elle peut être auſſi lente dans ſon operation." Eandem ſententiam tuetur WAGNERVS *m)* „proinde, inquiens, ſi is qui frequentius obſeruatur decimeſtris partus terminus, per trium menſium interuallum certis de cauſis poſſit maturari, vero fieri ſimile miratu haud magnopere dignum eſſe, ſed concipi poſſe, ſubeſſe cauſſas, quae eundem

l) Supplement aux ouvrages p. 409.

m) l. c. p. 27.

eundem per tres menſes protrahant. " Suffragatur etiam huic ſententiae Cl. LE BAS, n), quando, ,, ſi l'on m'oppoſe, " ait ,, et l'on me prouve que le terme de la geſtation eſt conſtamment, univerſellement et indiſtinctement le même, je n'ai rien à repliquer ; ſi au contraire je fournis des exemples d'accouchemens à terme faits avant celui de neuf mois, je n'admettrai pas uniquement ce terme à l'excluſion des autres. " Idem auctor alibi o) accelerationis cauſam exponens, eam ſolito maiori, quo foetus fouetur, vteri materni calori tribuit: ,, D'ailleurs " inquit, " la chaleur de la matrice étant plus grande qu'elle ne l'eſt ordinairement, mais toutefois proportionée à la force du germe viril, elle développera plustôt les parties de l'oeuf, et le foetus parviendra en moins de tems qu'il n'arrive ordinairement, au degré de perfection qui lui eſt neceſſaire, ſuppoſition faite qu'il ne manque pas de la nourriture propre à cette prompte expédition. Cel. PETIT p) perſuadere ſibi vult, foetus incrementum pendere maximam partem ab vtriusque coniugis conſtitutione, quae ſi inuicem ſibi reſpondeat, foetum citius ad perfectum robur et volumen peruenire, atque citius vterum relinquere; ſin autem contrarium, diutius in eo remorari. Haud parum quoque vterum vel nimis ſenſibilem vel vlteriorem extenſio-

 nem

n) Quaeſt. import. p. 29.

o) Nouvell. obſeruat. p. 12.

p) Conſultat. p. 17.

nem haud ferentem foetus accelerationem adiuuare. Ita vero vir doctus mentem ſuam exprimit: „ Or, ſi non ſeulement il eſt poſſible, mais ſi de plus il eſt conſtamment avéré, que par le concours des circonſtances cis-deſſus exprimées, c'eſt à dire, par l'excés de ſenſibilité, de la matrice, par ſon defaut d'extenſibilité relative, par la crue prompte et rapide de l'enfant, ſoit que chacune de ces cauſes ait agi en particulier, ou que pluſieurs aient exercé en même tems leur action, ſi dis-je, il eſt evéré, que l'accouchement a été acceléré et avancé de deux et même de trois mois, pourquoi, par l'effet de cauſes contraires, ne pourroit-il pas être retardé d'autant de tems, ou même de plus. Sunt profecto in hiſce ſermonibus permulta rationi haud abſona; ab experientia vero et quotidiano rerum vſu extra modum aliena. Quaedam momenta equidem videntur ab hac quoque deducta; non fidam tamen eam, ſed fallacem eſſe, haud immerito ſuſpicamur. Quod igitur parentum vigori ac robori tribuunt maturius foetus incrementum, ratione equidem aſſequi poſſumus; experientia vero innumera et quotidie obuia nobis ſuppeditat exempla parentum eiusdem aetatis, vigoris ac roboris, quorum tamen generatione, quo citius foetus debitam magnitudinem ac propriam vitam extra vterum viuendi facultatem nanciſceretur, plane non efficitur. Sic quoque compertum habemus, ſenes iuuenculis nuptos nil contribuere ad foetus excluſionem neque citiorem neque tardiorem. Quibus autem in vtero retardandi partum

acce-

accelerandiue vim quaerere placet, hi extra modum ſane philoſophantur, vt facile refelli poſſint, dummodo ad quotidianos euentus attendatur. Tum enim haud difficulter experientia nos de contrario conuincit. Irritabilitatem enim minorem vterini prorſus conferre ad partus retardationem, ex quotidianis ruſticorum exemplis manifeſtum ſit, vtpote qui ſolidioris licet compagis, laboribus duris adſueti, victuique duriori indulgentes, omnisque fere ſenſibilitatis expertes, nulla impedimenta inde accipiunt, quo minus ipſorum infantes iuſto tempore naſcantur. Eodemque viciſſim modo ex irritabilitatis vteri exceſſu acceleratio partus haud deriuanda eſt, niſi abortum vel partum praecocem intelligas. Ponamus enim, vtero definitam quandam extenſionem adſcriptam eſſe, ad quam vbi peruenerit, fieri non poſſe, quin ex continuis doloribus ob nimiam tenſionem foemina ad pariendum compellatur; tamen, quomodo fieri poſſit, vt foetus, ſi illa ſexto vel ſeptimo menſe contigerit, iuſtam hoc tempore perfectionem iam adeptus ſit, plane non perſpicimus, nec ita deprehendimus. Quodſi vero ad exempla prouocant, turpe quidem foret, ſi vellem tanti nominis viris omnem fidem denegare; maximopere autem vereor, ne fallacia quadam abrepti aliquid affirment, et pro vero habeant, quod aliter longe contigerit. Omnes enim rei obſtetricariae ſcriptores in eo conſentiunt, quod durante grauiditate interdum menſtrua mulieribus fluant; quodſi ergo hae ab illo inde tempore, quo prima vice menſtruum tributum non

ſoluerint, grauiditatis initium computent, an mirum eſt, ſi ſexto vel ſeptimo menſe foetum perfectum peperiſſe, non ſibi modo, ſed et aliis perſuadeant, cum tamen iam dudum antea conceperint? Ex quo apparet, quam facile calculi errores et accelerationi et retardationi faueant, vti infra pluribus comprobaturus ſum. Nonne vero, vt iterum eo reuertar, vnde paulisper digreſſus ſum, haec accelerationis fauorem proferunt, potius partus omnia, quae in praecocis naturam demonſtrant? De hoc autem conſtat, eum nunquam perfectum eſſe, et quo magis a iuſto termino partus recedat, eo minorem vitalitatem prae ſe ferre. Nam perfectum et omnibus numeris abſolutum foetum ſexto vel ſeptimo menſe a conceptione ſine errore calculi vel anticipatione nuptiarum edi poſſe, pernegamus, quum in recte formatis calculis non vnum imperfectionis ſignum in eiusmodi foetibus occurrat, fonticulus pulſatilis maior, os maius et ampliori hiatu fiſſum, capilli pauciores et pallidiores, vngues molles nulliue, flexilia magis membra, ſomnus frequentior, debilitas, vita breuis, coecitas demum; nam ſeptimo menſe membrana pupillaris fere ſupereſt, quae menſe nono euanuit. q) Longiſſime autem abeſt, vt eiusmodi ſigna in partu, quem acceleratum vocant, reperiantur: vt ergo, cum perfectus ſit pro ſex vel ſeptem menſium foetu haberi non poſſit.

§. 8.

Nouae rationis robur nunc profero, quo nimi-

q) Vid. Perill. de *Haller*, Element. Phyſ. T. VIII. p. 42. 3.

mirum ſuffulti, multum ad foetus prima rudimenta facere ipſius ſeminis conditionem, ſerotini partus defenſores arbitrantur. Mariti enim debilis, vel ſenio ſuccumbentis, vel etiam coitum ante mortem exercentis ſemen multo debilius minusque ſpirituoſum cenſent, quam vt ſtatim poſt conceptionem legitimum incrementum vel maturationem capere poſſit embryo. Ita enim SPIGELIVS r) *facultas, inquit, corpus foetus gubernans debilis vel robuſta, fit aut ex ſemine, cui inhaeret tanquam in ſuo principio, aut ex accidenti, apti ſcilicet alimenti penuria. — Quod autem in ſemine inſit facultas citius aut tardius maturandi foetum, ſi vterus bene ſe habuerit, ex eo manifeſtum eſt, quod illi foetus ſeu maſculi ſunt ſeu foeminei, qui maturius ſolent ſe mouere in vtero, maturius quoque in lucem proferri conſueuerint.* MICH. ALBERTI s) neque homini, neque brutis certum naſcendi terminum ordinarium denegans, retardationem tamen admittit, et quoad ſeminis indolem haſce rationes attendendas inculcat: *An mas vel foemina vel vtrumque ſubiectum debili praeditum fuerit natura; quando a mare vel foemina valetudinariis generatio contingit, quando mas vel foemina adultiori aetate gaudent, vt mas ſenex imbecillus, foemina vero periodo ceſſantis foecunditatis proxima fuerit.* Eaſdem cauſas adducit TEICHMEY-

 ERVS

r) de incerto partus tempore p. 79.

s) Syſtem. Iurisprudentiae med. T. I. Part. I. c. 7. §. 20. Confer etiam Eius diſſ. cit. §. 10.

ERVS *t*) *eiuſmodi*, inquiens, *partus retardatio fit ob energiam ſeminis deficientem, morboſam patris conſtitutionem debilemue, vt fieri in ſenectute ſolet.* WAGNERVS *u*) tredecimeſtrem, quem deſcribit, partus protractionem ſenio mariti tribuendam eſſe non dubitat, *ita* enim dicit, *cum parentem nactus fuit hic infans ſenem non admodum bene valentem; vnde ex primo conceptu debilis extitit, quod ſuturae hiantes ac nondum perfectum cranium aliquo modo monſtrare videntur, vero ſit ſimillimum, ipſum in vtero morbo qualicumque fuiſſe correptum.* Tuetur eandem ſententiam Cl. LE BAS *x*) quando ait: *Ne peut-il ſe faire, que la matrice ſoit le réſervoir d'un germe debile, precieux reſte du dernier effort d'un homme presqu'éteint, et que par ſa parfaite conſtitution elle n'entretienne, fomente et vivifie pour ainſi dire, la foible chaleur de la matiere qu'elle aura retenue? En ce cas les progrès de l'embrion ſeront-ils auſſi rapides, qu'ils auroient été, ſi le germe eut eu plus de vigueur.* At ſeminis vero debilitas minime in cauſa eſt, quo minus rite ſuccedat generationis opus, quemadmodum nec vigor eius ſingularem vim in ipſius acceleratione vnquam exſerit, ceu experientia, ad quam ſolam iterum hic prouoco, quemlibet quotidie edocere poteſt, qui

t) inſtitut. med. legal. c. 9. quaeſt. 15.

u) l. c. p. 8.

x) Quaeſt. import. p. 28. Confer etiam obſeruat. nouvelles p. 10.

qui velit vel ad debiles vel ad robuſtos genitores attendere. Sane phthiſici hominis ſemen non debilius, quam robuſtiſſimi deprehenditur. Et quis dubitabit de ſene, licet imbecillo, quin procreare poſſit ſobolem, iuſto termino excludendam; cuius rei luculentiſſima exempla proſtant, quorum vnum ſaltem ex PLATERO y) hic excitare ſufficiat de auo ſuo, qui poſt centeſimum aetatis annum, vxore virgine 30 annorum ducta, filium vegetum legitimo tempore ex ea ſuſcepit. Plura exempla de aetatis prouectioris viris ad gignendam prolem aptiſſimis CL. LE BAS z) collegit. Quod ſi vero ſenum imbecilliorum et aegrotantium prolem tardius ex vtero progreſſuram putes; vnde fit, quaeſo, cur tam pauca huius rei exempla in tanta ſenum eiusmodi frequentia occurrant? tutumne eſt, in caſu tam oppido raro redartati partus, et qui ipſe, dum incidit, quam maxime dubius et fallax cenſendus eſt ſemper, inertiam ſenilis geniturae accuſare? inprimis, quae, quum potuit foecundare coniugis ouum, energiam ſuam ſatis ſuperque inde probauit. Morbus vero ſi quid alterare vere poteſt in generatione, omnem ſeminis praeparationem potius tollet. Aut, ſi qua inertia vel morboſus geniturae ſtatus influxum quendam in generationem habeant, ſtaminibus foetus duntaxat qualitates ſuas ea infundet, in ipſo termino

y) Obſeruat. libr. I. Tit. de vitalis motus defectu, p. 222.

z) Quaeſt. import. p. 95.

no partus vero nihil mutabit. Siue enim ſit debilis vel morboſus infans, imo mortuus, ſiue ſanus et perfectus ac decenti robore molleque inſtructus, vtrumque videas eodem tempore ex matris vtero excludi.

§. 9.

Omnium porro doctorum medicorum vnanimi conſenſu grauidarum diaeta extraordinaria, inedia et grauiores animi affectus in quaeſtionem vocari ſolent, et pro valida cauſa retardati partus allegantur, ſiquidem inde non ſolum matris oeconomiam valde turbari, ſed nec decentem alimenti copiam ex penuria alibilium ſuccorum foetui ſubminiſtrari poſſe opinantur *a*). Quamuis vero, quod ad diaetam matris extraordinariam et inediam ſpectat, nutritionem foetus eo valde impediri concedimus; negare tamen nos oportet, ipſius egreſſum ex vtero legitimo tempore nunc retardari. Ideo vero quam maxime negamus, quoniam haec cauſa mere ficta eſt, et nulla obſervatione

a) Vid. *Henr. Arniſaeus* de part. hum. term. legit. §. 17. p. 24. *Alberti* Syſtem. Iurisprud. med. T. I. part. I. c. 7. §. 20. *Teichmeyerus* l. c. cap. 9. p. 63. *Le Ras* obſ. nouvell. p. 44. Quibus et ipſe Perill. de *Haller* Elem. phyſ. Tom. VIII. p. 422. aſſentire videtur, quum dicit moerorem, terrorem, languorem, defectum alimenti, lentumque morbum partum tardare poſſe.

one indubitanter confirmata. Non igitur neceſſe eſt, vt amplius hoc argumentum refellamus. Equidem quod debiles foetus et emarcidi ex hac cauſa generentur, perſpicuum eſt: quod autem diutius ideo in vtero commorentur, obſeruationibus haud reſpondet. Contrarium potius inde euenire conſtat; nimirum, quod ex debilitate propter penuriam alimentorum non raro matres abortiant. Nec ex animi commotionibus vnquam redartationem partus exſpectandam eſſe exiſtimamus. Excitatur quidem a ZITTMANNO *b*) partus ex terrore et moeſtitia ad duodecimum menſem protractus; et ex hac cauſa pro legitimo declaratus; aliudque ſimile exemplum recenſetur a WAGNERO *c*) qui Iauolenae temperamentum moerori ac triſtitiae deditum explanans, „ huius, inquit, cum ſtatim inſignis ſemet cauſa obtulerit, inopinatus nimirum obitus aliaeque res aduerſae, facile factum eſſe exiſtimamus, vt aut parcum nimis aut minus idoneum nutrimentum ad infantem deriuaretur. Hinc porro effectum, vt foetus, quem conceperat, quemque ex robuſtiſſimorum genere haud fuiſſe, praeter parentem ſenem et languidum, multa ſuadent, ſolito factus ſit debilior, ac ſenſim aegrotus, nec debitam perfectionem tam cito, atque alii bene valentes conſequi potue-

b) Med. forenſ. Cent. 2. caſ. 37.

c) l. c. p. 72.

potuerit." Nec Cel. PETITVM *d*) ab hac ſententia alienum deprehendimus, quando ſcribit: „Si donc il eſt poſſible, que les maladies de la mere, de quelque cauſe qu' elles procédent, ſoit de chagrin ou d'autre choſe, ſi la ſeule alteration de la matrice ſont capable d'alterer les ſucs qui vont a l'enfant, ſi elles peuvent empêcher qu' il en reçoive la quantité déterminée par l'ordre de la nature, comment ſe pourra-t-il faire qu' elles ne retardent point les progrès de ſon accroiſſement? Non diffitemur quidem animi pathematum in corpus noſtrum poteſtatem; et quamquam nos non fugiunt ſubitaneae ex panico terrore mutationes, neruoſo ſyſtemati grauiter laceſſito tribuendae; tamen nullibi legimus, ab hoc affectu vnquam partum eſſe redartatum; nec id ſane per hunc fieri poteſt, cum eius primaria vis ſit ſpaſmodica partium externarum conſtrictio, vnde anxietates intenſae, palpitationes, ſpirandi difficultas, aliaque mala pro diuerſitate locorum a congeſto intus ſanguine et inaequaliter moto proficiſcuntur, inter quae apud grauidas in vtero abortus non infrequens numeratur *e*). Hunc ergo a terrore metuendum, certe habemus; retardationem partus nequaquam; vtpote quae a ſpaſmodica vteri ſtrictura, vnico et vero terroris effectu, prouenire non poteſt. De moeroris ac triſti-

d) Conſult. p. 23.

e) Vid. *Fr. Hoffmanni* Med. Syſt. Tom. II. part. II. c. I. §. 22.

triſtitiae potentia in corporibus grauidarum non alios effectus, quam a terrore obſeruabis: quos cum Cl. COOPERVS nuper ſuccincte propoſuit *f*), ipſius verbis hoc loco aptiſſime recenſere iuuabit: *In his conditionibus vaſa cutanea corporis magis coarctata, et vaſa vteri magis a ſanguine diſtenta ſunt, hinc in eamdem effuſionem ſanguinis et inde conſecuturas abortiones proniſſimae ſunt foeminae, memoratis potentiis percitae.*

§. 10.

Eodem modo reiiciendam atque conuellendam putauerim ſententiam, quam de morboſa cum matris tum foetus conſtitutione tamquam efficaci cauſa retardatae partionis ipſius aſſertores fouent. Matribus nempe grauiditatis tempus in morbo conſumentibus, omnes neceſſario ſecretiones dicunt inſigniter turbari, foetusque alimentum iuſto minori copia parati; ſub eius autem defectu foetus nutritionem non poſſe non ſufflaminari, eiusque incrementum impediri, ad quod reſtituendum deinceps mox maior, mox minor hebdomadum ſeries requiratur. Quum igitur quaeſtio de partu agitur, an naturalem ſuum terminum tranſcendere is poſſit, inter alia ALBERTI *g*) incul-

f) diſſ. de abortionibus. Lugd. Batav. 1767.

g) Syſtem. Iurisprud. med. Tom. I. part. I. c. 8. P. 167. n. 8. Conſ. etiam diſſ. Eius cit. §. 11. n. 5.

inculcat, vt ratio habeatur, *an grauida ſub geſtatione graui morbo correpta fuerit.* TEICHMEYERVS *h*) ita pronuntiat: *Partus retardatur ob matris diſpoſitionem phthiſicam, hecticam vbi foetus alimento ſufficienti deſtituitur, ob ſtatum matris cachecticum, ob fluxum menſium tempore geſtationis contingentem, ob diarrhoeam aliumque fluxum et morbum.* Idem ſtatuit Cl. LE BAS *i*) his verbis: *Lorsque le foetus ſera parvenu au terme de neuf mois ſans avoir encore reçu la qualité des ſucs nourriciers propre à ſa perfection eu égard aux maladies de l' enfant, à celles du placenta, de la matrice, et ſa ſortie ſera differée jusqu' à ce qu' il ait reçu la quantité de nourriture ſuffiſante pour reparer la perte qu' il a faite pendant ce tems:* et alibi *k*): *Les maladies ſurvenues à la mere, troubleront l' harmonie de la nutrition du foetus.* Quodſi autem natura nullos foetui poſuerit limites, isque tam diu in vtero morari poſſit, vel debeat, donec debitum ſuum incrementum a morbo matris hactenus impeditum recuperauerit; miratio ſubit, cur tot debiles ac infirmi infantes nihilominus in lucem prodeant. Quanquam vero nil magis rationi conſentaneum eſſe videatur, quam vt languidae matres et grauiori morbo conflictatae ſuis foetibus eundem lan-

guo-

h) loc. cit. n. 2. 3. 4. 5.

i) Obſervat. nouvell. pag. 44.

k) Ibid. p. 54.

guorem cum ipſo morbo neceſſario infundere debeant; ſiquidem a matris ſuccis infans in vtero alitur: tamen, ſi experientiam conſulas, rem aliter deprehendes; ceu in multis aliis rebus ad medicinam ſpectantibus fieri adſolet; et videbis, non ſolum morbos, et ne contagioſos quidem, non ſemper in foetus transferri a matribus ſuis, ſed et imbecillimas matres ſaepe robuſtiſſimos infantes in lucem edere, et viciſſim a valentioribus et valetudine et natura imbecilliores naſci. Exempla eiusmodi aliquot expertiſſimus DE LA MOTTE *l*) ad memoriam mandauit et duarum grauidarum mentionem iniicit, morbis eo tempore laborantium, quae nihilominus foetus ſanos, mole magnos nec imbecillitatis ſigna prae ſe ferentes enixae ſunt. Atque adeo matres phthiſi vel cachexia conflictantes videas, quae infantes craſſos, toroſos, et mole ſua admirationem mouentes pariant, quod ſollicitis b. ROEDERERI *m*) obſeruationibus, vt alias taceam, debemus. Quodſi vero vnquam detrimentum quoddam foetus ex grauiore matris morbo conceperit; tunc praemature illum nunc potius excludi, quam retardari, experientia docet; perinde ac malus vel pyrus, quae propter laudabilis

ſucci

l) Traité complet des accouchemens. Pariſ. 1765. Tom. I. obſ. 117. et 118.

m) Opuſc. med. p. 41. Confer etiam Cl. *Haſeneſt.* Acta phyſico medica forenſia. Part. IV. p. 131.

ſucci inopiam vel ob ſpontaneam quandam inteſtinam labem ante maturitatem ſuam etiam ex arboribus decidunt. Metuerunt hinc antiqui iam medici, ne ex diarrhoeis vel ex febre partus intempeſtiue elidatur *n*). Prorſus autem fictum falſumque eſſe monemus, quod menſtrua purgatio intra grauiditatem ex ſententia TEICHMEYERI partum retardare valeat. Aut enim nihil haec circumſtantia mutat in partus tempore, docente rerum vſu, aut inſidias ad abortiones ſtruit.

§. 11.

Solent et inter cauſas partum retardantes referre duorum vel plurium foetuum in vtero conceptionem. Pro his enim matris, quod ſuggeritur, alimentum ſaepe non ſufficere credunt, vt ſinguli ad iuſtam perfectionem intra nouem menſes perueniant, et finito hoc tempore alacres et vegeti ex vtero excludantur: vnde fiat, quo alter hilarius enutritus, acquiſitis ad natiuitatem debitis viribus, ſub finem noni menſis matricem deſerat, altero manente, quandoquidem ad vitam in aere agendam ſufficienter enutritus nondum ſit. Naſci adeoque ſecundario aliquo partu, altero forte poſt praecedens puerperium menſe, ex gemellis eodem tempore genitis alterum poſſe, decimeſtrem vel vndecimeſtrem *o*).

Equi-

n) *Hippocrates* aphor. V. 34. *Celſus* de medicin. L. II. c. 7.

o) Attulerunt hanc rationem *Alberti*, in Iurisprud. med.

Equidem ſcite ac litterate haec quoque diſputantur; at minus vere. Primo enim, vt ne quid in medicina affirmetur, quod vſu non veniat, quam maxime cauendum eſt; ſed valde vereor, ne perperam de quodam non ente hic diſputetur a doctis viris. Et ſi qui forte caſus ad eius demonſtrationem adduci queant, longe facilius alia ratione explicationem illi admittunt, hanc nempe, vt ſi gemellos vna concepit, et diuerſo tempore peperit mulier, ex illis alter abortu perierit, alter, vtpote qui abſolutus nondum ſit, ſuum vitae in vtero agendae ſtadium decurrerit. Deinde vero obſeruationes luculenter docent, naturam gemellos, etiamſi inaequaliter nutritos et diuerſae magnitudinis ac roboris, exacto nouem menſium ſpatio vna expellere, eosdemque minoris molis ac ponderis eſſe, ac vnicum foetum alio tempore ab eadem matre conceptum; et iuncta gemellorum pondera ſimplicis foetus maturi pondus fere aequare; et ſi qua denique natura in partus gemellorum tempore immutet, eos duabus vel tribus ſeptimanis potius ante vltimum grauiditatis terminum edi *p*). Vt adeo et haec cauſa, prout ceterae omnes ad retar-

med. p. 167. n. 8. *Teichmeyerus* l. c. p. 67. n. 10. *Hebenſtreit* Anthropol. forenſ. Sect. II. c. II. p. 209. et *Chirol* lettre où l'on prouve la poſſibilité des naiſſances tardives etc. Vid. Ill. *Vogelii* Neu. Med. Biblioth. Tom. VI. p. 498.

p) *Roederi* Elem. art. obſt. §. 706. 707.

retardationem partus effictae, foetus moram in vtero non tardet, ſed potius acceleret.

§. 12.

Vltimum denique, quo ſententiam aduerſariorum, retardationem partus negantium iugulare credunt, argumentum vt examini ſubjiciamus, ſupereſt. Naturale nempe naſcendi tempus differri poſſe ex vteri capacitate maiore CASP. AREIES *q*), facultas medica Lipſienſis, referente AMMANNO *r*) et TEICHMEYERVS *s*) affirmare non dubitant, praeſertim ſi foetus paruus et debilis ſit. Quum autem huius phaenomeni neque legitimam et fundatam explicationem, neque obſeruationem vllam in medium proferant, ecquis obſecro non videt, ex luxuriante ingenio hoc argumentum eſſe extortum? atque eo minorem promereri attentionem, quod conſtans obſeruatio indubie probat, vteri capacitatem embryonis moli ſemper reſpondere, ita, vt quo minor ille ſit, eo minus vterum extendi, et contra: idque eo magis comprehenſibile eſſe, cum vteri capacitas maior vel minor non ab ipſo vtero dependeat, ſed vnice a foetu, eiusque ſecundis, quibus pro maiore vel minore mole plus minus cedit? Sin autem maiorem quam pro ratione foetus amplitudinem poſſe aliquando vterum habere, et ob hanc cauſam diutius iſtum

com-

q) Elyſius iucund. quaeſt. camp. quaeſt. 90. n. 3. p. 1162.

r) Med. crit. p. 288.

s) l. c. n. 6.

complecti fingans; nonne ſaepius in hiſce inprimis foeminis, quae iam multoties pepererunt, et gemellos etiam ſubinde enixae ſunt, eiusmodi partum exſpectares? cum laxiſſima in his vteri compages ſit, et maximae extenſionis capax. Sed vide, ne te exſpectatio fallat! Ridiculum ergo hoc argumentum et plane fictum, ac a natura alienum mittamus. Et quidni ridiculum et fictum dicemus? cum ipſe AMMANNVS, quem ſupra citaui, anteceſſorum ſuorum iudicium de partu tredecim dies ſupra annum in vtero viduae commorato, quem pro legitimo declararunt, non approbauerit, ſed reſponſionem datam eſſe in fauorem matrimonii et litteras ipſas fuiſſe ſubornatas, merito ſuſpicatus ſit; atque ipſa etiam mulier in litteris confeſſa ſit, ſe in priſtinis conceptionibus, quarum ſeptem contigerant, plerumque errorem calculi manifeſtum commiſiſſe, dum duos menſes integros ingrauidationem citius numerare ceperit,

§. 13.

Atque ita, quibus ſerotini partus poſſibilitatem euincere alloborarunt egregii viri, argumenta principaliora enarraui *t*), et quantum licuit, refutaui. Proximum eſt, vt, quid reprehendendum habeamus in exemplis foetuum vndecim, duodecim,

K

t) Meditate omiſi maleficia, aliasque friuolas et nugatorias ſerotinarum partionum cauſas, quas ipſi harum defenſores ex merito ſuo hodie adſpernantur.

cim, tredecim, et vltra menſium, quae proferre in rei demonſtrationem ſolent, libere profiteamur. Quorum magnam cohortem collegerunt SCHENCKIVS *u*) SCHVRIGIVS *x*) et Perill. DE HALLER *y*); qui vero ne decimeſtribus quidem, multo minus tardioribus fidem integram adhibendam cenſet. Et profecto, ſi conditionem harum mulierum, quae ſero peperiſſe dicuntur, in conſiderationem trahimus, praemagna ſuſpicio de illegitimo partu ſubire animum debet, quoniam maximam partem vel viduae fuerunt, vel in abſentia mariti prolem generarunt. Harum omnium caſtitatem ac honorem nos ſane tueri nolumus, neque tam faciles alios peritiores iudices fore credimus, vt pro legitimo partu tales agnoſcant, niſi in matrimoni fauorem pronuntiare velint. Equidem noſtro æuo fauorem iſtum (quo ipſo tamen ſententia noſtra de partus humani termino non infringetur) arctioribus limitibus multo, quam antehac incluſum reperies, cum peritiſſimi Medici, qui in his rebus reſpondere debent, non niſi vsque ad vndecimi menſis principium, neceſſitate aliqua mechanica, differri partum putent, ſi nempe teſtium fide conſtet, acri morbo fuiſſe matrem, durante grauiditate, correptam, aut grauem ex morte vel abſentia mariti luctum eam afflixiſſe, aut offenſa ſanguinem profudiſſe, hinc ille abortum prope fuiſſe, vt ſub hisce

u) Libr. IV. obſeru. n. 156. vsque ad 160.

x) Embryolog. Sect. IV. c. 2.

y) Praelect. acad. in Boerhaav. Tom. V. part. II. p. 493.

ce conditionibus, ob virium matris foetusque iactu-ram naturae opus tardius procedere oportuerit z). Sed vere tamen dico, etiam in hoc caſu fauorem duntaxat pro ſententia ſtare, cum neceſſitas me-chanica, de qua dixi, nonniſi in ſuſpectis perſonis ſe offerat, in coniugatis autem fere nunquam; vt-pote in quibus natura, quod iterum mireris, ex hac formula haud reſpondet, ſed magis properat et praecurrit vota. Merito igitur AMMANNVS cul-pat anteceſſores ſuos, quod poſthumum vndecim menſium pro illegitimo, duodecim menſium vero pro legitimo declarauerint; cum huius mirabilis de-ciſionis fundamentum non aliud reperire potuerit, quam quod prior fuerit ἀνάργυρος, es war ein ar-mer Teufel; alter vero poſthumus ἐνάργυρος, ſeu πλούσιος a). Sed et poſthumi ſunt eidem erro-ri calculi obnoxii, quam ordinarii partus; et ſi ci-tius duobus menſibus integris talis mulier ingraui-dationem inchoet, incurrere ignominiam poteſt, quum poſthumus attinget menſem vndecimum. Liceat igitur et partum decimeſtrem plane in du-bium vocare, et vel fraudem ſuſpicari in mulieri-bus, vel ignorantiam iuſti conceptionis termini; quam deinceps pluribus adhuc exponemus. Quan-docunque enim in honeſtis mulieribus partum a

z) *Hebenſtreit.* anthropol. forenſ. S. II. c. 4. §. 15.

a) Vid. eius Medicin. crit. caſ. XXIX. et XLIV. et Iren. Numae Pompil. cum Hippocrat. p. 78. 79.

natura tardari audias, nullam ſane facile occurſuram eſſe ſpondemus, niſi quae ad ſummum vnam vel alteram hebdomadem citius partum ſuum exſpectauerit. Sed quam exſpectatio ſic fefellerit, an putas, naturam eius ideo fuiſſe lentiorem? Concipere enim foeminae non ipſa fluxus menſtrui nunc ceſſantis periodo ſolent, vt quidam putant; ſed vacuo plerumque et binis periodis interpoſito ſpatio, quod tres ſaltem hebdomades aequat *b*). Quodſi vero nec hiſtoriae deſint, quae foeminas honeſtas et maritatas decimo tertio vel quarto et pluribus poſt conceptum menſibus, quin annis, peperiſſe, memoriae tradiderunt *c*); ipſas foeminas falſas fuiſſe cum HEBENSTREITIO *d*) arbitramur, quoniam cum maritis iunctae eſſent, inanem grauiditatis opinionem habuiſſe, et iuſto termino concepiſſe, putandae ſint: ita enim in longum extendi haud poteſt naſcendi terminus. Et certe riſui nos hodie exponeremus, ſi quos olim defenderunt patres noſtri, hos retardatos partus pro veris ac legitimis habere vellemus; neque aliter defendere iſtos liceret, quam ad modum parlamenti Gratianopolitani, quod ita olim concluſit: *prolem, quam mulier protulit, a qua maritus per quadriennium abfuerat, eſſe legitimum partum, ſiquidem poſſibile*

b) Vid. *Roederi* opuſc. p. 33.

c) Extant eiusmodi caſus apud *Donatum*, *Salmuthum*, *Schenckium*, *Sennertum*, *Timaeum* aliosque obſeruatores.

d) l. c. §. 14.

le eſſe poteſt, vt mulier per fortem imaginationem putauerit, ſe in inſomniis rem habuiſſe cum marito, atque ſic concepiſſe. Potius credendum eſt, praeeunte AMMANNO *e*) eiusmodi hiſtorias naturalibus nequaquam eſſe annumerandas, quoniam omnem fidem phyſicam ſuperant; et alium bonum virum rem habuiſſe in abſentia mariti cum hac muliere; etenim ſi tam efficax foret phantaſia, tunc plures (ſi non omnes) extra matrimonium ſic concipere poſſent, et ſic coniunctio viri nullo modo eſſet neceſſaria.

§. 14.

Sed ad errores illos nunc propius accedimus, quos mulierculae in calculo de conceptione ſua formare poſſunt. Vſitatiſſimum quidem, vnde grauiditatis initium illae petunt, ſignum eſt *ſupreſſio menſium*; quam vero fallaciis ſuis haud carere et experientia et omnes rei obſtetricariae auctores teſtantur. Foeminam enim grauiorem morbum ſuperantem, ideo quod inſequenti periodo lunare tributum non ſoluerit, quis audeat grauidam pronuntiare? Non opus autem eſt, vt ad morbos confugiamus, quum quicunque error diaeteticus et quaecunque animi affectio catamenia ſupprimere poſſit; quae et ſponte absque omni praeeunte morbo aliquando ceſſant, et grauiditatis ſuſpicionem apud mulierculas faciunt. Quae igitur ab vltimo menſium fluxu grauiditatis calculum ineuntes vno al-

e) Iren. p. 88.

alteroue menſe diutius ſe vtero geſſiſſe putant, inſignem in computatione errorem committunt. Quam ob rem MAVRICEAV *f*) de duobus foetibus vndecimeſtribus recte iudicauit, eos vltra nouem menſes in vtero matrum ſuarum haud eſſe commoratos, et fallaciam vel in morbo praegreſſo vel in menſium anomaliis deprehendit. Quod grauiditatis ſuſpicionem confirmat alterum ſignum eſt *intumeſcentia abdominis*; neque hoc tamen pro certo ac infallibili haberi poteſt, ſiquidem menſtrua ceſſare, mammae turgeſcere, et abdominales dolores percipi poſſunt, intumeſcente ſimul abdomine, et nihilominus tamen foemina nondum concepit, licet grauidam ſe cenſeat. Non ſolum enim menſtrua retenta, ſed et ouariorum et vteri hydrops, huiusque tympania, atque meſenterii ſcirrhus, praecipue autem mola abdomen tumidum reddunt, vanamque ingrauidationis ſpem iniiciunt, quae aliquot menſibus demum poſt contingit, durantibus adhuc horum malorum quibusdam, vel iis iam iam ſanatis. Neque *mammas lacte turgidas* grauiditatem certiſſime ſignificare exinde patet, quod et virgines ſuctu continuo lactis ad mammas affluxum inuitare poſſunt. Omnium autem auctorum teſtimonia hoc loco excitare nimis longum foret: reticemus igitur HIPPOCRATIS *g*) ARISTOTELIS *h*) et RODERICI A CASTRO *i*) aliorumque ſen-

f) Obſeruat. ſur la groſſeſſ. obſ. 339. et 556.
g) de natur. puer. p. 27.
h) hiſtor. animal. l. 7. c. 4.
i) l. c. Part. I. l. 4. c. 3.

ſententias, qui flatu vterum ſaepe diſtendi docent. Digna vero ſunt, quae adſcribantur SYDENHAMI *k*) verba, vbi abdominis tumores hydropem mentientes explicat. *Altera,* inquit *ſpecies flatibus ortum debet, qui non tumorem tantum, ſed et alia ingrauidationis ſigna pariunt. Haec viduas vt plurimum exercet, vel etiam mulieres, quae non niſi prouectiores aetate nupſerunt: atque hae tam ſuo ipſarum, quam obſtetricum iudicio, quarum oracula hac ipſa de re conſuluere motum infantis iam a tempore conſueto vsque ad legitimum tempus pariendi perſentiſcentes, quin ad eundem modum, quo grauidae ſolent, ſubinde aegrotantes, ſororiantibus inſuper mammillis, et lacte exſtillant, de faſciis haud raro. ceterisque ad excipiendum infantem neceſſariis, ſibi proſpexerunt; donec tandem venter pari quo increuerat gradu ſenſim detumeſcens, ſpem vanam eluſerit.* Placet, quam HEBENSTREITIVS *l*) hac de re tulit, adiicere ſententiam: *Quae foetum diffitetur, quamvis inquiet, menſes mihi deficiant, venter intumeſcat, liquor lacti ſimilis intra mammas ſit, manus etiam admota aliquid ſubeſſe deprehendat, quod motum ſpontaneum exercet, vt propterea grauida videri poterim, attamen cum hi effectus ex morboſa aliqua plenitudine vteri ſimiliter conſequi poſſint, me vtero gerere conuinci propterea haud potero.* Apparet itaque foeminas ſibi ipſis aliisque imponere,

k) Tract. de hydrop. p. 484.

l) Anthropol. forenſ. Sect. II. c. I. §. 5.

cum a primo tempore, quo incommoda haec affligere ceperunt, grauiditatis ſuae initium aeſtimant, cum tamen foetus ſanato morbo demum conceptus debitoque tempore ſit editus. Quodſi vero mali genius conceptionem non impedit, eaque durante eo contigerit, tunc etiam abdomen ante conceptionem tumidum poſt partum ſubſidere non ſolet. Falluntur quoque mulieres, quum *doloribus* illis *abdominalibus*, quos interdum ſtatim poſt conceptionem ſentiunt, nimiam fidem tribuunt, ſemperque ſeſe concepiſſe ſibi inde firmiter perſuadent: qui tamen ſubito et ſine omni praegreſſo concubitu oriri queunt. Etſi denique mulierculas vere concepiſſe, manifeſtiſſimaque ſuae grauiditatis ſigna habere largiamur, nihilominus erroneum computationis calculum eae committere poſſunt. Saepiſſime enim contingit, tales foeminas primis diebus vel hebdomadibus abortum et quidem iis inſciis experiri: quum igitur a prima illa conceptione grauiditatis calculum ineuntes paullo poſt abortiantur, iterumque aliquot ſeptimanarum ſpatio elapſo concipiant, quibus erroribus, quibusque fallaciis ipſarum computatio ſit obnoxia, facile eſt ad intelligendum.

§. 15.

Deſideramus porro qualitates quasdam partui ſerotino iure meritoque adſcribendas; in ſuperioribus enim euicimus, morboſam cum matris tum foetus ipſius conſtitutionem aut abortum moliri, aut,

quo

quo minus foetus iuſto tempore licet debilis in lucem edatur, non impedire, aut matris morbum in foetus detrimentum plane non cedere. Quae quum ita ſint, requirimus ad partum ſerotinum, vt pondus atque magnitudinem ſolito longe maiorem oſtendat infans; vltimis enim grauiditatis menſibus maximum incrementum capere foetum, idque in dies primis poſt partum hebdomadibus augeri, edocemur. Quo longius igitur foetus in vtero moratur, eo magis moles eius increſcat neceſſe eſt, ita vt naturali partu vix vnquam naſci poſſit. Refert hinc, eximiae magnitudinis, maximique ponderis, hinc ſectione Caeſarea excludendum foetum quendam b. ROEDERERVS *m*) ad ſerotinos, in iſtiusmodi partuum doctrina alias difficillimus. Anne vero et hic aliquis in computatione, quae ipſa in praeſenti caſu vaga et ambigua fuit, error? an reliquarum, quas expoſuimus, fallaciarum nulla irrepſerit? in quaeſtionem vocari omnino meretur. Non diffitentur quidem plures alii auctores foetuum ſerioribus menſibus natorum proportionem, naturalem longe ſuperantem, eamque potius in ſuae ſententiae fauorem vertunt; quemadmodum et ipſe ROEDERERVS, quem adduxi, foetum ſuum propter vaſtam molem et pondus octo librarum inter ſerotinos numerandum putauit. Hanc notam vero mere coniecturalem eſſe, quis non intelligit, inprimis cum ipſae mulierculae iuſtum conceptionis ignorent terminum? Alias, quas ſibi vindicat partus ſerotinus

m) Opuſcul. med. p. 41.

nus, notas, praeeunte Perill. DE HALLER *n*) indicaſſe ſaltem ſufficiat; vtpote qui merito deſiderat, vt in foetu retardato ſint nimiae perfectionis ſigna, fons pulſatilis arctior, os melius clauſum, capilli longiores; magisque colorati, vngues perfectiores, dentes nudi, ſtatura maior, vox melior, viſus perfectior, oſſa duriora.

§. 16.

Quae huc vsque disputauimus, concernunt foetum retardatum cum viuum, tum mortuum, quatenus nempe in vtero conceptus eſt, et partu vel naturali, vel difficili, vel artificiali extrahitur. Quodſi vero a partus notione recedas, infantemque vltra ſuetum tempus retineri tum poſſe affirmes, nos conſentientes habebis. Semper tamen ſtatum praeternaturalem tunc adeſſe, nec vnquam grauiditatem partu terminari, ſciendum eſt. Contingit autem talis retardatio ouulo extra vteri cauitatem poſt conceptionem, vel in tuba *o)* Falloppiana, vel in ouario haerente, ibidemque decenter explicito ac enutrito. Cuiusmodi ſingularem ingrauidationem eadem phaenomena, ac alias, etiam comitantur; menſtrua nempe deficiunt, abdomen intumeſcit, debitoque tempore dolores ad partum foetus exterminationem minantur. Foetus

n) Elém. phyſ. Tom. VIII. p. 425.

o) Vid. Camerarii diſſ. de partu XLVI. annorum §. 6. vbi plura exempla collecta inuenies.

tus autem iis non obtemperat, ſed vel putridus per inſolitas vias naturae ope demum eliminatur, vel induratur et quaſi in lapidem conuertitur, *p*) vel denique e uentre exciditur, *q*)

p) Huc ſpectat 1) Foetus *Senonienſis*, quem deſcripſerunt IOH. ALBOSIVS, PROVANCHERIVS, in peculiaribus commentariolis, et BARTHOLINVS hiſt. 100. Cent. 2 2) *Oſtentum Dolanum*, de quo vid. ARNOLD. SENGVERDI diſcurſus Amſtel. 1662. 3) *Foetus Muſſipontanus*, de quo vid. HENR. EYSSONII diſſ. med. de foetu lapidefacto &c. Groening. 1661. 4) *Foetus Tholoſanus* a FR. BAYLE in Zod. med. Gall. & 5) *Foetus* a CAMMERARIO diſſ. cit. deſcriptus. De putridorum exitu per inſolitas vias vid. BARTHOLINVS libr. de inſolitis partus viis.

q) vid. ABRAM. CYPRIANI epiſtola, hiſtoriam exhibens foetus humani, poſt XXI. menſes ex vteri tuba, matre ſalua ac ſuperſtite, exciſi, Lugd. Bat. 1700. 8.

TANTVM.

X.

JOAN. ZACCHARIÆ PLATNERI,

Progr. quo oſtenditur, medicos de inſanis et furioſis audiendos eſſe.

Lipſiae, 1740.

Si medentium Ordini ſententia dicenda eſt de hominibus, qui, poſtquam truculenta horrendaque facinora patrarunt, iudici, cui de his cognoſcendum eſt, inſaniae ſuſpicionem mouent, id non raro perarduum eſſe ac difficile, fateor. Sceleſti enim homines, vt furoris ſimulatione culpam poenamque a ſe auertant, omnibus machinis adhibitis enituntur, quibus ſaepe tela ſubminiſtrant rabulae atque latratores, vel inani gloriola, vel mercedula, inducti, qui nummis vendere verba ſolent. In eiusmodi caſibus, vbi de vita atque ſalute hominis decernendum, illud nobis verendum eſt, ne inſons, et qui ex lege aliquid excuſationis habere poſſit, ad vltimum ſupplicium rapiatur, ne vero etiam facinoroſus grauibusque flagitiis contaminatus fraude ſua atque malitia impunitatem conſequatur. Quapropter cordato medico, cui haec oculis obuerſantur, nihil minus optabile videtur, quam, vt frequens de eiusmodi infeſtis caſibus pronuntiandi ſit

ſit neceſſitas. Nec certe opus eſt, vt quis nos officii commonefaciat, cum id, quod vulgus haud ignorat, nec nos lateat, homicidam propter criminis atrocitatem et ipſam rei publicae ſecuritatem, id etiam iubentibus diuinis humanisque legibus, morte eſſe puniendum. Caueant modo illi, qui omni data occaſione magnifica atque verboſa exhortatione vtuntur, qua alios quaſi ex ſomno excitare, et in ſuam, quam defendendam ſibi ſumſerunt, ſententiam perducere manibus pedibusque conantur, ne in αὐθαδείας reprehenſionem incurrant, et videantur res ſuas adeo diligere, vt nihil, ab aliis profectum, ferre, ne dicam, probare poſſint. Abſit enim, vt in honeſtos grauesque viros, ſi forte quaedam varietas inter eorum noſtramque ſententiam fuerit, ſuſpicionem conferamus, eos aliquid ex vana incertae mentis leuitate dixiſſe. Eſt enim haec imbecillitas humana, vt de rebus, quibus non omnis perſpicuitas atque ἐνάργεια eſt, alius aliter ſentiat, id quod etiam ab vtroque ex optimae mentis conſcientia fieri quandoque poteſt. Omni potius cura atque opera enitendum eſt, vt, ſi forte in his rebus quaedam occultata tenebrisque circumfuſa ſint, ea, quantum fieri poteſt, indies magis pateſiant ac illuſtrentur. Atque id a rerum peritis fieri oportet, et, vt Stratonici, citharoedi verbis vtar: *ἄδοι τὶς ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.* a) Qui enim in alieno choro pedem ponunt, in hos eius-

a) V. *Athenaei* Deipnoſoph. L. VIII. C. X. p. 351.

eiusdem boni viri dictum quadrare videtur: Μὴ ἀνώτερον τοῦ σφυροῦ b). Igitur, ſi de inſania eiusque variis generibus iudicium ferendum eſt; hoc ab iis potiſſimum fieri oportet, quibus omnia, quae ad omnem hominis naturam propius perſpecta ſunt atque cognita, pertinent. Haud quidquam valere poſſunt leges, et qui putat, in legum nonnullarum verbis latentes notas hominis, non ſimulato, ſed vero, furore agitati inueniri poſſe, ii non rectius ſentiunt, quam, ſi quis ex HIPPOCRATIS verbis leges excuteret de puniendis foeminis, quae grauidae partum in vtero enecauerunt, et variis adhibitis auxiliis abortum fecerunt. Medici igitur de dignoſcendis inſanis audiendi ſunt, id quod, iam argumentis certis atque diſtinctis probare, operae pretium erit. Non vero aliam ob cauſam haec a me ſcribuntur, quam, vt oſtendam, Medicos, ſi de actionibus, quae ex inſania profectae ſunt, iudicium ferunt, rationes habere apertas certasque, alios vero, qui id, quod maiores ſapienter inſtituerunt, iam abolendum eſſe, ſine vllo argumento contendunt, nullas. Neceſſarium vero videtur, vt quaedam altius, et quaſi a capite, repetam, quibus probari poterit, omnis verae amentiae atque furoris ſedem in corpore eſſe, atque eam etiam aliunde ortam huius affectionibus, vel commutationibus, ali atque ſuſtentari.

Eſſe

b) c. I. conf. PLINII Hiſt. Nat. L. XXXV. C. 18. T. I I. Ed. Hard. p. 696.

Eſſe in nobis aliquid, quod cogitat, *g)* a corpore diſtinctum, nemo dubitabit. Quae enim corporis phyſici, vel, vt alii vocant, materiae, proprietates cognitae ſunt, eas omni cogitationi repugnare, et ab hac toto coelo differre, certum et omnibus exploratum eſſe opinor. Nec vero etiam exiſtimandum eſt, illius, quod cogitat, naturam omnem cogitatione abſolui; ſed illud ex hac potiſſimum facultate cognoſcitur, quod cogitando etiam diſcendoque quaſi ali ac ſuſtentari deprehenditur. Anima enim ſine corpore et ſine illa cogitatione, ad quam corporis miniſterium requiritur, exiſtere poteſt, quamuis ea, quamdiu corpori iuncta et hoc quaſi circumretita eſt, ſe ipſam aliter cognoſcere non poſſit, adeo, vt eius etiam ſe ipſam intuentis acies quaſi hebeſcere, et illa, dum de ſe ipſa cogitat, perturbari videatur. Omnis enim cogitatio per ſenſus, veluti per interpretes ac nuntios rerum, oritur, et, ſi anima etiam ſuas cogitationes percipit et de iis cogitat, illas tamen, de quibus cogitat, ex ſenſibus primum ortas eſſe, concedendum eſt. Senſibus vero, quos externos vocant, mirifice ad hos vſus factis, atque in corpore, capite potiſſimum, collocatis intexti ſunt crebri multique nerui, ex cerebro educti; quibus mediantibus omnem ſenſum atque perceptionem fieri, nemo, qui in phyſicis non plane plumbeus eſt, ignorat. Nam duo-

g) Vocabulo cogitationis omnem animae functionem intelligo.

duobus potiſſimum humoribus vita corporis noſtri tenetur, ſanguine et neruorum ſucco. A corde enim arteriae, a cerebro et cerebello nerui ad omnes corporis partes ducti atque directi pertinent. Per priores ſanguis omnisque calor et ſuccus, quo omnia aluntur, in viſceribus confectus atque praeparatus in vniuerſum corpus diffunditur, ſanguis vero iterum per venas in cor influit. A neruis autem, et vitale robur, et omnis ſenſus, omnisque etiam motus, proficiſcitur. Sine neruis nullus in corpore ſenſus eſſe poteſt, qui etiam, ſi ii ex varia cauſa adducuntur, multum intenditur, et, ſi infirmi fiunt atque reſoluti, hebeſcit ac penitus amittitur. Neruis vero, quorum admirabilis quaedam implicatio eſt, dum iis medientibus anima ſentit, nihil aliud accidit, quam, vt a rebus, quas ſentimus, earumque mole, figura, duritie, motu, aliisque, quibus corpora inter ſe diſcrepant, afficiantur, ita, vt minima ſaltem mutatio in iis atque eorum extrema externaque parte fieri videatur. Nolo nunc ad illam philoſophorum controuerſiam deſcendere, vtrum anima vbique in corpore praeſens in ipſis neruis ſentiat, an hoc fiat in cerebro, ita, vt ille in neruo factus motus ad cerebrum per neruum, veluti chordam tenſam, et ad id pertinentem, vel per fluidum perniciſſimum motum habens, quod in neruis eſſe ex multis indiciis cognoſcitur, adferatur. *d)* Hoc notum ac medentium obſeruationibus

d) Nouis experimentis priorum ſententiam haud ita

nibus manifeſtum eſt, compreſſo ab humore, aliisque rebus, vel praeciſo in animali viuo cerebro, et omnibus eius partibus, omnem ſenſum amitti, id quod etiam incidit, ſi neruus, qui ſenſum praeſtat, a quacunque re preſſus, vel, ſi is diſruptus, diſſectus, et a cerebro diuiſus eſt. Ex hac vero nerui commotione in nobis excitatur idea, ſeu prima et inchoata intelligentia, ac quaſi ſpecies quaedam, quam etiam in nobis percipimus. Haec autem ſpecies, ſiue idea, quae illa nerui commotione in nobis gignitur, differt, tum ab ea nerui ac cerebri affectione, tum etiam ab illa rei, quam ſentimus, natura eiusque motu. Homines enim, quamuis oculis videant, profundiſſime, niſi id aliunde acceperint, ignorant, qui fiat vt refulgens radiis ſuis varium colorem habentibus lux in neruo optico hanc commotionem efficiat, qua anima ſenſum accipit. Etiam ſonus humanae linguae, ſeu articulata vox, in homine, qui ſermonem intelligit, ideam gignit, quam non raro vehementes animi perturbationes ſequuntur, cum alius, idiomatis ignarus, ſonum, et praeter hunc haud quidquam, percipiat. Igitur obſcurum nobis eſt, vnde ſit, vt certae ideae animo comprehendantur, dum in ſenſibus, quos natura

. ita pridem confirmare ſtuduit ALEXANDER STVART de ſtructura et motu muſculari. Lond. MDCCXXXVIII. p. 24.

tura ſingulari artificio machinata eſt; quidam nerui aliqua ratione commouentur. Illa ſpecies, ſeu idea, eſſe ſolet clara, diſtincta, viuida atque perfecta, ſi talis fuit illa nerui ſentientis a re, quae ſentitur, affectio, et haec etiam aliquoties fuit repetita, et ſi ceteroquin ſenſui, neruis et cerebro integritas eſt. Iam vero quaſi tranſitus fit huius mutationis, quae in corpore accidit, in ipſam animam, quippe quae illam ſpeciem, ſiue ideam, per ſenſum aduenientem eique obiectam percipit, id quod, quomodo fiat, me ignorare profiteor. Illud noui, a corpore eiusque motibus cogitationem oriri, a cogitatione corpus moueri, et ſaepe vehementer commutari. Si tamen exiſtimandum eſt, id aliquo loco fieri, illud in cerebri medulla contingere a vero propius vel eam ob cauſam eſſe videtur, quod omnes nerui ſenſum praeſtantes ad eam feruntur, et quod, cerebro compreſſo, aboletur omnis ideam gignenti percipiendique facultas. *Senſorium commune* vocant illam cerebri partem, ad quam omnes illi nerui pertinere videntur. Idea vero ſic ex ſenſu genita et huic cum aliqua ἐνεργείᾳ quaſi impreſſa manet, ita, vt etiam aliis ideis poſtea ortis non facile deleatur. Ea potius ſubinde non ſolum ipſius nerui hunc ſenſum praeſtantis, ſed etiam aliorum aliqua affini commotione repetitur, id quod nobis, id volentibus, aeque ac inuitis, accidere, conſtat. Igitur ideae nobis obuerſantur, repetuntur, imo gignuntur aliae, rerum etiam, quae procul a ſen-

ſenſibus abſunt. Cum autem poteſtatem habeamus, has, rerum non ſolum olim perceptarum, ſed etiam aliarum ex his compoſitarum fictarumque, ideas producendi, facultas oritur, quae *imaginatio* vel *phantaſia*, dicitur, cuius maximae vires ſunt, et quae non raro a variis rebus, quibus alii, etiam viſceribus innexi, nerui, atque ac his cerebrum afficiuntur, non minus excitatur, quam a rebus, quae ſenſus feriunt. Si imaginatio illa quacunque occaſione ex idea viuida et ſaepius repetita excitata et quaſi inflammata eſt, accedit opinio firma et perſuaſio, rem, quam homo percipere ſibi videtur, etiam exiſtere. Quoniam idea non ſolum retinetur, ſed etiam, ſi iterum repetitur, nos iam olim illam a nobis fuiſſe perceptam, recordamur, imo quoniam per affines, atque quaſi propinquiores ideas eam, quam iterum, vt reuertatur, optamus, poſſumus reuocare, alia eſt facultas, quae *memoria* dicitur. Tandem etiam idea rerum ſenſibus perceptatum *voluntatem* incitat, vel non incitat. Si poſterius accidit, illa idea ἀδιάφορος eſt, ſi vero ea voluntas incitatur, oriuntur τὰ πάθη, animi perturbationes, ſeu affectus, qui omnes amore atque odio continentur. Si vero illa πάθη, vel re, mediantibus ſenſibus percepta, atque inde genita, vel per memoriam repetita idea, incitantur, ea etiam corpus conuellunt, et ita afficiunt, vt in eo inſoliti motus cieantur. Inter hos tamen motus diſcrimen eſt. Nam quidam affectus ſubito, magnaque cum vehementia, tempeſtatis ad inſtar, or-

ti, ita corpus quatiunt, vt quandoque etiam ſubitus et inſperatus vitae finis ſequatur, alii vero, qui magis cunctanter procedunt, corpus etiam valde, et nonnunquam adeo, affligunt, vt illud, longis deſperatisque morbis obnoxium factum, etiam ad mortem perduci quandoque ſoleat. Nec omittendum eſt, a quibusdam affectibus certos quoſdam muſculos cieri, id quod vel riſus atque fletus teſtantur. Illos muſculorum motus pictores norunt, qui hominum affectibus commotorum faciem poſitumque arte ſua exprimere atque imitari ſolent. Id etiam magno adhibito ſtudio moliuntur, qui ad pietatis imitationem, et aulici, qui ad principum magnatumque mutationes, vultum totumque corpus componere ſtudent. Supereſt illa palmaria ac princeps facultas, quam, reliquarum omnium praeſidem atque moderatorem, *rationem* vocamus. Haec, vt CICERONIS *e)* verbis vtar, *cauſas rerum et conſecutiones videt, ſimilitudines transfert, disiuncta coniugit, et cum praeſentibus futura copulat, et omnem vitae conſequentis ſtatum complectitur.* In beſtiis, praecipue praeſtantioribus, quae etiam ſenſibus inſtructae ſunt, quibus imaginatio atque memoria denegari haud poteſt, et quae, ira aliisque perturbationibus incitatae, ſaepe furentes ac violentos impetus faciunt, eſt rationis *ἀνάλογον*. Homo enim, adhibita alia facultate, quam *attentionem* vocare licebit, non ſolum de cogitationibus atque actionibus

e) de Finibus L. II. C. XIV.

bus ſuis cogitare, res, quae reapſe ita iunctae ſunt, ut ſeparari nequeant, diuidere et quaſi abſtrahere poteſt. Oritur ergo ex ea facultate illa intelligendi vis, qua res diuidere, ad claſſes et genera reuocare poſſumus, quam cognitionem alii *notionem vniuerſalium* vocant. Numeros omnemque quantitatem nos homines nouimus atque aeſtimamus, quamuis res, in qua illa eſt, nulla ſit: Qua mentis noſtrae facultate nititur logica et matheſis. Dum etiam actiones hominum plurium intuemur et inter ſe comparamus, vel diuidimus, naſcitur notitia virtutum atque vitiorum, nec non, quae his conſtituuntur, praemiorum atque poenarum. Homo igitur, adhibita illa attentione, ſe ipſum contueri et ideas in ſe genitas atque ab his orta deſideria perpendere, eas ad praeſcriptam legem normamque dirigere et omnium rerum euentorumque, praecipue propriarum actionum, conſequentiam praeuidere poteſt. Haec ſi diligentius adhibita illa attentione excutiuntur, a viuida, quae naſcitur, atque diſtincta cognitione gubernatur voluntas, ita, vt praecipiente ratione nobis imperare, appetitus, etiam eos, qui ex corporis conſtitutione oriuntur, alimentorum atque voluptatis venereae deſideria regere, animi motus atque affectus coercere, poſſimus. Nam, ſi quid ego ſentio, illi, qui, omnibus his appetitionibus motibusque abrepti, iis conſentaneas actiones ſuſcipiunt et flagitioſe ac turpiter faciunt, ſcelus conantur, inconſideratae temeritatis pleni, nulla neceſſitate preſſi, ſumma, et capitis pericula adeunt,

vel aliud quid prauum atque peruerſum producunt; illi, inquam, omnes eam adeo neceſſariam attentionem haud adhibuerunt. Hac enim ſi vſi fuiſſent, omnibus recte perpenſis atque excuſſis, intellectus dilucidam notitiam conſecutus eſſet, qua poſt etiam ipſa voluntas ad meliora flecti potuiſſet atque dirigi. Hanc attentationem aliorum monitis, conſilio, adhortatione, praeceptis et legibus excitari, iuuari atque roborari, nemo ignorat. Quemadmodum vero corpus in omnibus motibus, ſic etiam mens in ſuis actionibus, exercitatione multum firmatur. Igitur etiam homo, hac diligentius adhibita attentione, per conſuetudinem, et quaſi exercitationem, expetitam facultatem firmamque facilitatem habitumque conſequitur, ſe ſuasque actiones regendi, quare is prudens a prouidendo recte omniumque conſenſu dicitur. Stultus enim, neglecta egregia atque diuina hac facultate; attentione, ſolis appetitionibus ex corpore ortis atque inde natis animi commotionibus obedit, quibus is agitatus, iis ſimilis, qui in mari ſine gubernaculo fluctuant, ſcopulos euitare neſcit, ſed omnia ſtulte atque incaute agit, et tandem ſaepe fortunarum, honoris, omniumque rerum, aeternae etiam felicitatis, naufragium facit. Homo ob id legibus gubernatur, beſtia ſenſu, et ſenſus, quo ea olim affecta fuit, memoria. *f)* Sed dices, quorſus haec omnia

ſpectant?

f) Ne ambiguitas in verbis ſit, quilibet videt, me hic per ſenſnm ſignificare ipſum motum

nervis

ſpectant? quo tendit haec ambagibus plena molitio? Id, quod in homine accidit, qui integro ſtatu et omni valetudinis proſperitate vtitur, me exequi oportuit, vt nunc oſtendere poſſim, omnes has animae cogitantis functiones, et inter has etiam illam principem ac praeſidem, rationem, turbari atque euerti rebus, quae in corpore incidunt, et ſi hoc aliquo morbo impeditum vel oppreſſum fuit. Duo autem ſunt, ex quibus frequentius graues longaeque valetudines naſcuntur, ſi fibrarum omnium naturale et illud neruorum vitale robur reſolutum eſt, et, ſi ſanguis, nec bonus eſt, nec ſuo, quo decet, motu per ei accommodatas arterias venasque perlabitur. Naturale fibrarum robur ab elementorum cohaeſione dependet, ex qua etiam oritur illa, in quibuſdam veluti prae caeteris in arteriis tendinibusque conſpicua vis, qua fibrae, alia vi extrinſecus ſuperueniente, preſſae cedunt, adduci flectique poſſunt, mox vero, illa ſublata, in priſtinam ſedem ac figuram reuertunt atque ſe contrahunt. Nerui vero habent aliam virtutem, quam ex illo ſucco, qui in cerebro et cerebello praeparatur, eosque permanat, conſequuntur. Si vtrumque hoc robur, et praecipue arteriarum, ad cogendum mutandumque ac quaſi concoquendum omnem humorem adeo neceſſarius renixus, valde imminuitur, ſuccus crudus manet, nec

neruis impreſſum atque perceptionem, ſupra autem eodem vocabulo denotaui illud in corpore organon, quo medio ſentimus, videmus, audimus.

ad alios teneriores ſuccos, inter quos etiam ille eſt, quem in neruis eſſe dixi, conficiendos ſatis idoneus. Cordis motus ſi turbatur, et cum ſanguis non ſatis ſubactus eſt, vitiantur omnia humida, et illud etiam, quo fibrae aluntur, quae debiles laxaeque fiunt et corpus infirmum reddunt. Etiam, ſi ſanguis, nec bonus, nec eo, quo decet, motu ad cerebrum profunditur, neruorum ſuccus non perfici poteſt, quare etiam in neruis illa vitalis vis reſoluitur. His ita poſitis, non dubitari poterit, ad ſenſum atque cogitationem haec duo, quibus omnis fere corporis valetudo tenetur, etiam requiri. Certe ad omnem ſenſum et cogitationem neceſſarium eſt, vt ſanguis, qui ex toto corpore in cor confunditur, bene confectus ſit, vtque is ex hoc in omne corpus ſuo ſedatoque motu perlabatur, vt vero etiam fibrae neruique habeant aequabilem ſuam firmitatem. Atque igitur exiſtimandum eſſe, opinor, has animae facultates turbari inuertique, ſi motus illi in corpore, vel languidi ſunt, vel concitatiores, vel alia ratione turbati ac inconditi, et ſi humores corrupti ſunt. Crebra etiam animaduerſione haec perſpecta ſunt, ita, vt de iis nemo dubitare poſſit. Quod enim ad ſenſus extrinſecus in corpore collocatos attinet, oculis, in aere quaſi volitantes conſpiciuntur bullulae, fere pellucidae, ſi in tunica choroidea ſub retina venae minores lymphae accommodatae intumuerunt, maculae vero obſcuriores et nigreſcentes, ſi id accidit arteriis veniſque, per quas ſanguis ducitur *g*) Si neruus opticus conuellitur, oculis

g) V. *Archibaldi Pitcarnii* Elementa Medicinae phy-

lis obſeruantur micantia ac coruſca fulgura, quibus omnia, quae homo videt, collucent. Ex convulſis nervoſis fibris ligamenti ciliaris, forte etiam ex celeriori humorum motu per retinam, et ſi huius fibrae ſummam teneritudinem habentes non aequaliter intenduntur atque etiam conuelluntur, naſcitur illud imbecillitatis genus quod ἀμβλυωπίαν vocamus. *h*) Homo enim videt, ſed minus diſtincte, ita, vt res, quas ille cernit, vacillare, moueri, numero etiam augeri atque multiplicari, videantur. Ebriis, et qui vertigine caduca laborant, hoc frequens eſt. Nihil dicam de eo valetudinis genere, quo homo rerum, quae ſub aſpectum veniunt, non niſi dimidium cernit, reliquum non cernit, quod etiam oritur, ſi nerui optici pars reſoluta fuit. *i*) Quemadmodum vero anima per oculos videt, per aures audit, ſic etiam illa per cerebrum et huius fibras percipit et cogitat. Nolo repetere, cerebro a quacunque cauſa compreſſo, perire omnem ſenſum atque cogitationem. Infantibus nulla fere cogitatio, nec rerum ſenſibus perceptarum memoria, eſt, quia fibrae nimiam teneritudinem habent, quae, vergente aetate, iterum torpeſcunt.

L 5 vi-

Phyſ. mathem. L. II. C. XIII. et *Eiusdem* Diſſ. med. p. 12.

h) V. *The Medical. Eſſays publiſhed by a Society in Edinburg*, Vol. IV. Obſ. XIV. pag. 207.

i) *Abrahami Vateri* Diſſ. de Viſus vitiis duobus rariſſimis, duplicato et dimidiato, Witteb. MDCCXXIII.

Illud vero non modo mirabile, ſed etiam portenti ſimile, nonnullis viſum fuit, foeminam, quae per viginti annos ſuae mentis haud fuerat, (*ſubiect to the Fits of Lunacy*) de alta praeruptaque rupe delapſam, et ita proſtratam, vt ei humerus etiam fractus fuerit, ex hoc caſu illa valetudine fuiſſe leuatam: *k*) non aliam certe ob cauſam quam, quod in cerebro hoc vehementi motu mutatio facta fuit. Vanas igitur imagines accipit anima, et ideae excitantur alienae, non ſolum, ſi externi ſenſus mutati ſunt, ſed etiam, ſi cerebrum aliter affectum eſt, id quod quilibet deprehendere poteſt in homine, qui, ſomno vinoque merſus, vel febrem habens, aliena loquitur. Cum vero illae ſaepius commemoratae ſpecies, vel ideae, in cerebro, per neruos, et horum aliquam commotionem, gignantur, fieri poteſt, vt, ſi vel ipſi ſenſibus accommodati, vel alii nerui ad cerebrum etiam pertinentes, ſimili ratione fuerint commoti, etiam ſimilis efficiatur idea. Melancholiae enim atque inſaniae, cuius plura genera ſunt, prima origo non ſemper in cerebro eſt, ſed ſaepe in viſceribus. Nihil dicam de variis venenorum generibus, quae in cane rabido, tarantula, aliisque animalibus et herbis ſoporiferis, hyoſcyamo, ſtramonio, aliisque ſunt, ſed ex innumeris fere vnum, in vulgus etiam notum, adducam. Foeminae non raro deſipiunt, ſi iis

k) V. *Nicolas Robinſons Nev Syſtem of the Spleen-Vapours and Hypochondriack Melancholy a London*, MDCCXXIX.

ſi iis menſtrua non proueniunt, *l*) viri, ſi haemorrhoides, alias ſanguinem fundere ſolitae, ſuppreſſae ſunt, *m*) cum vtrumque ſanguinis profluuium aliquam purgationem habeat. Virgines quandoque inſaniunt, ſi iis, voluptates appetentibus, non licet venere vti. Tale vero omnes breui ad ſanitatem perueniunt, et mens componitur, ſi illis humoribus, qui, ad viſcera inclinati, horum neruos adficiunt, exitus datur *n*) Nam humidis, quae in corpore relicta

l) Conf. *Hippocratem* de Virginum morbis, Edit. Lind. T. II. p. 356. et *Eundem* de Superfoetatione §. 24. T. II. p. 660.

m) V. *Hippocratem* de morbis Epidem. L. V. §. 31. T. I. p 766. Hoc ego olim expertus ſum in homine ruſtico, ad quem me adduxerat Doctiſſimus Vir *Beniamin Gottl. Garmannus*, *Chriſtiani Friderici* filius, arte, quam facit in patria, quae nobis communis, Chemnitium, eſt, nobilis et clarus, mihi vel propter amicitiam, quae inter nos a teneris contracta cultaque fuit, diligendus. Homini illi agreſti, cum malis inteſtinorum torminibus excruciaretur, perſuaſio erat, inteſtina omnia ab vxore, etiam non praeſente, magna vi adhibita, ex abdomine educi et in orbes glomerari. Atque obſeruauimus, tormentum, prodeunte in conſpectum vxore, multum intendi. Iam plures, morbum ex veneficae mulieris faſcino ortum eſſe, clamitauerant, ſed, cum ex certis indiciis deprehenderimus, ora haemorrhoidum ſanguinem fundere ſolita ſuppreſſa eſſe, dedimus medicamentum, quo aluus ducta fuit. Deiecit cum ſanguine multam atque tenaciorem pituitam, et omni inſania diſcuſſa, conualuit.

n) Mulier inſaniens, per vrbem Italiae peragrans, in-

relicta corrumpuntur, partes neruoſas, et per hos cerebrum, affici, vt anima etiam vanas imagines accipiat, a vero propius eſt. In nulla tamen cogitationis ſpecie maiores mutationes fiunt, quam in phantaſia, praeſertim, ſi aliae ideae memoriae infixae repetuntur, et multo magis, ſi phantaſia vehementioribus et cum impetu erumpentibus, vel animo pertinaciſſime inſidentibus, πάθεσι, concitatur, et quaſi incenditur. Vanae enim imagines, quas tales miſeri accipiunt, ita inhaerent, et mens illis adeo addicta eſt, vt nulla adhibita ratione deleri et ex animo euelli queant. Sed vero hic obloquentes audio: igitur, ſi phanthaſia per τὰ πάθη incitatur, concedendum erit, hanc mutationem non a corpore, ſed a voluntate fieri, cum omnis affectus in voluntate conſiſtat. Sed, qui ita ſentiunt, eos oportet et noſſe, qualis haec ſit, vbi ea ſibi relicta et ſine animi perturbatione eſt, et quoque conſiderare illa τὰ πάθη. Phantaſiam quibusdam corporis motibus excitari, docent Poetae, qui, poſtquam vino incaluerunt, plena grauiaque carmina fundunt. Nam

> Ennius ipſe Pater nunquam niſi potus ad arma
> Proſiluit dicenda. *o*)

Ad

inciditin tabernam meritoriam, et vna nocte plurimum venere defatigata fuit. Ei, cum per multos annos menſtruis purgata haud eſſet, accidit multi ſanguinis profluuium. Mane, non ſine magno pudore, menti reſtituta, diſceſſit. Vide *Alexandrum Benedictum* de re medica L. I. p. 23.

o) *Horatius* L. I. Epiſt. XIX. v. 7.

Ad vinum etiam et inter pocula plures diſerti fiunt, qui ad aquam et in foro magis muti ſunt, quam piſces. Si igitur ingenium rebus, quae in corpore ſunt, acuitur aliturque, minor dubitatio erit de πάθεσι. Corporis habitus, et ſic dictum temperamentum, aetas; victus homines ad nonnullas animi commotiones perturbationesque haud minus procliues reddit, quam ad varias corporis aegrotationes. Totum vero diſcrimen inter homines in illa humidorum mobilitate atque in fibrarum partiumque ſolidarum robore eſſe videtur. Ad animum abiectum iacentemque hominis meticuloſi erigendum ſaepe plus valet vini Opimiani potio, quam rationes argumentaque grauiſſima et ad perſuaſionem maxime appoſita. Animi quoque ferocitas deprimitur, audacia et bellica virtus frangitur; ſanguinis profuſione, aliisque, quibus corpus exhauritur. Quod contra magno etiam et expertae virtutis Duci MARLEBORVGHIO ante obitum accidiſſe legimus, *p)* et, quod ipſe in aliis aliquoties obſeruaui, viri olim ſtrenui atque firmiores, imo celſo et erecto animo praediti, ſi eorum corpus neruorum reſolutio infeſtat, hunc animum adeo abiiciunt, vt, re fere quauis, quae vel mediocrem, tum voluptatem, tum dolorem, adferre poteſt, commoti, lacrymas profundant. Etiam medentibus notum eſt, quosdam aegros, praecipue, qui hypochondriaco malo conflictantur, vix non omnes, adeo timidos et nullius fere animi eſſe, vt vi-

tae

p) *Robinſon* c. l. P. I. C. VI. p. 83.

tae ſalutisque ſuae deſperent, alios autem, inter quos ii prae caeteris ſunt, quod periculoſius aqua inter cutem et tabes male habet, quamuis extremus ſpiritus iis in primis fere ſit labris, optima felicis euentus ſpe teneri atque ſuſtentari. Huius rei cauſam cum NICOLAO ROBINSONIO *q*) eſſe exiſtimo, quoniam in priori valetudinis genere nerui ſenſum habentes maxime affliguntur, in altero vero humores vitiati ſunt horumque minora receptacula. Nec ob haec et alia, opinor, quenquam inficiaturum eſſe, τὰ πάϑη, quae iure animi morbi dici poſſunt, ex corporis habitu atque aegrotatione naſci, augeri, roborari inuerti ac deprimi. Id vero etiam de memoria confitendum eſt, ſine qua phantaſia vix conſiſtere poteſt, quae varia etiam corporis valetudine aboletur. Si nullus ſanguis ad cerebrum confluit, id quod in ſyncope, quieſcente corde, et in apoplexia, compreſſo cerebro, fit, perit omnis ſenſus, et nulla rerum, quae ille tempore contigerunt, recordatio eſt. Si in epilepſia teneriores cerebri fibrae, et cum his muſculorum nerui, vehementius diſtenduntur, aeger nullum, tum ex hac diſtentione, tum ex vrente etiam igne extrinſecus admoto, dolorem ſentit, nec etiam quid ſibi acciderit, nouit. Caeteroquin innumerae proſtant obſeruationes, memoriam ex nimia venere et vſu medicamentornm calidorum, *r*) ex

q) c. l. P. II. C. III. p. 194.

r) V. *Georgii Wolfgangi Gilgii* Diſſ. de Memoriae laeſione ex nimio veneris vſu, Altd. MDCXCI.

ex febre maligna, *s*) ex colica ſpasmodica, *t*) aliisque, intercidiſſe. Id olim ex peſtilenti morbo, qui Graeciam depopulatus eſt, contigiſſe, et conualeſcentes tantam rerum ſuarum obliuionem cepiſſe, vt, neque ſe ipſos, neque neceſſarios, agnouerint, ex THVCIDIDE *u*) diſcitur. Equidem, vt propius ad exitum perueniam, ex his conceſſis concludi poterit, omnem phantaſiam, ex ſenſu et memoria naſci, eam vero mirifice excitari, tum illis animi perturbationibus, tum variis morbis atque rebus, quae in corpore praeter naturam exiſtunt. Superuacuum foret, mirabiles et non raro furiatas phantaſiae vires multis iam exſequi, et praeſtantiſſimorum Medicorum hiſtoriis illuſtrare. *u*) Phantaſia enim, rebus, quae in corpore ſunt, excitata, arripit nonnunquam aliquam ideam, praecipue, haec

s) V. *Hermanni Pauli Iuchii* Diſſ. de Singulari memoriae imbecillitate ex febri maligna, Erf. MDCCXXXI

t) V. *Chriſtiani Vateri* Diſſ. de Memoriae et capitis laeſione grauiſſima ac colica ſpaſmodica, Witteb. MDCCXXII. conf. *the Poſthumous Works of Robert Hooke*. p 140.

u) Hiſtor. L. II. Cap. L. p. 129.

x) Iam *Hippocrates* de Virginum morbis c. I. de puellis viro maturis varia morborum genera, et inter haec etiam illud recenſuit, quo miſeris voluptas eſt qua mortem veluti bonum aliquod, amant. *Alexander Trallianus* L. I. CXVI. p. 35. de melancholicis, inter plures alios etiam retulit eos

ſi haec, vt ſupra retuli, per τὰ πάθη, vel aliquam conſuetudinem, viuidior facta et cerebro cum aliqua ἐνεργεία impreſſa fuit. Qui libidine et amore incenſi ſunt, ſi illis ex alia occaſione animus perturbatur, effrenata etiam libidine agitantur, qui in rerum ſacrarum contemplationibus atque lectionibus multum verſati ſunt, tandem incitata phantaſia, vaticinantium in modum, voces triſtificas magno cum impetu promunt, et fatale patriae excidium produnt, tandemque etiam cum his neruorum diſtentionem paſſi inconditis plane ac concitatiſſimis corporis motibus agitantur *x)* Non parum confert

eos, qui Φιλȣσι τὸν θάνατον, et alios, qui Φιλȣσι τὴν σφαγὴν, ſeu, qui vt id interpretes reddunt, iuguluri optant. Plura alia egregia habet Trallianus, qui de *Philodoto* Medico etiam prodidit, eum quendam, qui ſibi caput praeciſum eſſe putauit, impoſito repente plumbeo pileo, curaſſe. Conf. inter alios *Marcelli Donati* Hiſt. med. mirabiles L. II. c. I. Ex *Robinſonio* P. II. c. 2. p. 191. illud addimus, fuiſſe virum nobilem doctumque et in philoſophia etiam exercitatum, qui putauit corpus ſuum eſſe *a Hobby. Horſe, Steckenpferd*, vel id quod Poeta his verbis exprimit:

equitare arundine longa.

Hic omnes inuiſentes amicos, oblato tergo, inuitauit, vt id conſcenderent.

x) Vid. *Le naturaliſme des convulſions dans les maladies de l' Epidemie convulſionaire, a Soleure* (LVTETIAE) MDCCXXXIII. cuius Autor fuit PHILIPPVS HECQVET, Medicus Pariſienſis, pluribus ſcriptis editis clarus. Aliud genus inſaniae de-

fert ad haec omnia, ſi cerebri medulla tenerior et ad has ſpecies recipiendas magis accommodata, et quaſi nimis irritabilis eſt. Quemadmodum enim nerui ex varia occaſione, praecipue, ſi illi aliquantum adducuntur, magis ſentiunt, ita etiam illae tenerrimae cerebri fibrae, quibus interni ſenſus praeſtantur, ex variis cauſis, plus, minuſue, his aptatae ſunt, et aliae fibrae, quae ad muſculorum neruos pertinent, etiam maiorem habent mobilitatem. Phantaſiae autem ex alieno ſenſu falſaque idea ortae, ſuis cauſis incitatae, ac his manentibus quaſi corroboratae, accedit tandem, vt PLINII *y*) verbo vtar, attonita perſuaſio, quam miſeri, qui ita affecti ſunt, ſibi de re, quam ſibi ſentire videntur, induunt. Haec longe validior eſt, quam omnis ratio, et ſuperat etiam ac deprimit illam

deſcribit ARETAEVS de Cauſis et ſignis morborum diuturnorum L. I. C. VI. Quidam *membra ſibi conſcindunt, Diis ſuis, quos id a ſe expoſcere credunt, ex religioſa quadam opinione gratificari ſe exiſtimantes. Id genus furoris in perſuaſione quadam omnino conſiſtit, cum in aliis rebus ſapiant. Excitantur autem, aut tibiae cantu, aut hilaritate, aut temulentia, aut praeſentium hortatu. Furor hic a Diis immittitur. Poſtquam autem conquieuerunt, hilares, et cura ſoluti ſunt, Deorum ſacris ſe initiatos eſſe cenſentes; decolores tamen, et extenuati, et infirmi ex vulnerum doloribus diu remanent.*

y) H. N. L. XXV, C. I. T. II. p. 498.

illam diuinam attentionem, et cogitationum propriarum actionumque intelligentiam; Quare in aëre piſcantur, qui argumentis, etiam dilucidis ac grauibus, hanc phantaſiam impugnare et iis vanam perſuaſionem auertere atque ex animo euellere conantur; quibus omnibus nihil aliud plerumque obtinent, quam, vt ea per repetitam his argumentis ideam maiores vires acquirat. Qui ſacro furore cientur, hanc viuidam ideam et incitatam phantaſiam cum perſuaſione lucem vocant ſibi intus obortam, haec omnia ad numinis diuini inſtinctum afflatumque referunt, atque ſic ſaepe, et ſe ipſos, et alios, nimis credulos, fallunt. Vbi ideo anima his vanis imaginibus pertinaciter addicta eſt, morbus eſt, cui occurrere, vel mederi, non poſſumus, niſi is, et omne, quod illam phantaſiam alit atque incitat, tollatur. Si vitium in humidis eſt, id, quod corruptum fuit, educi, vel inuerti, oportet. Si, quod frequens lienoſorum virorum et hyſtericarum foeminarum malum eſſe opinor, *a)* totum corpus infirmum eſt, et fibras atque neruos perquam imbecillos habet, corpus exercitatione, frictione, ſalubri victu, abſtinentia, firmandum eſt, quibus rebus diu multumque adhibitis morbus interdum deſperatus vincitur. Morbus vero etiam dicendus eſt illa cerebri affectio, quae ex aliis cauſis orta fuit. Nemo enim negabit, plures deſipere, qui

a) Id ſingulari ſtudio executus eſt ſaepe iam adductus ROBINSONIVS c. l.

qui caeteroquin corpore ſalubri ſunt, qui vero vel ex vehementioribus deſideriis et animi perturbationibus, vel ex acri literarum ſtudio ac meditatione, de omni mentis ſanitate deturbantur. De illis animi perturbationibus, vel πάθεσι, iam conſtare arbitror, illa maximam vim in perturbando conuellendoque corpore habere. Qui vero incitatius ad ſtudia incumbentes ex intenta longaque meditatione atque ingenii exercitatione vere deſipiunt, horum cerebrum etiam male affectum eſt. Nam, huius miniſterio animam cogitare, ſupra retuli. Laeſo enim et exulcerato ſicco et arido facto, et multis aliis modis vitiato cerebro mentem etiam mutari omnemque praecipitari, corpora poſt obitum inciſa Medicos docuerunt. *b)* Et veriſimile eſt, cerebri teneriores fibras, quae ad omnem cogitationem neceſſariae ſunt, nimia exercitatione infirmari, conuelli, aliaue ratione mutari atque affici, quemadmodum in aliis corporis ſedibus nerui facultatem ſenſus praeſtantes per nimium ſenſum ſuam facultatem amittunt. Si vero ex

 eiusmo-

b) Vid. plures obſeruationes in *Theophili Boneti* Sepulchreto Anatom. L. I. Sect. X. p. 206. ſq. conf. *Henrici ab Heer* Obſ. med. c. Spadacrenae editas Obſerv. III. p. 45. aliam *Theodori Zuingeri* in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. VI. Obſ. 234. p. 450. et *Iohannis Dominici Santorini* Obſ. Anat. Cap. III. P. 33 quo etiam referre poſſum id, quod in huius vrbis valetudinario aliquando obſeruaui, vide Compendium Chirurgiae §. 531.

eiusmodi occaſionibus labes cerebro illata fuit, illa plerumque manet, et raro permittit, vt animus poſſit iterum componi. Nam et hoc obſeruatio docuit, eos, qui ex literarum ſtudio deſipere coeperunt, longe difficilius ad ſanitatem redire, quam illos, quibus inſania ex vitiato aliquo humore, aliaue corporis valetudine, quae tolli poteſt, enata fuit. Iam vero etiam illud patefieri atque illuſtrari poterit, in quo potiſſimum totius rei cardo vertitur. Cum enim homines, qui, cupiditatibus ardentes, illisque πάθεσι et vehementioribus perturbationibus incitati, parum ab inſanis ac furentibus diſcrepare videantur, illud quaeritur, qualis inter inſanum furentemque et inter ira incenſum ſit diſtinctio, cum et hic de poteſtate, id eſt de conſilio, de ratione, de mente, exiiſſe videatur. Sed diſcrimen exitu et temporis longinquitate atque breuitate potiſſimum, deprehenditur. Qui enim animo, ira, libidine, aliisque cupiditatibus, percito, rabioſe agunt, illi, poſthabita mentis attentione, dominatum permittunt τῷ πάθει, ſed ad breue tempus. Nam, poſtquam ira, aliaeque cupiditates, deferbuerunt, id quod celerius plerumque accidit ſi valde vehemens fuit ac praeceps animi commotio, mens iterum componitur, et hominem, qui ſe ipſum contuetur, dedecentis malique facinoris poenitet, pudet atque piget. De iis loquor, qui incitata per τὰ πάθη voluntate contra rationem agunt, non de aliis, quibus animus iam obfirmatus et aſſuetudine mali efferatus eſt. Homo vero demens, et cuius

anima

anima vanis imaginibus addicta eſt, ſi is ex furore egit, poſt commiſſum etiam flagitium ſibi plerumque applaudit, maxime, ſi, patrato facto, id, cuius cupiditate is inductus fuerat, conſequi potuit, vel illud ſe conſecuturum eſſe ſperat. Nam in tali iam ab impreſſa viuida ac ſaepius repetita idea immutatum eſt cerebrum, per hoc corrupta phantaſia, et ab hac quoque concitata voluntas, vt idea ſemper fere homini obverſetur, quae omnem rationem deprimit, et quaſi exſtinguit, hominem vero vrget, cogit, et ad id, quod in turbato animo habet, exſequendum compellit. Ratione igitur haec idea in vere deſipiente ſuperari nequit, quae in aliis, ſanis, animi vero perturbatione commotis, modo adhibere velint illam homini diuinitus datam attentionem, leuato illo primo illius impetu, nouas iterum vires colligit, et animum ad meliora conuertit. Nec illud ommittendum eſſe ſentio, eos, qui vanis imaginibus addicti ſunt, et corrupta phantaſia laborant, minime in aliis ratione carere. Tales prudenter de omnibus loquuntur, et, vt CELSI *b*) verbis illud exprimam, *etiam artes adhibent* M 3 *ſum-*

b) De Re medica L. III. cap. 18. *Ariſtoteles* de Mirabilibus Auſcultationibus in Edit. *Petri du Val* de anno MDCXXIX T, I, p. 1152. retulit, de caupone Tarentino, eum nocte quidem inſaniuiſſe, interdiu vero vina vendidiſſe, ſed clauiculam domus ſuae in zona ita conſeruaſſe, vt eam, quamuis plures ſurripere tentauerint, nunquam amiſerit. Et *Galenus* de Symptom. different. Cap. III. Edit. Charterii T. VII.

ſummamque ſpeciem ſanitatis in captandis malorum operum occaſionibus praebent. Dolus itaque inſanientium eſt, qui etiam, poſt commiſſum flagitioſum factum, huius, et omnium, quae illo tempore inciderunt, recordantur, imo, qui eodem CELSO teſte, *dum leuari vinculis cupiunt, ſanos ſe fingunt, et prudenter ac miſerabiliter loquuntur.* Hoc vero vnde ſit, ex hactenus dictis intelligi exiſtimo. Idea enim illa infixa non totum cerebrum omnesque huius fibras, ſed pauciores ſaltem, laedere videtur. Inſania itaque morbus eſt corporis, quo hominis cerebrum ita afficitur vt is, vel de omnibus, vel de nonnullis demum, rebus recte cogitare et voluntati ſuae imperare nequeat. Is vero inſanire dicitur, qui intra verba deſipit, aut leuiter etiam manu peccat, furere vero alius, qui ſe violentius gerit, et, vel ſibi, vel aliis, nocet. In cauſam vero, ex qua haec valetudo orta fuit, nullam diſcrepantiam conferre poſſumus. Nam furor ἐνθουσιάζοντων, ex acriori rerum ſacratiſſimarum meditatione ortus, non minus vrget et homines compellit, vt ſibi aliisque manus in perniciem armatas adferant, quam is, quem effrenus et libidinoſus amor peperit. Etiam inſanus eſt,

VII. p. 35. prodidit de *Theophilo*, Medico aegrotante, eum in caeteris omnibus prudenter diſſeruiſſe, et praeſentes exacte nouiſſe, ſed tamen ei illud perſuaſum fuiſſe, tibicines quosdam in angulo quodam domus aſſidue tibiis modulari ac ſonos edere. Eum igitur precibus obteſtatum eſſe omnes, vt hos domo eiicerent.

eſt, cuius dementia non continua eſt, ſed interualla habet, quibus mens interdum redit. Niſi enim hoc concedas, ſani, mentisque compotes dicendi ſunt omnes, qui ex febre deſipiunt. Hi enim, vbi ſpatia inter febris acceſſiones ſunt, dum haec vel ex toto in remiſſione deſiſtit, vel leuior fit, ad ſe ſanamque rationem redeunt, quod illo intermiſſionis tempore ſanguis minori impetu et magis compoſito motu per cerebri arterias diducitur. Tales vero nihilominus, aucta febre, et dum altera acceſſio accedit, iterum aliena loquuntur, inſurgunt, et ſaepe violenter, etiam manu, agunt. Atque vt tandem vela contraham, ſi inſania morbus eſt, non animae, ſed ipſius corporis, plerumque etiam ex alia corporis valetudine natus, quis quaeſo alius de hoc morbo num is verus ſit, num ſimulatus, ſtatuere poterit, quam Medicus, qui, vt corporis naturam et morborum abditas continentesque cauſas perſpectas habeat, omni data opera enititur, et qui etiam harum valetudinum, quibus is non raro medetur, notitia iudicem inſtruere melius, quam quisquam alius, poteſt. Quocirca huius iudicio res omnino permittenda eſt, id quod, vt iis ſatisfiat, apud quos nonnunquam plus valet aliorum autoritas, quam ratio, ex praeſtantioribus Iureconſultis, praeter IOHANNEN BRVNNEMANNVM *c*) et BENEDICTVM CARPZOVIVM *d*) etiam iubet vir acri-

c) De Inquiſitionis Proceſſu Cap. VIII. §. 86. p. 65.
d) Quaeſt. Criminal. P. III. Qu. 95. p. 323.

oris iudicii, CHRISTIANVS THOMASIVS. *e)* Haud aliena, neque illud, curabunt medici, num inſanis poena irrogari queat, num vero illi debeant vinculis coerceri. Illi modo, qui Medicis de his rebus omnem fidem derogare conantur, videant, ne iis accidat, quod ante non ita multos annos, Iurium Doctoribus, qui, ſi IOHANNIS WIERII, IOHANNIS WEBSTERI, aliorumque Medicorum, monitis obtemperaſſent, non tot miſeros, pauperculas inprimis anus, veneficii damnatas, ſagarum nomine, ad miſerrima et crudeliſſima ſupplicia dediſſent. Nam corruptae phantaſiae labem, aliqua quaſi contagione, etiam interdum in alios homines atque latius manare, hiſtoria de virginibus Mileſiis, *f)* aliaeque innumerae, docuerunt.

e) In Diſſert. de Praeſumtione furoris atque dementiae, Halae, MDCCXIX.

f) Vide de his PLVTARCHVM de virtutibus mulierum T. II. p. 249. et *A. Gellium* Noct. Atticar. L. XV. Cap. X. p 678.

XI. Io-

XI.

JOAN. CHRISTOPHOR. POHLII.

Progr. de lethalitate vulnerum lienis.

Lipſ. 1772.

Etſi multae ſunt magnaeque profecto vtilitates, quas accurata corporis animalis cognitio phyſiologiam, pathologiam et chirurgiam tractantibus afferre ſolet: non minor tamen ea videtur eſſe quam huius cognitionis comparandae cupidi, vel eiusdem comparatae laude inſignes exinde percipiunt, vt nimirum in munere publico phyſici rite adminiſtrando, inprimis in conſideratione et examine vulnerum, atque in iudicio de maiori vel minori gradu lethalitatis ferendo, quo fere omnis poenarum et ſuppliciorum ratio in foro nititur, certam ac firmam regulam et veluti normam teneant, ad quam indagationis et ſententiae ſuae modum referre poſſint atque exigere. Niſi enim viſcera ſolidaque corporis in genere penitus cognoſcimus; niſi diuerſitatem ſtructurae vel craſſioris vel ſubtilioris nobis perſpectam et quaſi familiarem reddimus, non poſſumus ad officium varium ab iis praeſtandum, nec ad eorum maiorem vel minorem vſum concludere. Ad haec momenta vero omnia redeunt, quaecunque medici phyſici in recenſione

laeſionum enarrare debent, ſi ex iis iudicem nonnulla repetere oporteat, quae reum quaqua ratione tangant. Quomodo enim iudicium ferri poteſt, vtrum vulnus lethale ſit, nec ne, niſi ſtructura intima nos doceat, in hoc vel illo viſcere humores praeparari, qui ad vitam conſeruandam maxime requirantur, vel niſi definire audeamus, ob nexum ſingularem cum alio viſcere, illud quod laeſum eſt, ad vitam trahendam fuiſſe neceſſarium. Notum enim eſt, omnia viſcera corporis noſtri eſſe quidem neceſſaria, per laeſionem cuiuscunque eorum quaedam negotia corporis plane ceſſare, vel ſaltem ad tempus interrumpi, interim tamen et hoc ſcimus, vnum prae altero ad primaria officia in corpore praeſtanda deſiderari. Sic e. g. pulmo, hepar, lien, quanquam diuerſae ſunt ſtructurae, tamen vulnera horum viſcerum ſemper cum diſcrimine vitae ſunt coniuncta, multoque adeo periculoſiora quam laeſiones partium e. g. genitalium, quae ſubtilitate ſtructurae illa profecto longe ſuperant, quoniam ſine illis homo non viuere, ſine his vero vitam omnino protrahere poteſt. His itaque principiis artis ſi conſtanter inhaeſerimus, ea, quae communiter in libris ad hanc partem medicarum doctrinarum ſpectantibus, recenſentur, probe a nobis diiudicari poſſunt. Exhibetur in omnibus, quotquot eorum extant, idea lethalitatis, diſtinguitur lethalitas et, vt multi auctores putant, ſatis accurate eius gradus deſcribuntur, vt iunior chirurgus vel medicus exinde determinare poſſe videatur, vtrum vulnus lethale fuerit, an minus periculum at-

attulerit. Attamen hac in re experientia nos ſaepe docet, locum quidem et viſcus, quod laeſum fuerit, notatum, lethalitatem ſecundum praecepta doctorum et fundamenta ab iis poſita definitam eſſe, ea omnia tamen non ſufficere, vt certum iudicium ferri poſſit, vtrum hoc ipſo vulnere aliquis fuerit mortuus, an aliae cauſſae mortem produxerint. Ex quo demum apparet, ex cognitione ſtructurae partis non idonea et ſufficienti hanc obſcuritatem oriri poſſe, quae iudicem magis confundat, quam doceat. Quod enim ad diuiſionem lethalitatis, quam ab auctoribus receptam inuenimus, attinet, eam, ſaepe tam mancam eſſe intelligimus, vt vix, ſi eam ſtricte ſequamur in enarrandis laeſionibus, ad certum quid enunciandum conferat. Diuidunt nimirum vulnus alii in lethale per ſe, ſiue abſolute et ſimpliciter, vel de neceſſitate lethale, et opponunt ei lethale per accidens; alii in maxime lethale, in valde vel non neceſſario, ſed vtplurimum lethale ſeu frequentius tale. Quid vero ex his diſtinctionibus omnibus in ſuum vſum et ad dilucidandam rem deſumere poſſit medicus, ego certe non video. Etenim hac diſtinctiones a iunioribus confundantur neceſſe eſt, ſi mere illas ſequantur, nec, vti decet, vulnus ipſum attente inſpiciant, partem quae laeſa eſt, plenarie cognoſcant, neceſſitatem huius vel illius viſceris ſciant, et ex illis et reliquis circumſtantiis definire audeant, vtrum hoc vulnus, quo afflictam deprehendunt partem, ſtatim mortem contraxerit, an exinde alii morbi orti mortem ſenſim paulatimque produxerint.

rint. Sunt itaque, vt equidem puto, plura ſynonima diſtinctionis vulnerum ratione lethalitatis certe ſuperflua, quoniam dubios nos reddunt et ancipites, neque euidentiam et certitudinem perfectam nobis praebent. Subſiſtamus nunc in deſcribenda lethalitate vel abſolute vel per accidens tali, et iuniores medicos ad id amandemus, vt ex partium ſtructurae maiori vel minori nobilitate ac neceſſitate, accurata deſcriptione viſceris eiusque vulneris vel ipſi tandem ſub finem relationis iudicium rei conueniens addere poſſint, vel collegiis medicis, a quibus iudicium de vulnere exhibendum eſt, ordinem cauſſae diiudicandae facilem reddant, normamque ſuppeditent, ſecundum quam nunc certo poſſit definiri, vtrum vulnus ita comparatum et vtrum ſiue viſcera, ſiue aliae partes laeſae, tam ſubtilis ſtructurae et tam neceſſariae fuerint, vt, iis non ſaluis, mors ſequi debuerit, an cauſſa accidens mortem produxerit? hanc duplicem lethalitatis differentiam ad cauſſas forenſes, medicorum conſilio ſubiectas, rite examinandas, equidem puto ſufficere, ad quam conſtituendam accuratae relationes medicorum iuſta artis ſuae peritia inſtructorum et inprimis anatomica atque phyſiologica doctrina probe imbutorum requirantur, per quas quippe confirmatur, quod antea propoſuimus. Reliquae diſtinctiones lethalitatis ortae eſſe videntur ex eo, quod medici vel non ſatis diſtincte partem laeſam inſpexerint, cognouerint ac deſcripſerint, vel quod collegia medicorum ipſa vnum vel alterum exemplum curationis pro argumento aſſumſerint, quo

nixi

nixi nunc omnia eiusmodi vulnera vel curanda penitus,] vel ratione lethalitatis variis dubitationibus adhuc obnoxia ſtatuerent. Rectiſſime BOHNIVS in libro *de officio medici* pag. 617. inquit. „poteſt et ſolet a plaga vtplurimum lethali vulneratus „conualeſcere, perinde ac alii morbi, quamuis ſua „natura vtplurimum lethales ſint, interdum et a „quibusdam ſuperantur, vtrumque per ſingularem „corporis texturam a naturae robur, dum alius „per morboſum corporis apparatum ac huius tex„turam teneriorem etc. propter ſimile vulnus ac „eundem morbum diem ſupremum obiit. Taedet „me haec prolixius ediſſerere cum alios prudentio„res idem ſentire, non dubitem; propter tyrones „tamen ea monere neceſſarium duxi, an forſan ſe„niores quoque praeconceptis ſuis opinionibus ob„rutos, iuſtitiae cauſſa leuem. " Hoc vero haud paulo confirmatur, ſi diuerſorum collegiorum ſententias, interdum ſuper eodem vulnere prolatas, inter ſe comparamus, vbi facile inuenimus, vtrumque laeſiones viſceris e. g. hepatis vel lienis lethales quidem declaraſſe, ſed alterum pro vulnere per accidens lethali habuiſſe. Quod ſi igitur huius diſſenſus cauſſas curioſe perquirimus, eas in praeconceptis opinionibus latere reperimus, cum vni collegio talis vulneris curati exempla non occurrerent, alteri vero eiusmodi vulnus curatum fuiſſe hiſtoria morborum aut experientia demonſtrarent. Multo autem magis et ſaepius non ſatis accurate factam a medico phyſico relationem laeſionis in cauſſa eſſe, quod lethalitas certa non poſſit enunciari, ſed vt li-

mita-

mitationes et dubiae deciſiones inſequantur, iam antea diximus, id quod etiam experientia et reſponſa medica ab auctoribus collecta euidenter comprobant. Adeat, ſi cui forte lubuerit, ea de cauſſa PAVLI AMMANNI medicinam criticam, ALBERTI Iurisprudentiam medicam aliosque ſcriptores in hoc genere claros, in quorum libris exempla hanc in rem commemorata, id quod propoſuimus clare demonſtrabunt et firmiter ſtabilient. Nunc quidem ad illuſtranda et confirmanda ea, quae diximus, in vnico exemplo illarum laeſionum ſubſiſtamus, quae inter viſcera abdominis inprimis lienem tangunt, quaeque a violento plerumque ictu, iactu etc. oriuntur, cum eiusmodi exemplum quod ad finem huius ſcriptiunculae adiiciam, licuerit obſeruare. Conſtat inter recentiores, viſcera abdominis in genere adeoque et lienem neutiquam tali fungi officio, quod proprie dici vitale, interim tamen ad vitam continuandam requiri, quapropter laeſiones et rupturae eorum non ſolum ob magnum ſanguinis fluxum, ſed ob defectum elaborationis nutrimenti et effuſos eorum humores in cauum vicinum abſolute lethales dicendae ſunt; quae cum non raro obueniant in liene, et frequentius quam in hepate, vt b. PLATNERVS *a*) et nuperrime Excellentiſſimus BOSIVS *b*) declararunt, mortemque celeriter proferant, ſicuti experientia docet, tamen interdum pro vulne-

a) in Inſtitutionibus Chirurgiae, p. 454.

b) in program. de hepate rupto, anno 1776. edito.

vulneribus vtplurimum lethalibus vel per accidens lethalibus declaratae ſunt. Sic inuenimus exemplum huius rei, vbi deſcriptio laeſionis vel rupturae lienis manca et imperfecta fuit, vnde reſponſum ſuper hac re a collegio medico quam maxime dubium exhibitum eſt *c*), ita vt hoc neutiquam pronunciare audeat, hac ruptura ab ictu in liene effecta, hominem illum mortuum fuiſſe. Extat alia obſeruatio *d*) lienis mutilationem ſine periculo fieri demonſtrans, id quod exinde probatur, quod HANNEVS quidam ſe obſeruaſſe dicit, ruſticum verberatum eſſe ab altero et vulnus accepiſſe, e quo ſauciati ac rupti lienis portio propendiſſet, quam palmam manus aequantem chirurgus abſcidiſſet et aegrum ſanaſſet. Quae ſi vera eſſent, multum ſane momenti in diiudicatione vulnerum lienis haberent, vnde defenſor rei, vel ipſum collegium medicum per eiusmodi obſeruationem dubii reddi, et argumentum pro minori lethalitatis gradu deſumere poſſent. Sed fortaſſe, vt mihi videtur, chirurgus et medicus partem omenti pro ſubſtantia lienis habuerunt, atque curationis plane alius vulneris deſcriptionem et obſeruationem publici iuris fecerunt, quae cum rei natura non conuenit, ac nemini niſi principiorum anatomicorum plane ignaro perſuaderi poterit. Nam ſi pars lienis diſrupti ipſa propendiſſet, curatio nullo pacto fieri po-

c) *Alberti* Iurisprud. Med. Tom. I. p. II. pag. 383.

d) in Ephemerid. Med. Phyſ. Acad. N. C. Decad. 2. anni 1668.

potuiſſet, curatio nullo pacto fieri potuiſſet, cum vaſa et cellulae, ex quibus lien componitur, ſemper rumpantur, et ſanguis in cauum abdominis effluat, quo facto partes cum liene connexae, hepar ac ventriculus praecipue laeduntur, et putredine corrumpuntur, quapropter nil niſi mors ſtatim ſequatur neceſſe eſt. Saltem ſi exempla affectionum lienis ex ictu, lapſu etc. ortarum ab idoneis auctoribus collecta diligenter conſideramus, clare intelligimus multitudinem eorum, qui talibus laeſionibus afflicti obierint, longe maiorem eſſe numero illorum, qui ſanati vitam produxerint. Referunt eiusmodi laeſiones vt lethales TVLPIVS *e)* FONTANVS *f)* BOHNIVS *g)* VATERVS, *h)* aliique. Nec vero eorum ſententia fundamentis anatomicis ac phyſiologicis caret. Nam ſi ſubſtantiam lienis mere celluloſam et vaſculoſam conſideramus, ſi ramum arteriae coelicae ad lienem abeuntem et ibi diſtributum reſpicimus; ſi porro connexionem cum hepate, ventriculo et omento perpendimus, non poſſumus non perſpicere ac largiri, hoc viſcus quanquam non vitale dicendum ſit, tamen ad vitam conſeruandam, quoniam ad praeparandum ſan-

e) Lib. II. Obſerv. 29.

f) in Veſal. epit. p. 21.

g) de lethal. vulner. renunc. p. 379. ſeqq. qui de Foreſti ac Fallopii obſeruationibus ſuper curationem vulnerum lienis factis iure dubitat.

h) in Ephemerid. Acad. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Norimb. 1690.

ſanguinem pro conficienda bile, humore tam neceſſario, requiritur, profecto petinere et rupturam eius, ob lacerationem vaſorum et cellularum, nulla ratione poſſe curari, adeoque inter laeſiones abſolute lethales referri debere. Adiungam nunc ſimilem caſum, ex cuius relatione appareat, hoc vulnus praecipuam cauſſam mortis extitiſſe.

Nempe vir quidam triginta nouem annorum, cum altero rixans, tandem ab hoc fuſtibus ac pedibus tam male tractatus erat, vt praeterlapſo quinque horarum ſpatio diem ſupremum obiret. Sectionis publicae inſtituendae cauſſa ego aduocatus, abdomen quam maxime tumens, inprimis in hypochondrio ſiniſtro inueniebam, qua ex cauſſa id primum disquirebam. Diſſectis vero integumentis, inteſtina omnia flatibus diſtenta erant, ventriculus cibo ac potu repletus, atque in interſtitiis inteſtinorum ſubque omento copia ſanguinis partim reſoluti, partim congrumati reperiebatur. Vaſa maiora, truncus arteriae aortae ac venae cauae ſanguine vacua erant; praeterea tamen nulla laeſio ſtatim in conſpectum prodibat, quae cauſſa tam ſubitae mortis haberi poſſet. Remotis cum cautione inteſtinis ac ventriculo, detegebam lienem inprimis laeſum eſſe, nempe a vi externa ruptum in parte conuexa et concaua. Lienis ſcilicet ſubſtantia, non vaſa ſolum, in parte conuexa rupta erat tranſuerſim, longitudine quinque pollicum transuerſorum, et in parte concaua ruptura tres pollices transuerſos longa apparebat. Interior ſubſtan-

N tia

ria lienis quidem inter ſe ita cohaerebat, vt rupturae ſibi non reſponderent, quanquam laeſiones ſatis profunde penetrarent, adeo vt ruptis vaſis ſanguis in cauitatem abdominis, pondere ſaltem tres menſuras aequans, efflueret. Ad marginem lienis inferiorem alia ruptura adhuc erat, tres digitos transuerſos longa, quae ad interiorem ſubſtantiam penetrabat. Quibus examinatis et animadverſis, ad reliquorum viſcerum diſquiſitionum progreſſus, hepar integrm ſine vlla laeſione inueni, excepto eo, quod vena portae ſanguine vacua eſſet et veſicula fellea paruam copiam bilis in ſe contineret. In cauitate peluis ſatis luculenta extrauaſati et congrumati ſanguinis copia deprehendebatur. Aperto thorace, cordis auricula dextra et ventriculus dexter ſanguine repleta erant, in auricula vero ſiniſtra et ventriculo ſiniſtro cochlear fere ſanguinis reperiebatur. Lobi pulmonis, pericardium, pleura ac tota cauitas de reliquo ſana ac integra erat, et parua copia liquoris pericardii aderat. Quod ad laeſiones externas attinet, ſuper palpebram ſuperiorem dextram et ad os temporum eiusdem lateris, contuſiones obſeruabantur, quae vnum et dimidium pollicem longae ac latae erant, in ſiniſtri vero oſſis temporum regione vulnus vnius pollicis, nec non ad maxillam inferiorem eiusdem lateris vulnus cutaneum trium pollicum et dimidii longitudinem habens cernebatur. In vola manus dextrae epidermis omnium digitorum erat abraſa, in brachio ſiniſtro ſub iunctura vlnae cum antibrachio, contuſio duos pollices longa vnumque lata. In inferior parte

ſcroti,

ſcroti, plane inflammati et ſugillationibus notati, tribus in locis diuerſis contuſiones factae erant, quarum quaelibet longitudine et latitudine digitum transuerſum aequabat. Teſticuli a pedum tritu inflammati erant, dexterque inprimis plane compreſſus conſpiciebatur. Eadem ratione dorſum a ſcapulis vsque ad os femoris et tibiae in vtroque latere ſugillationis ſigna gerebat. Quod ad cauitatem capitis attinet, ſub integumentis communibus nullus extrauaſatus ſanguis ſtagnabat; ſed ſub oſſibus cranii et in baſi caluariae ſerum ſanguine mixtum, quod duo fere cochlearia efficiebat, in ventriculis porro anterioribus, ac tertio aliquid ſeri extrauaſati continebatur, plexus choroideus dexter hydatibus piſi minoris magnitudine obſeſſus et glandula pinealis a ſero ſtagnante expanſa erat.

Quanquam, vt ex hiſtoria diſſectionis modo prolata patet, in hoc vulnerato multae laeſiones, atque adeo ſatis ſufficientes cauſſae mortis videntur adeſſe, vt laeſiones capitis, partium genitalium etc, tamen ſolum vulnus lienis pro cauſſa eius habendum eſſe, omnes certe mecum communi conſenſu affirmabunt, qui ſtructuram et officium viſceris rite norunt.

XII.

PHIL. CONR. FABRICII.

Diſſ. de lethalitate vulnerum ventriculi ſecundum principia anatomica et medica expenſa.

Helmſt. 1751.

reſp. Aegid. Iungen.

Inter ea laeſionum corporis humani genera, quarum lethalitatis vel illethalitatis ſolida diiudicatio ſaepe quam maxime dubia et intricata eſſe ſolet, vulnera ventriculi vnum e praecipuis locum occupant. De horum enim ſummi periculi plena conditione licet nemo temere dubitare queat, cui primi huius inter organa chylopoea viſceris quam maxime ſenſibilis Natura neruorumque ac vaſorum ſanguiferorum, quibus gaudet, abundantia paulo propius perſpecta fuit, et qui neceſſaria remedia balſamica externa ad ipſum locum adfectum commode hic apponendi, reliquumque auxilium eiusmodi ſauciatis idoneum praeſtandi difficultatem haud ignoret: nihilominus apud praeſtantiſſimos quosque et claſſicos Medicinae Forenſis Auctores vix vllum vulnerationis caſum deprehendas, de quo

quo plures obſeruationes ſibi e directo fere contrariae adnotatae occurrant, et in cuius lethalitate diiudicanda ad hodiernum vsque diem ſuffragia verſatiſſimorum de reliquo in hac palaeſtra Medicorum adeo diſcrepent, quam quum de ventriculi laeſionibus agitur. Alii enim omnem fere conualeſcendi ſpem talibus vulneratis denegant, et haec vulnera promiſcue ad abſolute lethalium claſſem, niſi quid miraculi ſimilis et fortuiti plane intercedat, referunt *a*) alii inſigniora tantum ad orificia et fundum praeſertim ventriculi inflicta vel per vtrumque eius latus perducta pro abſolute lethalibus declarant, minoribus ſpem ſanationis concedentes *b*) alii denique ne ſatis

N 3 magna

a) Primus qui poſt *Hippocratem* et *Celſum* benigniori ſententia reiecta omnes fere ventriculi laeſiones, niſi quam maxime exiles ſint, et tunicis tantum exterioribus inflictae, eidem mortis abſolute et ſimpliciter inſequentis neceſſitati ſubiecit, fuit ille Medicinae Forenſis ſummus Stator celeberrimus quondam *Bohnius* qui in aureo libello de renunciatione vulnerum Cap. V. de abdominis vulner. lethal. p. m. 140. et ſeqq. percrudite de his laeſionibus egit. Hunc deinde plures alii ſequuti fuerunt v. gr. celeberrim. *Teichmeyer.* Inſtitution. Medic. legal. Cap. XXIII. Quaeſtion. IV. p. m. 220. et ſqq.

b) *Boerhaavius* Aphoriſm. de cognoſc. et curand. morb. §. 170. N. 5. celeberrim. *Albertii* Iurisprud. Medic. Tom. I. Cap. XIV. §. LV. qui ſimul

magna quidem ventriculi vulnera pro abſolute lethalibus habent, dummodo in ſola parte laterali ventriculi haereant *c*). Dignum itaque hoc [illegible] thema [illegible]

ſimul tamen intuitu vulnerum ventriculi lateralium in vniuerſum in mitiorem partem inclinat.

c) *Valentini* Prax. Chirurg. Sect. III. §. 4. et ſeqq. illuſtr. *Van Switen* Commentar. in Aphoriſm. *Boerhaavii* Tom. I. p. m. 275. apud quem ex actis Anglicanis 2. exempla allegata notatu digniſſima occurrunt vulnerum ventriculi maiorum ſutura inſtituta in patre et filio feliciſſime ſanatorum. Et ea propter hic Auctor etiam magna ventriculi vulnera non ſemper abſolute lethalia pronunciat, paruis vero ſatis magnam ſpem ſanationis concepit, dum modo cibis vel potu non diſtendatur ventriculus. Commercium litterar. *Norimbergenſe* Ann. 1736. Hebdom. XIX. p. 150. cuius celeberrimi Auctores ibi obſeruationes de vulneratis ventriculis iisdemque ſanatis non adeo eſſe raras teſtantur. Celeberr. *Iuncker* Conſpect. Chirurg. Tab. LXI. n. 30. p. m. 401. vbi ſi latus tantum ventriculi laeſum ſit, multas hiſtorias illius vulneris reſtitutionem affirmare docet, et praeſtantiſſimus denique Chirurgus Gallus le *Dran* qui Obſeruation. Chirurg. 28. vulneris ventriculi grauiſſimi vtrumque eius orificium cum omento et diaphragmate ſimul laedentis ſanabilem conditionem ſuſtinet. Non vero inter Medicos priuatos tantum ſuper lethalitate vulnerum ſaepe lis exoritur, ſed integra Medicorum collegia haud raro de eiusmodi vulneribus

thema mihi viſum fuit, quod grauiſſimi et veriſſimi effati a iudicioſiſſimo Tubingenſium quondam Medico ELIA CAMERARIO *d*) alicubi editi haud immemor, ſpeciminis inauguralis loco praeſenti hoc Schediaſmate paulo curatius discutiendum mihi ſumerem. Quod quidem vt idonea et ſcopo meo conuenienti ratione perficiam, ſuccincta et ſufficienti viſceris huius deſcriptione praemiſſa I. varios modos, quibus illud a cauſſa violenta externo huc vsque laeſum obſeruatum fuit, indicabo. II. Symptomata eius modi ventri-

bus diuerſas longe ſententias pronunciaſſe leguntur. Ita vulneris ventriculi ab ordine Medico Helmſtadienſi et Wittembergenſi negata lethalitas a Lipſienſi vero defenſa apud *Zittmannum* Medicin. critic. Centur. I. Caſ. LI. occurrit. Aliud ſatis inſigne ventriculi parieti inflictum vulnus a Facultate Medica Gieſſenſi pro per accidens lethali a Francofurtana ad Viadrum vero pro abſolute lethali habitum apud *Valentinum* loco citato exhibetur. Prout adhuc Ann. 1732. illuſtris ordo Medicus Helmſtadienſis, vt *Praeſidi* huius Diſſertationis ex Actis Facultatis conſtat, cum Dominis Lipſienſibus fundi ventriculi magnum vulnus, omnia contenta ventriculi cum multo cruore in cauum abdominis effundens, et poſt 18 horas vulneratum conſortio mortalium eripiens, merito abſolute lethale declarauit, de quo aliis eruditiſſimis viris, ob relationem de ſtatu laeſionis non ſatis accurate a Medico, defunctum ſecante, exhibitam, alia opinione placuerat.

d) Syſtem. Cautel. Med. p. 572.

ſtri-

triculi laeſionibus familiaria tradam, eorumque Aetiologiam exhibebo. III. Medelam in tali caſu neceſſariam breuiter deſcribam. IV. denique euentum vulnerationes has pro diuerſitate regionis ventriculi attactae, modi laeſionis ipſiusque vulneris conditionis ordinarie inſequentem annotabo, eiusque rei rationibus exhibitis, gradum lethalitatis vniuscuiuslibet talium laeſionis ventriculi generum, Naturae machinae humanae et experientiae conuenienter, determinare adnitar.

§. II.

Quod itaque ad ventriculum ceu illud viſcus, de cuius laeſionibus mihi in ſubſequentibus ſermo erit, refert, eius quidem facies et figura externa, locusque quem illud in abdominis cauo reconditum occupat, nemini nonſolum fere incognitus eſt, ſed et reliqua fabrica et actio eius a Summis aeui noſtri Anatomicis ac Phyſiologis *e*) in ſuis de ſtructura et vſu corporis humani

e) Ill. *Heiſteri* Compend. Anatom. p.m. 79. illuſtr. *Haller.* Adnotat. ad *Boerhaavii* Praelection. in propr. inſtitut. Tom. I. p. 205. 214. 10. 217. nec non Phyſiolog. ſua Cap. XXIV. et ipſe *Boerhaavius* Inſtit. Med. p. 35. et ſeqq. *Winslow* Expoſition. Anatom. Tom. III. p. 308. et ſeqq. *Lieutaud* Eſſais Anatomique Artic. V. p. 266. *Berger* de Natur. human. p. 133 et ſeqq. B. *Verdries* de action. ventricul. in comminuend. cib. p. 24. et ſeqq.

humaui partium doctiſſimis elucubrationibus tam accurate expoſita fuit, vt eis tanquam primis ratiociniorum fundamentis in thematis mei quaeſtione decidenda tuto vti queam. Ex horum itaque annotatis, aut opſia confirmante, conſtat, primum hoc omnium ore aſſumtorum et deglutitorum ciborum et potus receptaculum ex meris membranis ſeu tunicis, naturali ſua vi tonica inſtructis, nec non neruis et vaſis ſanguiferis conſlari, quarum tunicarum quaelibet fere ſuo motu et ſenſu quam maxime exquiſito gaudet, quas inter tamen muſcularis tunica motui periſtaltico contentorumque ventriculi propulſui deſtinata eſt, neruea autem cum villoſa tunica maximam huic viſceri ſenſibilitatem conciliat, adeoque in ſubſtantia ventriculi laeſa potiorem ſemper prae reliquis tunicis attentionem meretur. De neruis ventriculi vero nouimus, quod totum octauum neruorum capitis par, pluribus prius communicationibus cum aliis neruis in collo et thorace factis, ſecundum ductum oeſophagi ad ventriculum delapſum per eum ita diſtribuatur, vt nullum fere eius punctum exiſtat, cui illud non in ramulos tenerrimos diuiſum liquidum nerueum a cerebro aduehat, ac ſentiendi et mouendi vim, quocunque ſtimulo accedente, largiatur. Ita tamen hos neruos in ventriculo collocatos conſpicimus, vt circa orificium ſiniſtrum et in regione ventriculi ſuperiori duobus orificiis inter media ſpecioſioribus longe ac craſſioribus ramorum implicationibus decurrant, ac denique ramulis quibusdam ad hepar et meſenterium

tranſmiſſis intimam ventriculi cum his quoque viſceribus conſenſionem, praeter eam, quae a membranaceae tunicae cum reliquis viſceribus continuitate et vaſorum ſanguiferorum anaſtomoſibus deriuanda eſt, ſtabiliat. Vaſa ſanguifera ventriculo copioſiſſima et ex parte valde inſignia ſunt, arteriis ab arteria coeliaca, venis vero a vena portae originem ducentibus, quae inter tunicas ventriculi membranaceam et muſcularem potiſſimum decurrentia, et multiplici Anaſtomoſi juncta, ita diſtribuuntur, vt per curuaturam paruam et magnam ventriculi ſeu fundum praecipua eorum prorepant et per vtramque faciem lateralem ventriculi ſibi ſurculos transmittant, donec arteriae in ramulos capillares diuiſae vel cuique ventriculi fibrae materiam nutrimenti adferant, vel liquorem gaſtricum in cauum ventriculi exhalent, vel per poros ventriculi exteriores aliquam partem fluidi ſubtilioris ad cauum abdominis emittant, venae vero ſimili ratione diſtributae vaſcula abſorbentia vel ſanguinem ab arteriis receptum verſus cor reducentia prima conſtituant. Totus ventriculus a cibo vel potu aſſumto diſtentus, rugis villoſae tunicae euaneſcentibus, ſubſtantia ſua nonnihil tenuatur et fundum verſus regionem abdominis epigaſtricam et anteriorem vertit, altera ſua facie laterali antrorſum et ſurſum, altera verſus poſteriora et inferiora reſpeciens, euacuatus contra in anguſtius ſpatium ſemper contrahitur, et nonnihil corrugatus a tenſione fibrarum remittente parietes craſſiores acquirit.

§. III.

§. III.

Quodſi iam omnes illos vulnerandi modos, quibus ventriculus a quacunque cauſſa externa affici poteſt, ob oculos et mentem nobis ponamus et accuratiori trutina expendamus, ſtatim manifeſtum fiet, quod quoduis corpus externum impetu ſuo ſolutionem continui vel perfectam vel imperfectam ventriculo minitans, illum e regione praecipue anteriore et laterali abdominis vix alia ratione attingere queat, quam vt vel integumentis communibus, muſculis abdominis, peritonaeo, aliisque fortaſſe viſceribus ventriculo vicinis, verbi gratia omento, hepate, liene, diaphragmate ſimul perforatis, per ſingula tunicarum ventriculi ſtrata penetrans cavum eius punctura, ſciſſura, aut dilaceratione, maiori minoriue hiatu, in proxime adiecto tantum, vel oppoſito ſimul latere aperiat; vel aliqua tantum eius ſtrata tunicarum incidat, aut contundat; vel denique partes ventriculum obtegentes validiſſime ſolum absque vulnere aperto contundendo ventriculum ſimili ratione plus minus profunde laedat, vel ipſi ruptionem plane inducat. Poterit illud accidere a gladio ſimilique inſtrumento acuto, globulo Sclopetario, a plagis, iactu, lapſu, alliſione, calcitratione. *f*) In qualibet vero eiusmodi laeſione non

f) Occurrit ante aliquot annos *Praeſidi* huius Diſſertationis caſus tragicus, quo viro cuidam pedum calcitrationibus ad abdomen inflictis ventri-

non poſſunt non totidem vaſa ſanguifera et nerui ventriculi ſimul laeſionem continui pati, quor planum illud ventriculi tranſeunt, a vi externa laedente adtactum.

§. IV.

His praemiſſis, reliquisque principiis Phyſiologicis cognitis in ſubſidium vocatis, effectus eiusmodi laeſionum demonſtratu haud difficilis eſſe poteſt, qui neceſſario illas ex conditione machinae humanae inſequitur. Fibrae nempe ac nerui et vaſa ſanguifera contuſa tantum elaterem amittunt, liquidum contentum vix transmittunt, ſed retinent. Fibrae vero penitus diſſectae a ſe inuicem ſecedunt, vulnus ampliant, diſtorquentur et ſpaſtica contractione criſpantur, adhuc integris eo validius et ad ruptionem vsque tenſis, et aeque ac illis hunc ſui ſtatum praeternaturalem partibus continuis vicinis communicantibus. Inde irritatio primum moleſta, deinde ob neruos ad ſenſorium commune cerebri hanc oſcillationem ipſis impreſſam, interuenientibus ſpiritibus animalibus, propagantes, ſummus ven-

triculus vna cum diaphragmate tam amplo hiatu ruptus fuerat, vt ſectione poſt mortem inſtituta vltimi prandii fercula aſſumta in cauitate thoracis magna copia deprehenderentur, vita et reſpiratione in alterum a laeſione perpeſſa diem continuante, integumentisque et abdominis muſculis, ſi cuticulam hinc inde in veſicas eleuatam excipias, illaeſis.

ventriculi dolor et cardialgia vehementiſſima plerumque inducitur. Motus periſtalticus regionis ventriculi vicinae, oeſophagi et tubi inteſtinorum turbatur, vel plane peruertitur et cum conulſione peragitur. Totius Syſtematis neruorum, communi exortu ex medulla cerebri, ac tot aliis anaſtomoſibus cum pari neruorum vago ad eandem ſortem ſubeundam adſtricti, ingruit validiſſima vellicatio. Cauum ventriculi et vaſorum ſanguiferorum maiorum diſſectorum plus minus exinanitur et fluidum contentum ad abdomen emittit, quod partes vicinas premendo irritationem neruorum et ſanguinis adfluxum ad partem adfectam auget, praeſertim ſi in putredinem abiens illas rodere incipiat. Chymi e ventriculo ad duodenum propellendi copia decreſcit, vel plane ceſſat. Vis cordis natiua et omnium reliquarum corporis humani partium a ſanguine per vulnus vaſorum amiſſo inſigniter debilitatur. Sanguis reliquus per vaſa ventriculi minora contuſa vel ſpaſmodica conſtrictione affecta, et a ramis, qui antea continui erant, diuiſa, manare neſcius recurrit, ſtagnat, et ob maiorem cordi renixum excitatum, inflammationem, in citam gangraenam et ſphacelum, ob partis adfectae inſignem ſenſibilitatem, niſi mox reſoluatur, abituram, inchoat, ac febrem acutam cum moleſtiis et periculis conſuetis inducit. Singula haec Symptomata eo celeriori greſſu inſurgunt et intenduntur, quo plura vel maiora ventriculi vaſa ſanguifera, nerui et fibrarum faſciculi vulnere tacta fuerunt, et quo grauiores vicinorum viſcerum laeſiones cum

eo

eo coniunguntur, roburque natiuum in eiusmodi laeſis minus exſuperat, vel ſanguis acrimonia alcalina et diatheſi inflammatoria laborans ad putredinem magis inclinat.

§. V.

Signa vero externa *g*) quae de Natura vulneris ventriculi eiusque in laeſo praeſentia nos certiores reddunt, ſunt: aſſumtorum ventriculi adhuc crudorum vel in chymum ex parte mutatorum per vulnus abdominis effluxus *h*) Lipothymia, quae tam

g) celeberrim. *Iuncker.* Tab. Chirurg. LV. N. XII. IV. *van Switen* Comment. in Aphoriſm. *Boerhaavii* Tom. I. p. m. 264. et 251. *Welſch.* Rational. vulner. lethal. iudic. cap. X. p. m. 94. et ſeqq.

h) Apud nonnullos Auctores inter ſigna ventriculi laeſi chyli ex vulnere abdominis profluuium refertur, quod vero erroneum eſſe et ad indicia inteſtinorum tenuium ſauciatorum pertinere, ex theoria chylificationis conſtat, ita vt eiusmodi hiſtoriae obinde a ſuſpicione vulneris inteſtini, cum laeſione ventriculi confuſi, non omni modo liberae ſint. Ex ipſis inteſtinis ſauciatis vero alimenta cruda ſaepe profluere teſtibus obſeruationum collectoribus ſolent, vi concoctionis ventriculi ob conſenſum et continuationem cum inteſtinis vulneratis ſimul debilitata, et Lienteria ingruente. Sic *Praeſes* meminit hominis cuiusdam, cui canalis inteſtinorum et integumenta

tam ab acutiſſimo dolore excitato, quam a iactura ſanguinis perpeſſa ortum trahere poteſt, dum vel totum Syſtema neruorum ſubitaneo ſenſu moleſto ita vellicatur et percellitur, vt influxus fluidi neruei a vehementi tubulorum, per quos fluit, conſtrictione in neruos cardiacos ad tempus intercipiatur, vel magna ſanguinis vi per vaſa gaſtrica reſecta effluente, eius tam ingens in ventriculis cordis defectus naſcitur, vt illud actioue Syſtolica ſe contrahere, et circuitum humorum continuare haud valeat. Pulſus arteriarum debilis et celer cum virium corporis lapſu, ſudore frigido et artuum frigore ex eadem cauſſa primordia capiens. Vomitus anxius, ſi laeſio ventriculi pyloro et inteſtino duodeno proprior inflicta, vel ipſum hepar vulnere tactum, et vna cum veſicula fellea ſpaſmo conſtrictum fuerit, bilioſus, ſin vero vaſa ſanguifera ventriculi maiora aperta fuerint, cruentus, cum fluxu alui itidem ſaepe ſanguinolento. Motus corporis conuulſiui cum vacillatione mentis, a neruis ſtomachi inſigniori-bus circa orificium ſiniſtrum compunctis, vel diſſectis, potiori ratione deducendi. Singultus, tum a con-

ac muſculi abdominis cum peritonaeo in dextro abdominis latere ſponte ſuppurata fuerunt, ex quo vulnere praeter ingentem puris et excrementorum copiam aſſumta ventriculi v. gr. folia lactucae, et herbae chaerefollii integra prodibant, vulnere hoc poſt plura remedia interna incaſſum tentata ſolo ſucco Herbae Cynogloſſae recentis per aliquod tempus indies ei inſtillato feliciſſime conſolidato.

a conſenſu octaui paris neruorum cum neruis phrenicis, tum etiam a continuatione membranae exterioris ventriculi cum peritonaeo, faciem concauam diaphragma inueſtiente, facile excitandus. Nonnunquam vero vulnerati *i*) vix de vllis poſt laeſionem perpeſſam moleſtiis conqueruntur, ſed ſatis bene ſe habent, ciborum appetitu vltra modum ſubinde vigente, ita ut feliciter ad conualeſcentiam adſpirare videantur, et tamen poſtea inopinato fatis cedunt; ſiue iam inſolita quaedam ventriculi carnoſioris, vt ita dicam, calloſitas hunc ſtuporem *k*) eiusmodi vulneratis inducat, ſiue ea ventriculi regio forte fortuna tantum ſauciationem perpeſſa fuerit, quam pauciores ramuli neruorum perreptant.

§. VI.

Phaenomena notabiliora, quae poſt mortem nonnunquam ſubito, interdum vero poſt multum demum temporis ingruentem, in vulnere ventriculi defunctis, apertura cadaueris inſtituta, occurrunt,

i) *Valentini* et le *Dran* loco ſupra allegato.

k) Dari eiusmodi homines ſtupenda ſaepe ventriculi inſenſibilitate et robore praeditos, tum remediorum emeticorum mineralium et vehementiſſimorum quin ipſorum venenorum cauſticorum innoxia in nonnullis obſeruata toleratio, tum vitrinororum et cultrinororum notiſſima exempla comprobant, conferatur quoque, ſi placet, *Pechlini* Libr. II. Obſ. LXIX. p. 382.

currunt ſunt: in magno vulnere ventriculi flaccida eius et vacua conſtitutio; in vulneribus minoribus vero cruoris vel puris in illo aliqualis praeſentia. Si inſigniora ventriculi vaſa ſanguifera diſſecta fuerint, non ipſa tantum vacua deprehenduntur, ſed etiam in uicinis viſceribus, vaſa ſua ab iisdem cum ventriculo truncis arteriarum et venarum communibus coeliaca nempe et vena portae, accipientibus, quin etiam in toto ſaepe reliquo arteriarum ac venarum Syſtemate et ipſis cordis ventriculis inſignis deprehenditur defectus. In abdominis cauo plus minus e contraria parte eius conſpicitur, ex vaſis diſſectis emiſſi, et viſcerum, quae attingit, indolem naturalem corrumpentis. In laeſionibus ventriculi absque vulnere aperto per contuſionem inflictis, vaſa ſanguifera multo cruore diſtenta turgent, viſceribus proxime adiectis hepate, liene, pancreate, omento et diaphragmate ſaepius ſimul in conſenſum tractis, et veſtigia inflammationis vel ſphaceli, *liuores ſcilicet*, ſtigmata, ſuggillationes et corruptiones putridas vna cum ventriculo exhibentibus. Interdum quoque ventriculus ſauciatus cum viſceribus vicinis monſtroſe concretus obſeruatur. *l*)

§. VII.

Methodus ſanandi eiusmodi laeſiones ventriculi

l) *Schaarſchmied* Relation. Medic. Chirurgic. Tom. VI. Caſ. XXX. vbi vulnus ventriculi cum vulnere hepatis et diaphragmatis coniunctum, et inordinate concretum, die 17. a laeſione perpeſſa demum mortem intuliſſe legitur.

culi in eo, teſtibus optimis Scriptoribus Medicis et Chirurgicis conſiſtit, vt quod ad interna ſpectat, vulnerati ante omnia exactiſſimum regimen obſeruent, quibusvis commotionibus corporis et animi ſumma cum ſollicitudine euitatis. Diaetam vero hic ordinant tenuem et parcam, ex iuſculis carnium iuniorum, gelatinis, emulſionibus temperantibus et blande nutrientibus, ouis ſorbilibus, radicum aperientium et traumaticarum decocto potiſſimum compoſitam, quum omnes cibi ſolidiores vel potus copioſior ventriculum nunquam non diſtendant, et adpropinquationem labiorum vulneris impediant. Ad inflammationem ventriculi praecauendam, et adfluxum humorum a parte laeſa reuocandum, venae ſectionem in pede, praecipue ſi vulneratus plethora laboret, tempeſtiue inſtituendam praecipiunt, remediaque nitrata et temperantia, leniter diaphoretica ac blande adſtringentia commendant, ac iisdem balſamica interna v. gr. balſamum Locatelli vel MEIBOMII frequenter interponunt, clyſmatibus demulcentibus, carminatiuis et nutrientibus, ad ſpaſmum inteſtinorum leniendum, ipſumque ventriculum ex vicinitate arcus inteſtini coli fouendum, et defectum chyli reſarciendum, ſimul frequentius iniectis. Curatione externa ante omnia illud, quod ex vulnere ventriculi ad cauum abdominis effluxit, diligenter euacuari curant, eumque in finem vulnerato, vt ſaepius regioni adfectae incumbat, et hac ratione materiae peregrinae in abdomen emiſſae exitum facilitet, ſuadent, vulnus integumento-

rum

rum addominis caſu neceſſitatis inciſione nonnihil ampliantes. Si haemorrhagia vulneratum valde vrgeat, ſpiritu vini rectificatiſſimo alioue ſtiptico liquore vulneri immiſſo vaſa diſſecta claudere tentant, ſubiunctis deinde aliis iniectionibus abſtergentibus et traumaticis, calidis, nec non balſamo decantato illo Arcaei reliquisque remediis balſamicis et ſpirituoſis conſuetis, et ſi manibus Chirurgi acceſſus pateat, labiis vulneris ventriculi vnica ſutura ad ſe inuicem adductis et coniunctis. Vulnus abdominis rite obligatum tam diu apertum ſeruant, donec nihil amplius ex ventriculo ſauciato in cauitatem abdominis effluere comperiatur, et aegrum nulla ſymptomata periculoſiora affligant, quo facto illud eadem ratione, ac aliud vulnus integumentorum abdominis, cum nulla laeſione viſcerum contentorum coniunctum, conſolidandum monent. *m*)

§. VIII.

His praemiſſis, ad ipſam lethalitatem horum vulnerum diiudicandam iam propius accedendum deſpiciendumque erit, quantum e praeſtantiſſimis auxiliis, ſupra commendatis, vnum quoduis eorum vi Naturae et indolis ſuae admittat, et quid ratione prognoſeos de illo ſtatuendum ſit. Quando nempe ventriculus aliqua tantummodo contuſione la-

 bo-

m) Inſtar omnium hic conſuli poterunt illuſtr. *Heiſteri* Inſtitutiones Chirurg. edit. latin. An. 1750. p. 208. et 115.

borat, ſiue illa eius tantum ſubſtantiam, ſiue quod grauius eſt, neruos et vaſa ipſius maiora ad orificia et in vtraque eius curuatura occurrentia ſimul af-fligat, requiritur ſtaſeos ſanguinis in vaſculis ſan-guiferis conquaſſatis haerentis cita diſcuſſio et mo-bilitatis reſtitutio, vel ſi haec obtineri haud poteſt, ſi quidem ſphacelum auertere velimus, ſecundum regulas artis conſuetas partis inflammatae ad ſup-purationem neceſſaria eſſet perductio. Verum ſi ex Pathologia Medica practica in memoriam nobis reuocemus, quod pauciſſimi eorum, qui febre ali-qua inflammatoria ventriculi decumbunt, vel a ſolo remedio quodam rodente incaute aſſumto, vel alia cauſſa interna producta, mortem effugiant, quodque hic morbus inter maxime ſonticos a Me-dicis *n*) referatur, facile hariolari poſſumus, quan-tum in arte praeſidii contra funeſtum adeo caſum a cauſſa externa violenta in quam maxime ſenſibi-li et membranaceo hoc viſcere exortum ſperari queat. Remedia diſcutientia externa, ſi integu-menta et muſculi abdominis quidem contuſa, ſed nullo vulnere aperto diſſecta ſint, ad ventriculum vix ſatis penetrant, et ſi vel maxime laeſio ad ca-uitatem abdominis perueniſſe conſpiciatur, con-tuſio ventriculi tamen rariſſime ante ſectionem poſt

mor-

n) Conf. illuſtr. *Hofmann* Medicin. rational. Syſtematic. Tom. IV. P. I. ſect. II. Cap. III. §. VIII. nec non hiſtoriae et obſeruationes huic Capiti adnexae et pag. 379. et ſeqq. de-ſcriptae, quas inter vnica tantum eſt, quae ae-grum priſtinae ſanitati reſtitutum exhibet.

mortem inſtitutam certe cognoſcitur. Suppurationem vero tentare, et puris ipſorumque deinde ventriculi contentorum ad cauum abdominis effluxum promouere, itidem res quam maxime dubia et periculi plena eſt, quum facultas eiusmodi vlcus ſufficienter repurgandi et materiae purulentae cum reliquis ſordibus tutum et ſufficientem exitum parandi, labiaque vlceris poſtea glutinandi vix concedatur. *o*) Quicquid itaque arte Medica ex remediis ſupra laudatis tentare licet, in eo fere conſiſtit, vt tempeſtiua et larga ſanguinis e vena ſecta emiſſione affluxum eius a parte adfecta reuellamus ac debito regimine et diaeta ordinata medicamentis aqueis, temperantibus, antiſpasmodicis, diaphoreticis fixis, ac blande reſoluentibus, cruorem vaſculis et fibris conquaſſatis impactum diluamns et ad priſtinam mobilitatem reuocemus, totaque maſſa ſanguinis ad regionem corporis externam magis inuitata cauſſam illam e medio tollere conemur, quae neruos ventriculi irritando febrem et reliqua ſymptomata vitae finem minantia induxerat, vbi ſimul conſueta auxilia externa diſcutientia et roborantia in ſubſidium trahere conducet. His obſeruatis, in contuſionibus ventriculi minoribus, ſolam ſubſtantiam eius attingentibus, quidem ſanationis ſpes omnis laeſo minime deneganda erit, in maioribus vero et latiori ac profundiori plaga ventriculo inflictis contuſionibus ego

o) Illuſtr. *Heiſter* Compend. Medicin. pract. Cap. VII. p. m. 120.

vix perſpicio, quomodo impedire queat, quo minus ſecundum conſtanter obſeruatum inflammationum decurſum vel ſphacelus partem adfectam corripiat, vel inflammatione in ſuppurationem tendente abdomen pure et aſſumtis ventriculi ſenſim repleatur, vicina ventriculo viſcera reliqua peſſundantibus, niſi quidem extraordinario quodam Naturae robore et beneficio, in quo nullae arti Medicae partes ſunt, peritonaeo, muſculis et reliquis integumentis abdominis exeſis, haec impuritates ſibi exitum ipſae mature parent, laeſusque deinde vlcere fiſtuloſo adflictus, vt factum aliquando fuiſſe Auctores Medici referunt, vitam adhuc per tempus ſatis miſere ducat. Huius modi euentus tamen, vtpote quam maxime dubius et rariſſime contingens, quum in vſu artis Medicae forenſi haud attendi poſſit, vbi, vt cuique conſtat, ſecundum id, quod vtplurimum fit ratiociniorum momenta ponderantur, facile patet, quod ventriculi contuſio quaeuis inſignior et profundior laeſionibus in vniuerſum loquendo vtplurimum lethalibus nunquam non annumeranda ſit, quae ſi in vno vel altero vulnerato absque erroribus inſignibus ab ipſo, vel illis, qui eius curam egerunt, commiſſis, morte preſſo pede, vel poſt non adeo diuturnum tempus inſequente, ſtipetur, vel orificia neruosque et vaſa maiora ventriculi ſimul vehementer laedat, pro ſimpliciter et per ſe lethifera deinde merito haberi debet.

§. IX

§. IX.

Quod ad laeſiones ventriculi cum ſolutione continui perfecta inflictas refert, facile comprehendimus, quod illarum ſanatio plenaria vix alia ratione ſperanda ſit, quam ſi margines fibrarum, vaſorum et neruorum ipſius diſſectorum ſibi inuicem eo usque rurſus accedant, vt ſuccus nutritus ex tubulis arterioſis minimis deſciſſis exſudans ea de nouo conglutinet et continua reddat. Sanatione vero minus naturali vel palliatiua tantum vitam nihilominus aliquando in eiusmodi vulneratis conſeruatam fuiſſe, ipſi ſatis rigidi alias vulnerum ventriculi cenſores v. gr. BOHNIVS libr. allegat. p. 143. fatentur, dum vel vulnus ventriculi cum partibus interioribus ipſi vicinis coaleſcendo clauſum fuit, vel labia eius cum vulnere abdominis concreta, aut ſutura coniuncta, et callo obducta, perpetuo aperta manſerunt, et partem quidem ore aſſumtorum et deglutitorum per vulnus abdominis iterum emiſerunt, ventriculo tamen tantum ſemper chymi ad duodenum transmittente, vt negotium chylificationis adhuc aliquo modo continuaretur. Quando igitur illas ratione lethalitatis mihi nunc examinandas ſumo, ſtatim in mentem incurrit, quod in vulnere ventriculi minori, ſiue illud aliqua tantum tunicarum eius ſtrata incidat, ſiue integram ſubſtantiam eius perforet, dum modo ab vtroque ventriculi orificio et a neruis et vaſis ſanguiferis maioribus remo-

tius haereat, et inſtrumento acuto absque contuſione factum integumenta abdominis ſimul aperiat, nulla contradictio monſtrari queat, quae abſolute prohibeat, quo minus illud iterum conſolidetur. Certum quidem eſt, quod cum ex ſupra demonſtratis omnes ventriculi fibrae praecipue carneae tono ſuo proprio gaudeant, et in ſtatu aliquo modo violento diſtentionis in homine viuo conſtitutae ſint, illae diſſectae a ſe inuicem quoque magis ſemper ſecedant, et difficilius conglutinatae cohaereant. Praeterea ventriculus perpetuo non ſolum motu periſtaltico exercetur, ſed et actioni et preſſioni diaphragmatis proxime ſubiacet, adeoque perfecta partium vulneratarum quies, ad conſolidationem tantopere neceſſaria, hic vix ſperanda eſt, dum praeſertim omnis alimentorum vſus vulnerato haud interdici poteſt, quorum ſemper aliqua portio per vulnus egreſſum molitur. Quum vero maxima fibrarum ventriculi pars in his vulneribus minoribus illaeſa maneat, et dum modo nimia eius diſtenſio a ciborum potuſue copioſa ingurgitatione inſequens prohibeatur, ventriculus, vt ex phyſiologicis principiis ſupra allegatis conſtat, ſe perpetuo in anguſtius ſpatium contrahat *p)* et craſſior fiat, labiaque vulneris ſibi ſponte

p) Ventriculi vacui inſignem contractionem praeter reliqua probant exempla hominum diuturna inedia afflictorum, quibus ſi alimenta ad ſatietatem vſque ſtatim concedantur, ſpaſmodica ventriculi contractio et ſyncope lethalis inde

ſponte accedant, aeque ac aliae partes vulneratae a lympha viſcida exſudante iterum conglutinari poſſunt, temperie praeſertim vulnerati bona, et nulla dyſcraſia ſcorbutica aliove vitio laborante. Parua quoque eiusmodi vulnera vix multum ex cauo ventriculi ad abdomen dimittunt, iniectionibus abſtergentibus et ſitu aegroti commodo ex vulnere abdominis facile educendum, nullam haemorrhagiam ominoſam excitant, nec ob abſentiam neruorum inſigniorum laeſorum conuulſiones temere inducunt, ita vt plerique etiam Medicinae Forenſis Auctores, ſolo praeſtantiſſimo caeteroquin BOHNIO excepto, de his vulneribus ſatis benigne ſentiant, licet ſimul fateantur, quod ſi plura vulnera minora ventriculum attigerint, vel aliae vicinae nobiliores partes ſimul grauiter laeſae fuerint, inde pariter lethalitas quaedam abſoluta ſubinde reſultet. Nec obſtat, quod talia vulnera minora in oculos vix incurrant, adeoque nulla ſufficiens medela externa eis adhiberi poſſit. Siue enim a ſola Natura, remediis internis traumaticis viſcidis et glutinantibus reliquoque regimine et diaeta a Medico adiuta ſanatio abſoluatur, ſiue remedia balſamica externa ad id concurrant, perinde eſt, dummodo ſimul a poſteriori, ſcilicet ab experientia confirmetur, quod hae laeſiones re ve-

inde excitatur; et ipſa interdum autopſia Anatomica, prout hac hyeme adhuc PRAESES huius diſſertationis cadauer femineum ſecuit, cuius ventriculus inteſtinum duodenum annexum amplitudine vix ſuperabat.

ra hucusque frequenter conſolidatae fuerint, de quo nemini dubium haerere poteſt, cui tot vulnerum ventriculi etiam inſigniorum ſanatorum hiſtoriae lectae fuerunt, et qui ſimul perpendit, quod in aliorum quoque viſcerum v. gr. pulmonum vel inteſtinorum craſſorum laeſionibus ſanabilibus auxilium externum eadem difficultate vulnerato praeſtetur, quae tamen obinde vulnerum abſolute lethalium claſſi minime adnumerantur. Vt de eo iam nihil proferam, quod aliqua vt plurimum pars liquorum balſamicorum per vulnus abdominis iniectorum ventriculum laeſum attingat, eiusque conſolidationem promoueat.

§. X.

De ventriculi vulneribus penetrantibus, ſolam quidem ſubſtantiam eius afficientibus, ſed inſignioribus, paulo aliter ſentiendum erit, et de illis praecipua lis inter Auctores Medicinae Forenſis hucusque acta fuit. Contingunt illa vel in anteriori vel poſteriori ventriculi latere, reliquae enim eius regiones, verbi gratia fundus aut 2. orificia eiusmodi laeſionem magnam, ſolam ſubſtantiam ventriculi diſcindentem, haud admittunt, et absque neruorum maiorum vaſorumque ſanguiferorum funeſta laeſione peragi nequeunt, ita vt de abſoluta vulnerum has regiones attingentium lethalitate nemo fere hucusque dubitauerit. Inter illa vero ea, quae faciem anteriorem ventriculi laedunt, frequentiora occurrunt, quum haec corporis regio

gio violentiae externae vulnerationem minanti non ſolum magis expoſita ſit, ſed etiam regio ventriculi poſterior ob ſitum vix absque aliarum nobiliorum partium vulnere tangi queat, et magno hiatu aperiri, et ſic de eius abſoluta lethalitate ſtatim certo conſtet, perfecta artis adynamia hic nunquam non concurrente.

§. XI.

Operae itaque pretium erit ante omnia illorum argumenta paulo propius conſiderare, qui haec vulnera e claſſe laeſionum lethalium eximunt, et ipſis, licet interdum ſatis magna ſint, aliquam ſanationis ſpem concedunt, deinde vero quid alii opponant, expendere. Qui ſcilicet benigniorem ſententiam amplectuntur. I. Adducunt plurima exempla, ex optimis Auctoribus, quibus fidem detrahere nefas foret, deſumta, laeſionum ventriculi ſatis inſignium vel feliciter ſanatorum, vel per plures annos vita ſuperſtite in abdomen hiantium, quibus minimum abſolutam lethalitatem talium vulnerum, licet maiorum, ſolide refutaſſe videri cupiunt, quum illius rei vniuerſalis affirmatio, cuius contrarium tot caſus ſingulares probant, cum regulis Logicis conſuetis minime ſimul ſtare queat. II. Modum ipſum curationis deſcribunt, vt ſcilicet, ſi integumenta abdominis reliquaeque eius partes continentes ſatis magno vulnere aperta ſint, cauo abdominis prius ſatis ab impuritatibus repurgato, labia vulneris ventriculi vel cum ſe inuicem

vel

vel cum oris vulneris abdominis conſuantur, reliquaque deinde ſecundum regulas artis Medicae et Chirurgicae fiant, nec hanc ventriculum ſauciatum ſutura vniendi encheiriſin tanquam temerariam obinde reiiciendam eſſe autumant, quum illam aliquoties ex voto ceſſiſſe experientia compertum ſit. Quando vero vulnus abdominis nimis paruum obſeruetur, illud inciſione facta ampliandum praecipiunt. III. In eiusmodi vulneribus faciei lateralis anterioris ventriculi neceſſaria medicamenta balſamica externa ſatis magna copia parti adfectae adhiberi poſſe addunt, eiusque conſolidationem inſigniter iuvari. IV. Vulnera inteſtinorum craſſorum ſaepius, et tenuium aliquando, cum vel absque ſutura inſtituta, ſanata fuiſſe dicunt, eidem fere manuum chirurgi acceſſus difficultati obnoxia, quum vero ventriculus tunicarum fibris craſſioribus, quam canalis inteſtinorum conſtet, nullam rationem perſpici, cur ſolius ſubſtantiae eius vulneribus maior inſanabilitatis gradus quam inteſtinis ſauciatis tribui debeat. V. Aliorum adhuc viſcerum membranaceorum laeſiones tota die ſanari obiiciunt v. gr. veſicae, dum methodo laterali, vel alto, vt vocant, adparatu, aut methodo Celſiana, pro calculo extrahendo caute, ſed ſatis magno vulnere ſaepe inciditur, cuius vulnera absque ſutura iterum concreſcunt; licet hic eadem fere ſanationis impedimenta ſe trudant, vt ſcilicet veſica lotio in renibus ſecreto, et per vretheres adueƈto, continuo repleatur, ipſiusque ſubſtantia ex meris tunicarum ſtratis vt in ventriculo conflata

ta

ta ſit. VI. Haud exiguum probabilitatis illethalitati vulnerum ventriculi lateris anterioris praeſertim ipſorum iudicio hoc conciliare videtur, quod inter omnes caſus ab optimis Medicinae Forenſis Auctoribus *Ammanno, Zittmanno, Bohnio, Valentino, Alberti, Hoffmanno, Richtero etc.* collectos vix vnicum tale vulnus ventriculi laterale occurrat, quod absque inſignibus in vſu 6. rerum non Naturalium reliquoque regimine et medendi methodo commiſſis erroribus mortem intuliſſe referatur, quum e contrario tot alii ſupra a nobis indicati haec vulnera ſanata annotauerint. Ex quibus omnibus argumentorum momentis cum aliqua certitudine VII. concludi poſſe arbitrantur, quod dum in dubio mitior ſemper ſententia amplectenda eſt, tot vulnerum ventriculi lateralium ſanatorum exemplis cognitis, haec vulnera potius ad ſanabilia referre praeſtet, quum quod in vno homine perfecte ſano ſub iisdem vel maxime ſimilibus tamen rebus circumſtantibus fieri potuit, in altero quoquè pro factu impoſſibili ſecundum dictata rationis haberi haud mereatur.

§. XII.

Verum haud minus grauia ſunt, quae alii in contrarium adducunt. I. eiusmodi exempla vulnerum ventriculi maiorum ſanatorum ad portenta et ſingulari quodam fortunae beneficio contingentia referunt, a cuiusmodi caſibus extraordinariis ad id, quod vtplurimum fit, eo minus argumen-

mentari permiſſum ſit, quum alias nullum fere reliqui corporis humani vulnus pro abſolute et ſimpliciter letifero declarari queat, tot aliorum, nobiliorum quoque viſcerum v. gr. cerebri profundiſſimis vulneribus in vno et altero indiuiduo mortem ſubinde effugientibus, de quorum lethalitate alias nemo dubitat. Praeter haec pleraque reliqua vulnera ventriculi inſigniora vſu artis quotidiano mortifera obſeruari, ita vt de potiori hic quoque perpetuo iudicandum ſit. II. ventriculum vulnere aperto et penetrante laeſum collabi, et intra abdomen magis adhuc recondi exiſtimant, ita vt ſi vel maxime integumenta et muſculi abdominis cum peritonaeo ſatis magna laeſione diuiſa ſint, vel inciſione per artem facta vulnus eorum adhuc magis dilatetur, ille tamen manibus Chirurgi auxiliatricibus vix vnquam ſatis obuius occurrat, vt debita medela externa ipſi ſuccurri queat, eius extra vulnus abdominis extractione, quae in inteſtinis ſauciatis aliquando obtinet, ob intimum et arctiorem ipſius cum viſceribus et vaſis ſanguiferis nexum absque ſummo vitae periculo et vinculorum ac vaſorum dilaceratione nulla cautione et dexteritate perficienda. III. Regerunt, quod licet in vulneribus maioribus ventriculi alterutrum latus afficientibus non nimis magni nerui et vaſa ſanguifera diſcindantur, eo plura tamen eorum ſemper vulnerationem ſubeant, adeoque multum non ſolum ſanguinis fundant, ſed etiam tandem Syſtema-

ti

ti neruorum irritationem et ſymptomatum periculoſiorum ſeriem facile inducant, quam ſi aliquot inſigniores eorum rami diſſecentur. IV. Sub actione reſpirationis ventriculum ſauciatum quouis momento a diaphragmate et muſculis abdominis vice commutata premi, labia vulneris inſignioris eo magis a ſe invicem diſtrahi, et conſolidationem eorum impediri, monent. Quod vero V. de ſutura ventriculi adhibenda nonnulli ſuadent, in theſi quidem ſatis ſpecioſum eſſe confitentur, in hypotheſi et executione vero eo pluribus periculis obnoxium. Vulnus enim abdominis raro tam amplum eſſe, vt ventriculi pars laeſa in oculos ſatis incurrat, et manibus tractari queat, et licet ampliato vulneris abdominis a ſummis Medicis non ſolum concedatur, ſed etiam certo caſu ſuadeatur, illam tamen vix absque omni nouo periculo peragi, quia praeter integumenta et muſculos ipſum peritonaeum ſenſibiliſſimum maiori vulnere tum incidendum eſt. Praterea non poſſe non vulnerato inſignes cruciatus et periculoſam nervorum ventriculi irritationem, maioremque adeo ſanguinis ad partem adfectam adfluxum excitari, dum ventriculus nouis puncturis ſub adminiſtratione ſuturae adfligitur. VI. Omnes illos, quorum vulnera ventriculi maiora illethalia ab Auctoribus referuntur, fuiſſe homines gregarios, rudioris vitae generis et ſemi-barbaros, quorum corporis natiua conſtitutio prae aliis plurimum eminuit, et a quorum itaque conditione ad reliquos vix tuto concludere liceat. VII. In plerisque eorum, quorum vulne-

ra

ra ventriculi etiam maiora tanquam illethalia allegantur. Naturam propria et peculiari bonitate corpora eiusmodi peregrina v. gr. cultrum deglutitum, ſuccedaneo actu per ſubſtantiam ventriculi et peritonaeum, muſculos et integumenta abdominis ſenſim foras protruſiſſe, cuiusmodi vero laeſio ab illis, quas vis externa vno impetu induxit, ſemper quam maxime differat, nec pro regula vniuerſali conſtituenda ſufficere queat. etc.

§. XIII.

Omnibus his argumentis, quae in vtramque partem adducta fuerunt, ponderatis, hoc veriſſimum eſſe comperitur, quod quum tot vulnerum ventriculi inſigniorum ſanatorum vel illethalium ſaltem exempla apud Auctores fide dignos proſtent, ipſis in vniuerſum par lethalitatis abſolutae neceſſitas minime tribui queat, quam quae v. gr. cor perfoſſum vel vaſa principalia corporis diſſecta inſequitur, quum illud, quod re vera toties illethale fuit, vt ſupra dictum, non amplius ſub notionem neceſſario et ſemper lethalis vulneris cadat. Interea quum ſumma quaeuis vulnera ventriculi arte Medica ſanandi difficultas in antecedentibus, vt mihi quidem videtur, ſatis ſuperque comprobata fuerit, paulo maiora illorum, dilaceratione praeſertim, vel integumentis abdominis integris, inducta, vt plurimum lethalibus ſemper adnumeranda eſſe res ipſa loquitur, quae ſi in accommodatione ad caſus ſpeciales

mortem

mortem absque aliis peregrinis cauſſis acceden- tibus, v. gr. errore inſigni vulnerati vel Medici et Chirurgi commiſſo, inſequentem nanciſcantur; nullam amplius de abſolute lethali ſua in hoc vel illo indiuiduo conditione dubitationem relinquunt, pariter ac in contuſionibus ventriculi paulo inſig- nioribus obtinere §. VIII. huius Diſſertationis a me demonſtratum fuit. Quodſi vero eiusmodi ven- triculi vulnus laterale faciei ipſius anteriori inflí- ctum, vtut paulo inſignius, nulla periculoſa ſym- ptomata non ſolum exciperent, ſed etiam mors ad plurimum temporis protraheretur, talisque vulne- ratus omni auxilio Medico et Chirurgico neglecto vel perperam adhibito vitae generi inordinato ſibi ipſi fatum acceleraſſe deprehenderetur, mitiorem hic ſententiam amplectendam eſſe, vulnusque ipſi inflictum pro per accidens tantum lethifero habe- ri poſſe, mihi quidem ex rationibus ſupra addu- ctis tam certum, quam quod certiſſimum ſemper viſum fuit, vulnerante tunc vix amplius cauſſa ab- ſoluta et vnica exitus funeſti inſequentis exiſtente.

§. XIV.

Interea ex his omnibus ſatis ſuperque perſpi- ci exiſtimo, qua circumſpectione iudicium de eius- modi vulneribus ventriculi Medico coram iudice criminali proferendum ſit, et quanta, ſicut in omni- bus reliquis laeſionibus, ita hic quoque praeſertim neceſſitas ſit, ante omnia ſitum et magnitudinem figuramque vulneris rite inueſtigandi, regionem

ventriculi laeſam accurate nominandi, vaſaque et neruos conſpicuos laeſos ratione numeri, magnitudinis, nec non copiae ſanguinis in illis adhuc reſidui, vel ad cauitatem abdominis cum contentis ventriculi emiſſi, ſollicite deſcribendi, quum vix aliud laeſionum genus in Medicina Forenſi indicari queat, in quo reo eiusque defenſoribus plura ſubterfugia ad totum ſtatum lethalitatis confundendum pateant.

XIII.

XIII.

PETR. IMMAN. HARTMANNI,

diſſ. ſiſtens medicam tormentorum aeſtimationem.

Helmſt. 1762. reſp. et auct.

Frider. Adolph. Detleffſen.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Facturusne operae ſim pretium, neſcio, ſi, curriculi academici fines nunc emenſus, et ad ſummos in ea ſcientia, cui omnem hactenus inſumſi vitam, honores adſpirans, profectuumque in eadem acquiſitorum ſolemne iam daturus ſpecimen in eiusmodi argumento, quod tritum ſatis et medicorum non modo, ſed et theologorum atque iure conſultorum ſcriptis quodammodo peruulgatum videri poteſt, in praeſenti fuero verſatus. Commentabor nimirum proponamque *medicam tormentorum aeſtimationem;* tormentorum, inquam, quibus legum ſacerdotes in reis, crimina ſua diffitentibus, ad eruendam vtuntur veritatem, et de quorum applicatione infinitae diuerſiſſimaeque fuerunt et etiam nunc ſunt paſſim quaeſtiones controuerſiaeque. Meum, quippe medici, non eſt, tantas componere lites, aut, qua iuſtitia huiusmodi adflictiones inferantur reis, definire. Cauete ergo, lectores, hanc operam a me nunc exſpectetis.

 Sed

Sed piis iuſtisque iudicibus ipſa naturae lex impe-rat, imperantiumque, vt aequum erat, conſenſit voluntas, vt, ſi quos peruicacioris in negando cri-mine animi reos torqueri oportet, ſanitatis tamen ipſorum tuendae conſeruandaeque habeatur ratio; ne forte, ex tormentis dimiſſi, tantam valetudi-nis factam ſentiant iacturam, quo minus vitae ſub-ſidia comparandi ſuperſit facultas. Verum enim vero quandocunque tam irreparabile tamque atrox ſanitati reorum ex torturae adflictionibus acciderit detrimentum, illud ipſum vel per tormentorum, ſiue ipſa inepta atque incommoda ſpecies inſtru-menta, ſiue inſcitas imprudentesque eorundem applicatorum rationes, immanitatem atque dirita-tem, vel per qualemcunque corporis in reis ſin-gularem conſtitutionem, ſuſtinendis huiusmodi cruciatibus inhabilem, eueniſſe oportet. Proin-de, cum de his docte intelligenterque iudicare medicorum ſit, tanquam ſanitatis humanae ar-bitrorum atque cuſtodum, non ſolum varii ſa-lutaris ſcientiae doctores de hominibus torturae aptis ineptisque ſingularibus commentariolis ſub-tiliſſime eruditiſſimeque diſputarunt *), verum etiam

*) Eo nomine, verbi cauſſa, excitandi ſunt *Ben-jamin Ewald* in *Diſſert. de Torturis*, Regiomont. cIↄIↄCCVII. *Michael Erneſtus Ettmüller* in *Diſ-ſert. de Tormentis et poenis ſuſtinendis*, Lipſiae cIↄIↄCCX. *Ioannes Philippus Eyſelius* in *Diſſ. de morbis, ob quos rei ad torturam inhabiles ſunt*, Erfurt. cIↄIↄCCXI. *et Michael Alberti* in *Diſſ.*

etiam plures iuſtitiae antiſtites medicum de valetudinario torquendorum reorum ſtatu ſemper ante audiendum eſſe voluerunt *); vt ne partim iudex in imperanda tormentorum applicatione, partim carnifex, iuſtitiae miniſter, in ipſa eorundem delinqueret executione. At enim vero praecipua omnium harum rerum definiendarum, viriumque in ſingulis reis ad ſuſtinenda varia tormentorum genera neceſſariarum recte aeſtimandarum, argumenta eo inprimis redeunt, vt ſciatur perfecte, quinam generatim ſingularum iſtarum adflictionum, quas reis, iubente et praeſente iudice, infert carnifex, ſint effectus. Quam materiem cum hactenus a nemine, niſi me omnia fallunt, ex profeſſo deditaque opera tractatam abſolutamque

P 3 vide-

Diſſ. de torturae ſubiectis, aptis ineptisque, Halae clↄIↄCCXXX. recuſa in *Iurisprudent. med.* Tom. III. pag. 190. ſeq. in Append. quibus ex iure conſultis commode addi poteſt *Ioannes Samuel Fridericus Boehmer in Diſſ. de eo, quod iuſtum eſt circa torturam valetudinariorum.* Halae clↄIↄCCXXIX.

*) Videſis FROELICHII a FROELICHSBVRG *Commentat. in* C. C. C. Lib. III. Tit. XX. n. 2. pag. 235. edit. Oenip. clↄIↄCCXIX. *Hieronymi Chriſtophori Meckbachs Anmerckungen über Kayſer Carls V. P. H. O.* ad Artic. LIX. pag. 149. edit. Ienae clclↄCCLVI. et *Chriſtiani Vlrici Grupen Obſeruat. iuris criminal. de applicatione tormentorum*, editio. Hannoueran. clↄIↄCCLIV. paſſim plurimis locis.

rem *), gratam fructuoſamque rem me inſtituturum putaui, ſi potiorum tormentorum, quorum iam in foro vſus eſt, praeſenti commentariolo medicam ſuſciperem aeſtimationem. Cuius opuſculi *duo* ſunto *capita*; alterum, quod effectus torturae, in reorum corpora generatim redundantes, complectatur; alterum vero, quod eosdem effectus, cum valetudine reorum quomodocunque laeſa et aduerſa, aut viribus, a natura iuſto imbecillioribus, collatos, ſingulariter ſiſtat. Concedat ſummus omnium iudicum iudex arbiterque, et omnis iuſtitiae auctor ſtatorque, vt conatus hi noſtri in ipſius gloriam, aequitatis atque iuſtitiae adminiculum, aliorumque ſalutem, quae ſaltem votorum noſtrorum ſumma eſt, inſtituantur.

*) Quae enim cum noſtro inſtituto conuenire videtur, „*Guilielmi Zaccbariae Crameri diſſ. de tortura, eiusque vſu et effectibus*, Lipſiae cIↃIↃCCXLII. defenſa, cum ſit iureconſulti opuſculum, a noſtro longiſſime recedit.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

DE
TORMENTORVM IN REORVM CORPORA EFFECTIBVS GENERATIM.

§. I.

Diſputandorum ordo ratioque.

Quam difficillimum diſputatu, quam implicatiſſimum controuerſiis, et quam ancipitibus coniecturis perplexum ſit illud, quod nunc molior opuſculum, ego profecto maxime intelligo, mecumque intelligent omnes, qui nec eandem in omnibus ſingulisque tam Europae, quam ipſius Germaniae noſtrae, regionibus prouinciisque inſtituendae per tormenta quaeſtionis eſſe rationem, nec vbiuis inſtrumentorum, quibus torquentur rei, ſtructuram fabricamque inter ſe conuenire, nec demum quoque truculentam lictorum carnificumque artem vbique locorum aeque deprehendi perfectam exquiſitamque, haud ignorant *a*); vt nunc maxi-

a) Si qui autem haec ignorant, certiores de his fient, ſi legerint tantummodo, contulerintque *Iacobi Doepleri Schauplatz derer Leibes- und Lebensſtrafen.* Tom. II. Sondershuſae et Lipſiae cIↄIↄCXCIII et cIↄIↄCXCVII, *Chriſtiani Iacobi Heil*

mam inter reorum, qui adfligendi ſunt, corpora differentiam, altero capite dicendam, ſilentio praetermittam. At enim vero, ſi quis in ſcrupuloſa hac re planiſſime expeditiſſimeque verſari vellet, nae! ille multiplicem tormentorum effectum expenſurus atque aeſtimaturus, ſingulas illas res, aut; ſi dicere malueris, circumſtantias, quae modo ſunt enarratae, ſimul quoque attento curioſoque animo perpendat conferatque, oportet. Atqui hoc longiſſimi eſſet operis, et ſpiſſa volumina, non, vt ego inſtituo, commentariolum academicum, meditanti conueniret. Proinde harum rerum delectu opus eſt; certaque quaeſtionis huius ſeuerioris norma definienda, ad quam varii tormentorum effectus in praeſenti potiſſimum exigantur. Seligam ergo huius carnificinae genera, ſiue inſtrumenta, ſiue applicationis modum ſpecies, in *Saxonico foro* vſitata, tactis tamen vbique et adnotatis iis, quorum in his *terris Brunſuico - Luneburgicis* inualuit vſus. Quo in argumento ita verſabor, vt, praemiſſis adflictionum harum forenſium definitionibus atque diuiſionibus, tum ipſorum inſtrumentorum formam fabricamque breuiſſime explicem, eorumque applicandorum porro methodum proponam, tandem qualescunque, qui inde enaſcuntur, effectus, quoad potero, accurate euoluturus.

§. II.

Heil Iudicem et Defenſorem, edit. recent. Lipſiae cIↄIↄCCXXXVIII. et ante omnes celeberrimi *Chriſtiani Vlrici Grupen Libr.* iam antea in Praefatione a nobis citat.

§. II.

Tormentorum notio definita.

Antiquiſſimum eſſe tormentorum, vt criminum exprimatur veritas, vſum, luculenter diſputare, neque nunc vacaret, neque ſi vacat, mei intereſt inſtituti *b*). Cuius ſeuerioris quaeſtionis perpetuam ſeruationem ad noſtra vsque tempora in iudicia tranſtulit neceſſitas, pluriumque ſaepenumero reorum in ſceleris diffeſſione peruicacia, atque recentiori demum aeuo, nonnullorum imperantium rupit voluntas. *Quaeſtio* vero haec (ſic enim ſimplici vocabulo latine dicitur,) ſequiori dein latini ſermonis aetate *tortura c*) appellata, et nunc quoque à Germanis barbaro nomine *die Tortur* vulgo inſignita, ſaepius etiam *die Marter*, *die Folter*, *die peinliche*

P 5 *Frage*

b) Praeter iam honorifice nominatum *Chriſt. Vlricum Grupen*, qui modo memorato libro locupletem de tormentis Romanorum et Graecorum diſſertationem praemiſit; hac de re agunt quoque *Michaël Henricus Gribner in Programmate de vſu tormentorum apud Athenienſes*, recuſa in eiusdem *Opuſcul. iuris priuati*, Sect. I. pag. 106. edit. Lipſ. clↄIↄCCXXII. et *Ioannes Samuel Fridericus Boehmer in Elementis iurisprudentiae criminalis*, Sect. I. cap. XIII. §. CCXXIX. pag. 140. edit. Halenſ. clↄIↄCCXXXXIX.

c) Eſt nimirum *Palladii* vox, monente *Olao Borrichio in cogitat. de variis L. L. aetatibus*, pag. 253.

Frage, vocata, eſt *actio forenſis, ſiue iudicialis, qua de crimine quodam grauiori ſuſpectus reus certis tormentorum generibus a carnifice ad veritatis adigitur confeſſionem.* Huic definitioni addunt porro iure conſulti ſequens *ἀξίωμα*: certa haec cruciatuum genera inter et criminis atrocitatem atque legitimam, quae in reum cadit, ſuſpicionem omnino iuſtam et exquiſitam intereſſe oportere proportionem *d*); ita, vt in leuioribus delictis leuiora, in grauioribus autem acerbiora imperentur tormenta.

§. III.

Eorundem diuiſio ab ICtis conſtituta.

Atqui inde (§. II.) nata eſt acerbioris quaeſtionis in foro diuiſio, quam etiam nunc ſuo adſenſu confirmant iuſtitiae ſacerdotes. Rectiſſimae enim canente PRVDENTIO *e*): *gradu reorum forma tormentis datur.* Proinde quoniam ipſe ſuſtinendorum perferendorumque cruciatuum metus, et horribilis inſtrumentorum, quae ex ipſo trucu-

len-

d) Confer, ſi lubet, *Ioannis Rudolphi Engau Elementa iuris criminalis* Libr. II. Tit. XIX. Membr. III. §. CCXXXVI. pag. 434. edit. Ienenſ. cIɔIɔCCLII. et *Ioannis Chriſtophori Kochii inſtitutiones iuris criminalis* Libr. III. Cap. XX. §. DCCCLVI. edit. ibidem cIɔIɔCCLVIII.

e) In *Libro* ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ. Hymn. X. verſ. 120.

lento tortoris vultu immaniſſimos dolores minantur, adſpectus reos, ſi qui forte imbecillioris ſunt animi, intimis ſenſibus ita angere, et acerbiſſima exſpectatione adfligere poteſt, vt, nullis veris cruciatibus corpori illatis, ſua ſponte verum profiteantur, iudices hanc quoque eruendae veritatis rationem inter quaeſtiones, diffuſiori ſignificatione ſumtas, retulerunt. Quae igitur cruciatus tantummodo minatur, non perfecte infert, *Quaeſtio terrens*, ſiue *territio*; quae autem reorum corpora vere adfligit, *adfligens*, ſiue *tortura* proprie ſic dicta, in iure conſultorum ſcholis audit *f*).

§. IV.

f) Confer, verbi cauſſa, ex ICtis *Boehmerum* in *Libr. citat.* cap. XIII. §. CCXXX. pag. 141. *Chriſt. Frideric. Georg. Meiſterum* in *Principiis iuris criminalis* Cap. XIX. et XXI. p. 395. et 413. edit. Goetting. cIↄIↄCCLV. *Kochium* in *libr. cit.* L. III. Cap. XX. §. DCCCLIII. ex medicis, qui medicinam forenſem illuſtrarunt, *Michaelem Alberti* in *Commentatione medica in C. C. C.* Artic. LVIII. pag. 176. ſeq. edit. Halenſ. cIↄIↄCCXXXIX. et in *Syſtemate iuris prudentiae medicae* Tom. I. Part. I. Cap. XII. §. II. pag. 242. edit. Halenſ. cIↄIↄCCXXXI. *Ioann. Erneſt. Hebenſtreit* in *Anthropologia forenſi*, ſect. II. Membr. II. Cap. III. §. IV. pag. 592. edit. ſecund. Lipſ. cIↄIↄCCLIII. et *Friedericum Boernerum in Inſtitutionibus medicinae legalis* §. CCXIII. p. 274. Vitemberg. cIↄIↄCCLVI.

§. IV.

Alia tormentorum diuiſio propoſita.

Verum enim vero meditanti haec, anteaquam vtrumque hoc quaeſtionum forenſium genus (§. III.) amplius perſequar, plura ſuccurrunt argumenta, non inopportuna noſtro viſa inſtituto, cur ad haec aliam eamque in foro hactenus non vſitatam tormentorum nunc proponam diuiſionem. Cuius partitionis duo ſunt fundamenta: *alterum* valetudinis in reis conſeruationem, ſicuti iam ſupra praefati ſumus, reſpiciens, *alterum* vero iudicis in quaeſtione inſtituenda voluntati atque propoſito conueniens accommodatumque. *Hoc* nimirum vult exigitque, vt reo, in ipſis tormentis iam comprehenſo, is ipſe cruciatuum et adflictionum gradus, quem iudices definierunt, a tortore, pro ea, qua inſtructus eſſe debet, crudeli arte, exacte inferatur, nec, niſi ſanitas rei aliam ineundam ſuaſerit rationem, iuſto magis intendatur aut imminuatur g). *Illud* vero ſanitati vitaeque reorum parci iubet

g) Ipſam enim iuſto maiorem dolorum exacerbationem, ſi inprimis humanitatis limites ſit ſupergreſſa, ipſorum quoque cruciatuum eſſe lenimentum, dum ſtupidos reddit reos, adeoque propoſito ſuo excidere iudicem, deinceps oſtendemus. Ceterum circa hanc rem conſer quoque *Kochium.* in *Libr.* et *loc. citat.* §. DCCCLXXI. et *Chriſt. Vlric. Grupen* in *Libr. citat.* paſſim pluribus locis, ceteroſque hactenus allegatos ſcriptores.

iubet: quam adhibendorum tormentorum cautionem iam pridem ſeuerioris iuris, quod criminale vulgo vocant, doctores inter *ἀξιώματα* ſua conſtituerunt *h*). Hinc ergo *quaeſtionem* per tormenta merito diſtinguendam exiſtimo in *congruam legitimamque*, congruam ſcilicet, quae binis iſtis iam commemoratis praeceptis ſatisfacit; incongruam vero, quae iisdem aduerſatur. Cuius diſtinctionis vſus neceſſitasque deinde in ipſa effectuum, qui a tormentis proficiſcuntur, expoſitione lectoribus luculentiſſime conſtabit.

§. V.

Terrentis quaeſtionis duo genera apud ICtos.

Sed ex noſtro diuerticulo, in quo paullisper ſubſtitimus, redeamus, ducibus ICtis, in viam

h) In hoc quoque ad vnum fere omnes legum latores conſenſerunt: qua de re euolui merentur partim *Daniel Claſſenius* in *Commentario in* C. C. C. in Exegeſi ad Artic. LVIII. et LIX. pag. 195, ſeq. edit. Lipſiae cIↄIↄCCXVIII. *Boehmerus* in *Libr. allegat.* Sect. et Cap. cit. §. CCXLII. 23. *Engau* in *Libr.* et *loc. cit.* §. CCXXXVIII. *Meiſterus* in *Libr.* et *Cap. citat.* §. VII. partim *Hebenſtreit* in *Anthropol. forenſ.* loc. allegat. §. 1. 2. 3. et *Alberti* in *Comment. ad.* C. C. C. ad Artic. LVIII. Vetus iam *Vlpiani* eſt effatum: *Ita*, dicentis, *quaeſtionem habere oportet, vt reus ſaluus ſit vel innocentiae, vel ſupplicio.* Videſis *Digeſtor.* Libr. *XLVIII.* Tit. *XVIII.* 7.

viam ſatis tritam, diſpiciamusque nunc primo de quaeſtione terrente, ſiue, vt parum latine dicitur, *territione* (§. III.) Hanc denuo duplici genere diſtinctam eſſe voluerunt iuris periti. Alterum genus in ea ſolum conſiſtit actione iudiciali, qua carnifex truculento vultu, diris verbis, minaci inſtrumentorum, ad crudele hoc opus pertinentium, expoſitione, quaſi furibundus in reum irruit; qui actus, quod ſolis verbis abſoluitur, *territio verbalis* appellatur *i*). Haud adeo diſſimilis huic eſt alterius generis terrens quaeſtio, quae quoniam prioribus iſtis minis ſimul vnius aut plurium inſtrumentorum, quibus alioquin tortores officium ſuum exſequuntur, applicationem laxam atque ſuperficiariam, ſine omni tamen exſecutione, adiungendum requirit, atque ideo rei cuiusdam peragendae ſpeciem prae ſe fert, *territionis realis* nomine eſt ſignata *k*).

§. VI.

i) Sic verbalem hanc territionem deſcribunt *Boehmerus*, *Engau*, *Meiſterus*, *Kocchius*, *Grupen*, *Hebenſtreit*, *Alberti*, *Boernerus* aliique hac de re ſcriptores iam honorifice nominati *in citatis libris locisque*; quibus, ſi placet adde *Chriſt. Frider. Gerſtlacherum* in *Commentatione de quaeſtione per tormenta*, *clↄIↄCCLIII*, *Benedictum Carpzouium in Practica noua rerum criminalium*, Part. III. Quaeſt. *CXVII.* num. 47. pag. 157. edit. Lipſiae clↄIↄcxcv. et *Ioannem Ludouicum Wiederholdt in den chriſtlichen Gedanken von der Folter*, pag. 45. edit. Wetzlar. *clↄIↄCCXXXIX.*

k) Conferantur ſinguli modo excitati auctores, tam

§. VI.

Territionis verbalis inſtituendae ratio.

Tametſi vero praecipuum, quod inter vtrumque territionis genus intereſt, iamiam tetigimus diſcrimen (§. V.): tamen, vt effectus vtriusque quaeſtionis iuſte aeſtimari internoſcique poſſint, ſingulatim omnia nunc ſunt exponenda. Poſteaquam igitur *verbalis* haec *territio* carnifici eſt imperata, habet omnino hic, in quo ingenium, artem, dexteritatemque ſingularem excellenter oſtendat. Quantum enim ſaepenumero ad ſeueriorem quaeſtionem auertendam in prudenti carnificis terrentis machinatione habituque formidoloſo ſit poſitum, omnes norunt iudices, huiusmodi quaeſtionum non inexperti. Proinde reo, verbis minisque ad dicendum veritatem adigendo, artis peritus carnifex ſuam ipſe perſonam, quoad eius facere poteſt, velut formidoloſiſſimam barbaraque feritate pleniſſimam ſiſtit; quicquid inexorabile, quicquid inhumanum, quicquid dirum, quicquid crudele dici fingique poteſt, id omne in ore vultuque gerit, vt videatur

Aſperior tribulis, foeta truculentior vrſa,
Surdior aequoribus, calcato immitior hydro l);

produ-

tam iuris conſulti, quam medici, in *Libr.* et *loc. allegatis.*

l) *Ovidius Metamorphoſeon* Libr. XIII. verſ. 803. ſeq. Hoc vultum exaſperandi artificio excel-

producit porro in conſpectum miniſtros ſuos, ipſomet truculentiores aſperioresque, et eorundem diras artes, ſuſpendio necandi, artus rota contundendi ſuffringendique, capite reos plectendi, exſecandi cor, linguam, aut alias partes, amputandi manum, et candente lacerandi forcipe, copioſe et ad terrorem accommodate recenſet; tum ſingula tormentorum ante oculos ponit machinamenta, non vſitata ſolum, ſed ea quoque, quorum vſus ob inhumanitatem intolerabilesque dolores nunc quidem in foro obſoleuit *m*), omniumque vires efficacitatesque, dum applicantur, ſigillatim exponit, quid? quod ipſo effectu acerbiores praedicat: quo nomine praela profert ferrea, comprimendis pollicibus accommodata, ideoque a nonnullis barbare polletra dicta, funes ſiue fidiculas aſperrimas, tam cannabinas, quam ex iubis equinis contortas, compedes ſeu pedicas ferreas ligneasque, intrinſecus crenatas, ocrearum Hiſpanicarum nomine inſignitas, praela duplicata, compreſſioni pollicum in manibus pedibusque ſimul inſtituendae aptata, quae vulgo inſtrumentum

lebant inprimis quondam Romani carnifices; ſicuti coniicere licet ex *Seneca philoſopho*, in Libr. III. *de Ira*, Cap. *XIX*. et *Seneca rhetore*, in *Controuerſ. II.* notante *Chriſt. Vlricus Grupen* in *Libr. citat. pag.* 174

m) Hoc ſaltem ex vſu fori eſſe adſerit iam ante dictus *Iohnnes Ludouicus Wiederholdt* in *Libr.* et *loc. allegat.*

tum Megapolitanum itemque hircus Hiſpanicus dicuntur, ſcalam aut lectulum, funibus per trochleam ductis inſtructum, violentae membrorum vniuerſique corporis diſtenſioni inſeruientem, cum annexo cylindro ligneo, clauis ligneis diſpuncto a ſimilitudine leporis lardo traiecti nomen adepto, et reliqua, quae attingere nimis longum foret, id genus inſtrumenta; tandem quoque, ſi pertinaciter crimen negauerit reus, ſubito et ex improuiſo in reum, tanquam nunc apprehenſurus, ſubinde irruit, ab ipſa tamen abſtinet comprehenſione. Atque ita ſi haec omnia exacte egerit carnifex, verbalis haec territio legitima (§. IV.) quoque erit, ſiue Saxonici fori inſtituta ſpectes, ſiue cuiuslibet alius fori habeas rationem *n)*.

§. VII.

Territionis huius effectus.

Hos ergo animae tantum velut impreſſos cruciatus, has diſtorſiones (§. VI.), vix putaueris habere quidquam, quod corpus quoque reorum tanquam tormentis laceret, excruciet, fatigetque. Verum enim vero eſt hoc in natura terroris, eſt hoc in indole eorum, qui plerumque, definientibus

n) Locupletius haec ante omnes perſequitur iam honorifice ſaepius dictus *Grupen in Libr. citat. pagin.* paullo ante *allegat.*

bus atque iubentibus iudicibus, ad hoc quaeſtionis genus rapiuntur, ſitum poſitumque, quod hac ratione perterritus atque perculſus hominum animus nunquam ſolus patiatur, ſed quod etiam vniuerſum ſimul corpus perhorreſcat et velut conquaſſetur. Quod ſi enim *primo* terroris generatim ſpectati naturam effectusque ſecundum Pathologorum *o*) demonſtrata curioſius expendamus, primo ſtatim intuitu euidenter deprehendimus, illato a terrore protinus vniuerſam corporis humani corticem maxime conſtringi, (quem ſtatum Graeci σπασμόν vocant,) et concuſſis conuulſisque neruis effici, vt rigor tremorque

- - pallentes occupet artus,

Et notet informis pallida membra color.

Vnde qui proficiſcuntur, effectus abunde ſatis graues atque inſidioſi partim protinus ingruunt, partim interpoſito quodam temporis interuallo ſubſe-

o) Explicatius hac de re egerunt *Georgius Wolfgangus Wedelius* in *Diſſertat. de terrore*, Ienae cIↄIↄCXCVII. *Leonhardus Stocke* in *Diſſertat. de terrore eiusque effectis in corpus humanum*, Traiecti ad Rhenum, cIↄIↄCCXXXIII, et *Otto Barckhuyſen* in *Conſideratione terroris pathologico-therapeutica*, Lugd. Batav. cIↄIↄCCXXXVIII. quibuscum ad hoc conferri merentur *Friedericus Hoffmannus* in *Pathologiae generalis* Sect. II. Cap. I. §. XIX. ſeqq. pag 118. edit. *Bücherian.* Halae cIↄIↄCCXLVI. emiſſae et *Samuel Schaarſchmidt* in *Mediciniſchen und Chirurgiſchen Nachrichten*, Th. VI. pag. 227. ſq. edit. Berolin. cIↄIↄCCXLVIII.

ſubſequuntur. Atque iſti quidem ſunt ſubitus vaſorum, quae cutem et externas fabricae humanae partes perreptant, collapſus, ſuppreſſae aut ſaltem imminutae turbataeque quaelibet naturales corporis noſtri purgationes, verbi cauſſa, inſenſilis per cutem exhalatio, haemorrhoides, menſes et haud raro vrinae fecumque aluinarum emiſſio, porro virium inſignes iacturae, neruorumque tremores et conuulſiones; iunctique his praecordiorum angores, palpitationes cordis, ſaepiusque numero defectiones animi, morbi comitialis acceſſiones repentinae, ſopores profundi, apoplexiae, et ipſa demum

- - vis improuiſa leti *p*).

Haec autem tardius reis perterrefactis ſaepe ſuperuenientia damna, ſanitatem euerſura; caue, exiſtimes iſtis prioribus, quae iam adnotauimus, longe eſſe mitiora: quippe ſanguine poſt ſuperatum σπασμὸν rurſus vehementius impetuoſiusque ad exteriora conuerſo, haud infrequenter, teſte crebriori experientia, terrorem ſubſecutae ſunt

 im-

p) Complura mortis a terrore ſubito illatae exempla recenſent *die Breslauer Sammlungen*, A. cIↄIↄCCXXI. Verſ. XVI. Menſ. April. pag. 362. et 364. *Commercium litterarium phyſico-medico-technicum Noribergenſe*, A. cIↄIↄCCXXXIII. Hebd. XXIII. et A. cIↄIↄCCXXXVI. Hebd. XXXIII. et *Ephemerides Acad. Caeſ. nat. cur.* plurimis locis, quae collecta et ſigillatim adnotata deprehenduntur in *Wilhelmi Andreae Kellneri Indice Ephemeridum.* pag. 1134. ſeq. edit. Noriberg. cIↄIↄCCXXXIX.

immodicae ſanguis per nares, per pulmones, per ventriculi vaſa per ſanguiferos inteſtini recti canales, qer vteri vaginaeque vterinae vaſcula, perque alia interdum, licet inſolita, corporis humani loca *q*), profuſiones, in grauidis abortiones et enormes in iſtas conſpirantes haemorhagiae, porro interdum amentia, coecitas, ſurditas, loquelae iactura, febres varii generis, dolores rheumatici atque arthritici, et quid non malorum *r)*? Ad haec autem *ſecundo*, ſi terroris damna, in reorum corpus redundantia conſideres, rationem quoque haberi oportet eius indolis, quae plerumque in

q) Vidimus ante hos circiter octo annos virginem, ſubito, dum per menſtrua purgaretur, vehementiſſime perterritam, vt etiam animus horae fere ſpatio deficeret; in qua, vterino ſanguine protinus ſuperiora verſus conuerſo, ſuppreſſisque adeo catameniis, paullo poſt ſingulis menſibus, inter maximos praecordiorum angores, ſanguis largiſſimo ſtillicidio ex diſruptis ſingulorum digitorum apicibus per tres plerumque quatuorue dies promanabat. A quo inſolito itinere nec prius deſtitit menſtruus ſanguis, quam idoneis remediis catameniorum naturalis fluxus eſſet reſtitutus.

r) Singulorum horum malorum luculentiſſima exſtant exempla in *Wilhelmi Andreae Kellneri Indice paullo* ante *citato*, et in *Michaelis Alberti Lexico reali*, Part. alter. pag. 1029. ſeq. edit. Halenſis cIↃIↃCCXXXI. nec non *Georgii Henrici Behrii Lexico reali*, pag. 791. ſeq. edit. Argentorat. cIↃIↃCCXXXVIII. vt alia plura eiusdem plane generis exempla non tangamus.

in reis, in quos verbali hac territione animaduertitur eſt conſpicua. Mittimus in praeſenti mere forenſia imperandae huiusmodi territionis argumenta, exempli gratia, delicta leuiora et inſufficientia ſcelerum perpetratorum indicia, de quibus fuſe praecipiunt iure conſulti: eos autem quoque terreri tantum, non torqueri, qui vel ob aetatem, vel ob valetudinem, vel ob animi infirmitatem imbecilles ſunt habendi *s*), hoc ipſum noſtrae intereſt attentionis. Quippe iis ipſis infirmioris naturae hominibus prae ceteris maxime irritabile neruorum genus, demonſtrantibus Pathologis, ineſt; vnde fieri non poteſt, quin, quae ante recenſuimus, varia ſanitatis vitaeque detrimenta eo grauius certiusque vel ſola haec verbis abſoluenda territio ſit allatura.

§. VIII.

Territio realis quaenam?

At enim vero circa *realis*, quam vulgo vocant, *territionis* (§. V.) adminiſtrationem non conſtans eſt fori vſus, neque ſub hac voce vnam eandemque ſententiam quondam iuris periti ſubiecerunt *t*); vt adeo

s) Videſis ſingulos *iuris criminalis ſcriptores*, a nobis ſaepius iam *excitatos*, locis itidem iam commemoratis.

t) Conferatur *Chriſt. Perneri Diſſert. de territione*, Giſſae cIↄIↄCLXIX. emiſſa, et viri clariſſimi

adeo mirum nemini eſſe debeat, de hoc ipſo argumento inter capitalium rerum doctores ſaepenumero ſubtiles aeque, ac litigioſas fuiſſe diſputationes. Si *Saxonici iuris* ſcriptores audias, ad realem requiritur territionem, vt carnifex reo, de dicenda veritate quaerendo, non minis ſolum vehementius inſtet, verum etiam vt pollicibus praela applicet, et circumacto vertibulo efficaciter ſatis, non tamen abſolute, conſtringat, deinque etiam fidiculas inferiori brachio circumiiciat, et aliquoties circa hanc partem rotando adducat *u*). Aliarum vero plerarumque regionum iura atque inſtituta domeſtica ab actuoſis acerbisque huius generis terroribus, reo admouendis, quoad verum terrorum nomen adhuc ſeruari oportet, et praedictum territionis genus ipſi tormentorum claſſi inſerunt *x*). Quibuscum nunc quoque maximus ſapientiſſimorum iure conſultorum, nec exceptis Saxonicis, numerus conſentiunt, aequiſſime iudicantes; reales reorum terrores, ſimulac vera tormentorum exſecutione excitantur, non territionis, ſed ipſius quam

ſimi *Chriſt Vlric Grupen Libr. citat.* pag. 120. 146 et 167. ſeq.

u) Ampliſſime haec expoſuerunt, praeter ceteros iuris criminalis ſcriptores, modo laudatus *Chriſtianus Vlricus Grupen* in *Libr. citat.* Cap. VIII. pag. 167. ſeq. *Ioannes Ludouicus Wiederholdt in Libr. citat.* Cap. I. §. 24. pag. 45. ſeq. et *Caſpar Ziegler in Diſſert. de Torturis,* Cap. I. Vitembergae cIↄIↄCXXIX. edit.

x) Recenſente clariſſimo *Grupen* in *Libr. et Cap. allegat.*

quam dicunt, torturae mereri cognomen *y*). Proinde hodie vbiuis fere locorum, in Germania ſaltem, ſiquidem tortura principis voluntate non penitus eſt prohibita, reali territioni ſequens praeſcripta eſt methodus; ſequentesque conſtituti ſunt fines,

Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Praeter eos nimirum, in quos carnifex verbis minisque pro ingenio ſuo, quantum maxime poteſt, reum iniicit terrores, antea a nobis explicate deſcriptos (§. VI.), quaerendus, in quo facti ſceleris ſuſpicio reſidet, ad haec a carnifice, velut in furorem acto, comprehenditur, ſpoliatur veſtibus atque denudatur, ſingulari denuo quibusdam in locis amiculo tormentorum applicationi apto z), cir-

y) Ni taedet, euolue recentiſſimos iuris criminalis commentatores, verbi gratia, *Boehmerum* in *Libr. cit.* Sect. I. *Cap.* XIII. §. CCXXX. *Engau in Libr. citat.* Libr. *II.* Tit. *XIX.* Membr. *II.* §. CCXLIX. *Meiſterum in Libr. citat.* Cap. *XXI.* §. *III. Kochium* in *Libr. allegat. Libr. III.* Cap. *XXII.* §. *DCCCLXXXVI. et Grupen in Libr. citat.* Cap. *VIII. pag.* 170.

z) Vulgo hoc illetabile veſtimenti genus *der Marterkittel* appellatur, et in viris lumbari tantum regioni circumiicitur, in feminis vero vniuerſum corporis truncum inuoluit, ne pudori feminino nimis quidquam detrahatur, mammaeque ſpectatorum oculis nudae exponantur. Conferatur *Wiederholdt* in *Libr. et Loc.* paullo ante *citat.* pag. 46.

circumdatur, adducitur ad ſcalam lectulumue, cruciatibus inferendis accommodatum, praelis ferreis circa pollicem et crura laxiſſime et in tantum, in quantum, ne decidant, opus eſt, inſtruitur, tandemque etiam funibus brachio circumiectis moderate ligatur; adeo vt ex vehementi carnificis inſultu minacique vultu praeſentiſſimos cruciatus exſpectet reus, non vere experiatur *a)*.

§. IX.

Huius quaeſtionis in reos effecta.]

Atqui huius quaeſtionis (§. VIII.) in reorum corpora effectus cur ſubtilius diſputem, non video. Sunt meri terrores, ſunt verba, ſunt minae, et praeterea verorum dolorum nihil inferunt, niſi forte reos

- - *vultus inſtantis tyranni*
Mente quatit ſolida.

Ergo quidquid inde in valetudinem vitamque reorum efficacitatis metui exſpectarique poterit, id omne per antehac a nobis diſputata, dum de verbalis territionis viribus diſcipiebamus (§. VII.), luculentiſſime apertiſſimeque conſtabit. Eos autem lectores, qui adhuc ſecundum antiqua Saxonici fori iuſtituta (§. VIII.) realem aeſtimant territionem,

a) Hanc methodum inprimis exquiſitiſſime exponit ſaepius iam laudatus *Grupen in Libr. allegat* pag. 178. ſeq.

nem, et exſequenda tormentorum praeludia poſtulant, ad ſequentes ablegatos volumus paginas, quas peculiari iuſtaeque de praelorum ferreorum, pollicibus applicandorum, funiumque brachio circumiiciendorum viribus effectisque diſputationi deſtinamus.

§. X.

Ipſius torturae diuerſa genera.

Accedimus nunc ad alterum, illudque ſeuerius, quaeſtionum capitalium genus, quod *adfligens* ſiue *tortura* proprio veroque nomine appellatur (§. III), atque multiplici modo reis, de ſcelere ſuſpectis, veri confeſſionem extorquet. Commodiſſime vero haec tormenta, quotquot eorum ſunt, diſtinxeris, ſi vel varios adflictionis violentiaeque, qua in reorum corpora ſaeuitur, conſideres gradus, vel ipſa longe diuerſae fabricae indolisque machinamenta, quibus tortor ad crudele ſuum officium exſequendum vtitur, intuearis. Vtraque haec definiendorum diſtinguendorumque tormentorum ratio ex vſu fori eſt, et in ſententiis, de quaeſtione reis adhibenda per iuris peritos dicendis obſeruari ſolet *b*); licet negari non poſſit hodie, eo quod di-

Q 5

b) Exemplis haec illuſtrabimus. Si ad gradus violentiae, quam in quaeſtionibus habendis requirunt, reſpexerint ICti, has adhibent dictiones: *gelinder, oder menſchlicher Weiſe, ziemlicher Maſſen, mit der*

diſtinctior eſt ſententia, plerumque apud iuris doctores, de quaerendis ſtatuentes, ipſorum inſtrumentorum diſertis verbis determinandorum, quibus quaeſtionem peragi oportet, haberi rationem *c)*

§. XI.

Tormentorum diuerſitas a violentiae gradu deſumta.

Tametſi vero in ipſis ſententiis dicendis ad inſtrumenta tormentorum magis, quam violentiae quibus haec inferuntur, gradus hodie attendant iure conſulti (§. X.); quandoquidem in ipſius cuiuslibet hoc ex genere inſtrumenti natura ſingularis

der Schaerfe, etc,; ſi vero, vt nunc inſtituti morisque eſt, ipſorum inſtrumentorum habuerint rationem, ſic enuntiare ſolent: *die Daumenſtöcke anlegen und damit zuzuſchrauben, mit den Schnüren den Anfang machen, oder damit ſcharf anzugreifen, auf die Leiter zu ziehen, etc.* De quibus omnibus ſingulisque ſententias dicendi modis conferatur ſaepe iam laudatus *Grupen* in *Libr. cit.* Cap. IX. p. 181. ſeqq. *Wiederboldt* in *Libr. cit.* pag. 45. ſeq. et *Georgius Keyſerus* in *Praxi criminali*, Cap. IX. pag. 598. ſeq. edit. Altenburg. cIↃIↃCXCIII.

c) Praeter *Grupen* in *Libr.* et *loc. cit.* videatur quoque *Engau* in *Libr. allegat.* Libr. II. Tit. XIX. Membr. I. §. CCXXXIX. et *Kochius* in *Libr. citat.* Libr. III. Cap. XXI. §. DCCCXLV. vt plures omittamus.

ris quoque potiſſimum adflictionum, quae inde e-naſcuntur, poſitus eſt gradus; ceterum tamen frequens eſt atque vſitata in iuris doctorum ſcholis ea tormentorum diſtinctio atque diuiſio, quae violentiae dolorumque magnitudinis gradibus definitur. At enim vero hac in re maximus inter iuſtitiae ſacerdotes eſt diſſenſus; quis enim recte cruciatuum dolorumque magnitudinem aeſtimauerit, atque per gradus diſtinxerit, niſi ſi ipſe quaelibet huius claſſis tormenta ſuſtinuit? Interim per diuerſos miſerorum, qui torti ſunt, reorum eiulatus, queſtus, gemitus, fremitusque triſtia haec facta ſunt experimenta, atque ad haec aeſtimati tormentorum gradus. *Saxonico foro* ſolemnis eſt torturae in *tres* gradus diſtinctio: quorum *primus* eſt, ſi, praemiſſa, quam realem vocant iſti, territione, per polletrorum perfectam, et inchoatam tantum fidicularum applicationem inſtituenda (§. VIII.), hi funes denique fortiſſime circumacti effectus ſuos abſoluunt; *ſecundus*, quando reus, in ſcala pendens, extenditur, praeliſque quibus ocrearum Hiſpanicarum nomen eſt inditum, circa ſuras arctiſſime conſtringitur; *tertius* denique, quando ſic vexato reo hinc inde iniicitur ignis, verbi cauſſe guttulae ſulphuris piciſue ardentes, aut aliae adduntur vexae *d*) Lites controuerſiasque circa

d) De his torturae gradibus euolui legique poſſunt cum omnes ad annotation. *n*) iam honoris cauſſa excitati ſcriptores in *Libris locisque allegatis*

circa hos Saxonici fori gradus paſſim motas hic recenſere, non noſtrum eſt, ſed iure conſultorum *e*). Eandem quoque ob cauſſam hic annotaſſe tantummodo ſit ſatis, ſecundum aliorum fororum inſtituta, aliorumque iuris peritorum, qui reliquarum Germaniae prouinciarum iura ſequuntur, ſententias, mox duo tantum tormentorum gradus, mox tres, a Saxonicis tamen diuerſos, mox quinque eſſe definitos; de quibus, cuius curioſius inquirere intereſt, conferendi ſunt, qui hanc rem conſulto peculiaribus commentariis expoſuerunt, auctores *f*).

§. XII.

allegatis, tum *Benedictus Carpzouius in Libr. citat.* Part. III. Quaeſt. CXVII. num. 60. ſeq. *Georgius Keyſerus* in *Libr. et Cap. citat.* §. *VII.* ſeq. *Ioannes Zangerus* de *quaeſtionibus et torturis reorum*, Cap. IV. num. X. edit. Vitemberg. cIↃIↃCLXV. et *Hieronymus Chriſtianus Meckbach* in *Libr. citat.* Annotat. ad Articul. LIIX. pag. 144. ſeq.

e) Ex multis vnum, qui ſubtiliſſime de his controuerſis tormentorumque dubiis apud ICtos gradibus egit, laudaſſe ſufficiat, nimirum ſaepe iam laudatum *Chriſt. Vlric. Grupen* in *Libr. cit.* pag. 74. 81. 115. 176. ſeq. et 185. ſeq. quocum tamen, ſi lubet, conferri quoque poſſunt *Chriſtianus Iacobus Heil* in *Libr. citat.* Cap. VI. §. VII. ſeq. et *Iacobus Fridericus Ludouici* in *der Einleitung zum Peinlichen Proceß*, Cap. IX. §. XXVIII. pag. 85. ſeq. edit. Halae cIↃIↃCCXVI.

f) Verbi gratia, ii, quos paullo ante ad not. *d*) confe-

§. XII.

Tormentorum diſcrimen ab inſtrumentis deductum.

Prout autem ſingulis iſtis machinamentis, quibus ad explenda ſua truculenta officia tortores carnificesque vtuntur, ſingularis eſt ſtructura et peculiaris applicandi methodus, ita quoque fieri non poteſt, quin et inde in eorum, in quos ſeuera quaeſtione animaduertitur, corpora et ſingula, quae tormenta ſuſtinent, membra ſingularis plane atque definita efficacitas dolorque velut proprius redundet (§. X.). Hoc autem dum ſubtilius nunc porro diſputare animus eſt, attendere nos omnino maximopere oportet ad ea tormentorum inſtrumenta, quae partim in foro ſunt vſitata, partim vero a conſuetudine inſtitutisque fori abhorrent *g)*. *Inuſitatorum* potior pars, eo quod crudeliſſimae fuerunt immanitatis, omnem ſupergreſſae humanitatem, adeoque, etiam congrua atque legitima dici haud potuerunt (§. IV.) cum nunquam apud Germanos ſunt introducta in forum, tum denuo iam pridem vſu exciderunt. Cuius ſunt generis ſuſpenſio reorum ex mammis aut pudendis, immiſſio in taurum aeneum

conferendos induximus, ſcriptores in *Libr.* atque *locis allegatis.*

g) Iuri addiſcendo operam dantes de hoc ſingulos conferre poſſunt ſcriptores, quos ad §. VIII. not. *u)* et §. XI. not. *d)* commendauimus curioſius euoluendos.

um, lento igne excalefactum, extortae per continuam quaſſationem vigiliae, infuſio aquae foetidiſſimae aut liquoris acerrimi in os naresque, linctus caprae ad plantas pedum, ſale illitas, lenta plantarum pedis vſtio, arroſio acromphali per murem, vitro incluſum et ſubiecto igne irritatum; et cetera id genus tormenta, quorum, quibus inſtituuntur, machinas ipſis tantummodo barbaris nominibus deſignaſſe liceat, nempe der *Pommeriſchen Mütze*, *der Lüneburgiſche Stuhl*, *der Halskragen*, *die Braunſchweigiſche Stiefeln*, *der Sprenger*, *die Engliſche Iungfer*, *die Spaniſche Kappe*, *die Däniſchen Mäntel*, item *ſtachlichte Seſſel*, *ſtachlichte Wiegen*, *ſtachlichte Schuhe*, *ſtachlichte Binden*, *brennende Eiſen*, *brennende Puluer*, *brennende Eyer*, et id genus innumera alia *h*). Contra ea vero *vſitati* hodie in foro ſunt generis *ſeptem* potiſſimum machinamenta, quae ſupra (§. VI.) iam velut in transcurſu attigimus, nempe praela pollicum (*Daumenſtöcke*), funes ſiue fidiculae (*die Schnüre die Leinen*), compedes ſeu praela ſurarum (*die Spaniſche Stiefeln*), ſcala (*die Leiter*), vel ſcamnum lectulusue (*die Folterbank*), vna cum funibus ductis per trochleam (*Kloben*) cor-

h) Barbara haec tormentorum genera explicatius tradita videas a *Wilhelmo Zacharia Cramero in Diſſert citat.* Cap. I. et II. et *Ioanne Ludouico Wiederholdt* in *Libr. cit.* Cap. I. pag. 31. ſeq.

corrupte ſaepius *Kolben i)* dictam), cylinder ligneus, clauis ligneis inſtructus, tergo rei, in ſcala expanſi, ſubiiciendus (*der geſpikte Haſe*), praela pollicum, in manibus pedibusque ſimul applicanda (*das Meklenburgiſche Inſtrument, der Spaniſche Bock*), et ſcamnum denique ſingulare, reo ad fuſtigationem deligando accommodatum (*das Bambergiſche Inſtrument, der Bambergiſche Bock k)*

§. XIII.

Scholion.

Quamuis autem haec, quae iam commemorauimus (§. XII.) tortorum inſtrumenta ex vſu fori ſint, eoque nomine merito etiam legitima aeſtimari haberique debeant (§. IV.) tamen, ſi ſuper his medicum iudex interrogauerit, ſanitatine reorum haec tormenta nocitura ſint, nec ne? affirmaturum habebit eundem, niſi ipſa quaeſtionum adfligentium exſecutio ſumma cum circumſpectione exquiſitaque tortoris prudentia inſtitu-

i) Verbi cauſſa, a celeberrimis ceteroqui viris, *Engau*, *Meiſtero*, *Kochio*, aliisque, qui etiam male ſingulare hoc tormentorum conſtituunt genus, cum tamen pars tantummodo ſit ſcalae aut ſcamni, ad tormenta deſtinati. Legendus quoque hac de re eſt ſaepius iam laudatus *Grupen* in *Libr. cit.* pag. 199. ſeq.

k) De vſu horum tormentorum hodierno in foris confer. ſi placet, *ſcriptores*, modo ad annot. g) *allegatos*.

inſtituatur. Tantum enim abeſt, vt haec, licet ceteroqui legitima, tormenta, ſi imprudenter officio ſuo defungatur carnifex, et crudelitati plus tribuat, quam humanae ſeueritati, idem nomen amplius ſibi vindicare poſſint, vt potius tum demum inconuenientium illegitimorumque numero iure meritoque ſint inferenda. Sed, dum haec ſcribo, ſubnaſci mihi video, praeter opinionem inſtitutique rationem, non commentariolum, ſed iuſtae magnitudinis libellum quendam, ni praecidatur nonnihil ſcribendi materies, academicae diſſertationis limites longiſſime transgreſſurum. Proinde, ſpeciminis gratia, ex tam inſigni inſtrumentorum, carnificinae huic forenſi inſeruientium, numero binorum tantummodo priorum, *polletrorum* ſcilicet *funiumque* in praeſenti medica inſtituitor aeſtimatio; vt poſt nos in eodem argumento allaboraturis ſuperſit quidquam, in quo virium ſuarum qualecunque periculum facere, medicaeque iuris prudentiae aliquod adferre poſſint ſtipendium. In inuſitatorum autem tormentorum rationibus ad principia medica reducendis (§. XII.) ſi quis operam locare vellet, nae! is, quod manifeſtiſſimae ſunt inhumanitatis certiſſimique detrimenti, in reorum valetudinem redundaturi, ne quidem operae pretium eſſet facturus *l*)

§. XIV.

l) Si quis tamen hanc operam ſibi dari putaret, eundem ante omnia de his tormentis ſcriptores,

§. XIV.

Tormenti primi, polletrorum, deſcriptio.

Quod ergo ex plerarumque in Germania prouinciarum inſtitutis primo loco reis, de ſcelere quaerendis, applicari ſolet, genus ſunt *polletra*, (*Daumenſtöcke, Daumenſchrauben, Daumeneiſen,*) ſiue praela forcipesque pollicis (§. XII. XIII.), quas nonnulli quoque, licet noſtro iudicio incongrue, *manicas* vocant *m*): cuius inſtrumenti quoniam nonnihil diuerſa paſſim eſſe ſolet ſtructura, ſequitur exinde aperte, vt effectuum quoque ab eodem productorum aliqua diuerſitas ſit ſtatuenda. Simpliciſſimae fabricae polletra duabus laminis ferreis, quinque circiter pollices (*Zoll*) longis, vnum latis, quartamque pollicis partem craſſis *n*), conſtant, quae tribus trabibus ferreis erectis, inferiori-

res, qui a nobis not. *h*) laudati ſunt, attente legere oportet.

m) Varia haec nomina attigit clariſſimus Grupen in *Libr. cit.* pag. 190. ſeq. Polletrorum autem vox, licet a pollicum compreſſione videatur deducta, cuius proprie ſit originis, neſcio cum ignariſſimis. Latinam vocem vix dixeris, cum et in omnibus optimae notae Gloſſariis et in locupletiſſimis Lexicis fruſtra requiratur.

n) Inferior tamen lamina plerumque nonnihil craſſior ſolet eſſe ſuperiori, vt eo melius trabes infixas firmet.

ori laminae infixis, per ſuperiorem vero mobilem traiectis, inter ſe connectuntur. Mediae trabi cochlea eſt applicata, quae circumacto vertibulo aut claue ſuperiorem laminam ad inferiorem fortiſſime adigit. Praeter haec ea ſuperficie, qua binae laminae ſe contingunt, ſuperior plana laeuisque, inferior vero plerumque, in modum limae, leuiter eſt aculeata *o*). Reperiuntur porro eiusdem ſtructurae polletra, quae media trabe carent, duasque tantum vtrinque erectas, et cochlea atque claue inſtructas, habent *p*). Quaedam porro huius generis forcipes vtramque, aut ſaltem alterutram, laminam, quibus pollices interiiciuntur, laeuem, quaedam vero, limae inſtar, aſperam crenatamque oſtendunt. Sunt, quae magis compoſitae ſunt machinae, tribusque laminis dictae antea longitudinis, latitudinis, craſſitieique conſtant, mediaque trabe cochleam cum claue ſua habent annexam. Polletrorum denique huius notae quaedam ex laminis, tres octauas pollicis partes craſſis, ceteroqui vero cum prioribus plane conuenienti-

o) Cuiusmodi polletri icona exhibuit *Engau* in *Libr. citat.* pag. 432. edit. citat. Tab. I. Fig. I.

p) Huius generis exemplar vidimus apud carnificem Schoeningenſem, dum ex voluntate Praeſidis noſtri, nuper academicis praelectionibus medicinam forenſem explicantis, ſingula tormentorum inſtrumenta, quae hoc loco ex vſu ſunt fori, oſtenderet, eorundemque applicandorum rationes enarraret.

entibus, ſunt conſtructa, quorum ſuperiores binae laminae, inferiori ſua ſuperficie bis in ſemicircularem formam, cui pollices interponendi quomodocunque reſpondeant, ſunt exciſae ibidemque ſimul ſulcatae *q*).

§. XV.

Polletrorum applicandorum ratio legitima.

Atqui nunc porro plurimum intereſt noſtri propoſiti, referre paullo accuratius, quaenam in foro applicandorum reis huiusmodi polletrorum (§. XIV.) methodus ſit legitima atque vſitata. Ante omnia autem conſideranda eſt duplex iure conſultorum in imperando hoc tormentorum genere ſententia, quae aut inchoari tantummodo hanc per polletra adflictionem iubet, aut penitus abſolui *r*). Vtriuis applicationis modo ſubiiciendus reus, veſtimentis detractis vel nudus, vel amiculo, torminibus apto, circumdatus *ſ*), aut ad ſca-

q) Explicatius haec compoſita polletra, quae tormento quoque Megapolitano (§. XII.) inſeruire poſſunt, deſcripſit, iconibusque adiectis illuſtrauit ſaepius iam honorifice nominatus *Grupen* in *Libr. cit.* pag. 232. ſeq.

r) Ecce formulam vtriusque huius ſententiae; prioris nempe: *die Daumenſtöcke anlegen;* poſterioris vero: *mit den Daumenſtöcken vollends zuſchrauben.*

ſ) Confer ſupra a nobis hanc in rem diſputata §. VIII. et in ſubiecta annotatione z).

lam (§. XII.) adducitur, graduique ſcalari imponitur, aut in ſcamno, ſella, lectuloue, ad hanc carnificinam deſtinato (§. cit.), ſedere iubetur, manibusque ad tergum vel ligatis, vel iterum a vinculo relaxatis *t*), ſuſtinendo huic exponitur tormento. Tum, ſi inchoandae tantum huius torturae dicta eſt ſententia *u*), media utriusque pollicis phalanx cuilibet polletrorum loculamento, ſiue plano, ſiue in ſemicirculum exciſo, quod media diſcernitur trabe (XIV.), interponitur, adductoque ſenſim vertibulo per vices comprimitur, viciſſimque relaxatur. Si vero ſeueriſſime abſolui hoc tormentum ſententia iubet, circumactis cochleis polletrum, vt arctiſſime pollicem conſtringat, adduci oportet; ita tamen, vt et ſummus hic adflictionis huius gradus alterna ſua habeat laxamenta, certumque, quo vexetur reus, tempus. Quod abſolute definiri non poteſt, ſed prudentis iudicis, qui tormenta dirigit, et praeſens rei

t) Hac in re non omnino diuerſi fori conſentiunt inſtituta: in *Saxonico* enim paſſim ligatis adhuc manibus polletra iniiciuntur, in terris contra *Brunouico-Luneburgicis* plerumque laxantur iterum manus, et ſic pone tergum pollices forcipe hac conſtringuntur.

u) Eſt haec antiquitus inſtitutae fori Saxonici territionis realis pars; vti ſupra iam expoſuimus §. VIII. et huc conferendos citauimus ſcriptores ad not. u).

rei vires optime aeſtimare valet, arbitrio eſt relinquendum *x*).

§. XVI.

Applicatio polletrorum illegitima.

Fieri autem omnino poteſt, vt in iniiciendis his polletris (§. XIV. XV.) aliquid erroris committat tortor, vnde hoc, quicquid eſt tormenti, illegitimum, dictaeque in reum ſententiae aduerſum (§. IV.) euadit. At enim vero varii horum errorum ſunt fontes. Primo loco inducere liceat incongruam ipſorum polletrorum fabricam (§. XIV.), quae paſſim occurrit: ſi nimirum profundius ſunt exciſae eorundem laminae, adeoque iuſto maiores eminentioresque habent aculeos, facillime, ni cautiſſime a carnifice tractentur polletra, interiores pollicum partes irreparabili ſaepe damno laeſuros. Neque ego, ſi quid recte ſentio, facile commendauerim polletra, quae vtrin-

R 3 que

x) Plerumque tamen ad ſummum horae ſpatio definiri hoc tempus, ex omnibus iuris criminalis commentariis abunde ſatis conſtat. Videſis *Engau* in *Libr. cit.* §. CCXLIV. (14), *Kochium* in *Libr. citat.* §. DCCCLXXI. *b*), *Ludouici* in *Libr. cit.* Cap. IX. §. XXV. et ceteros fere omnes iurisprudentiae criminalis ſcriptores. Maxima tamen horum pars primi huius tormenti durationem quadrantis tantummodo horae ſpatio circumſcribit, niſi peruicax rei animus aliaeque res circumſtantes longius ſuaſerint protractiusque.

que tantum, media deficiente, erectas cum cochleis habent trabes (§. cit.). Vix enim ſatis circumſpecte cauere ſibi poteſt carnifex, quin, cum duplex ſit circumagenda cochlea, inaequali vi conſtringantur pollices, eaque de cauſſa illa, quae inſunt, eorundem oſſicula ſubito et praeter exſpectationem corrumpantur. Porro vero, ſi vel optimae fabricae hoc ſit inſtrumentum, in ipſa applicationis methodo a recta legitimaque via temere deflectere poteſt carnifex, ſi caret arte. Ad hoc aberrationis genus merito referimus, ſi non ſecundae ſiue mediae pollicum phalangi, ſicuti ipſis criminalibus, quas vocant, legibus cautum eſt *y*), ſed primae, cui vngues ſimul inſident, applicatur hoc praelum; prout hac in re nonnullorum carnificum eſſe ſolet crudelitas atque inconderantia *z*): tum ſi iuſto intemperantius et ſupra partis adflictae vires renitendique potentiam polletra adducuntur conſtringunturque; tandemque ſi conſtrictae hae polli-

y) Ni taedet, perlege regulas hanc circa rem traditas a *Iacobo Doeplero* in *Libr. citat.* pag. 313. *Chriſtiano Iacobo Heil* in *Libr. allegat.* pag. 255. *Chriſt. Vlrico Grupen* in *Libr. cit.* pag. 191. *Ioanne Ludouico Wiederholdt* in *Libr. cit.* pag. 46. et ceteris fere omnibus iam honorifice excitatis auctoribus.

z) Vicini cuiusdam oppidi carnifex, qui anteriori pollicum phalangi applicari a ſe polletra adferebat, Praeſidi noſtro, de noxis hinc facile oriundis monenti, temerarie ſatis reſpondit: *Es ſchadet nichts, denn ſolch Vnkraut verdirbt nicht.*

pollicum forcipes alternis vicibus non laxantur atque remittuntur, ſed ſic coactae atque adductae iuſto diutius relinquuntur *a*). Accedit etiam ſaepenumero vituperabile plurimorum carnificum inſtitutum, qui, vt dolores reo illatos intendant, polletra iam arctiſſime conſtricta inſuper claue percutiunt, et hoc tremore immaniſſimos excitant cruciatus. Lubentius tamen eiusmodi concuſſionem polletrorum conceſſerim, ſi ſub mediocri adhuc eorundem fieret conſtrictione.

§. XVII.

Partium a polletris adflictarum conditio.

Quotusque autem eſt lectorum, qui ex hactenus diſputatis (XIV. XV. XVI.) nunc non intelligat, manus pollicem illud ipſum corporis eſſe membrum, in quod praela haec vim ſuam efficacitatemque exercent? Tantorum ergo cruciatuum cauſſas inueſtigaturi non poſſumus non, quin ipſius pollicis fabricam nexumque, quo cum aliis corporis humani partibus iungitur, curioſius examinemus. Pollicis anteriores binas

R 4 pha-

a) Praeterquam enim quod hinc irreparabile pollici inferri poteſt detrimentum, vti ſuo demonſtr: bimus loco; iudicis quoque voluntati hac : thodo illegitima non ſatisfit, dum protractio: . eiusmodi compreſſione pollices demum torpeſcunt, et dolorum amittunt ſenſum. Conferantur quoque, quae iam ſupra monuimus in annotat. g) ad §. IV.

phalanges, mediam legitime (§. XV.) illegitime extremam (XVI.), polletrorum vexis exponi, iam dictum eſt. Vtriusque autem huius articuli commune integumentum eſt cutis, epidermide cincta; pars extenſilis contractilisque, et ob vberrimas propagines neruoſas, a cutaneo externo, mediano, cubitali, radialique neruo deductas, varieque ſibi mutuo implicatas haud mediocris ſenſationis et, quam nunc vulgo vocant, irritabilitatis *b*). Hanc autem longe maiorem exquiſitioremque in vltima, quae antrorſum eſt, pollicis phalange reddunt neruuli innumerabiles, partim inferne in ſpirales plicas ſingulariter diſpoſiti, atque in infinitas ſatisque euidentes papillulas exporrecti, partim ſuperne, in dorſo huius articuli, in ſimiles nonnihil molliores papillas, vngue corneo tectas, diſtincti *c*). Huic inuolucro

b) Videantur illuſtris *Albertus de Haller* in *der Abhandlung von den empfindlichen und reizbaren Theilen des menſchlichen Leibes*, pag. 4. edit. germanic. Krauſian. Lipſ. cIↄIↄCCLVI. in *Praelecti nibus Boerhaauianis in proprias Inſtitutiones medicas*, Vol. III. not. *a*) pag. 519. edit. Götting. cIↄIↄCCXLI et in *Primis lineis Phyſiologiae*, §. CCCCXXIV. pag. 264. edit. Götting. cIↄIↄCCLI. atque *Chriſtianus Ehrenfried Eſchenbach* in *der anatomiſchen Beſchreibung des menſchlichen Körpers*, §. 1371. 1372. 1373. et 1375. pag. 1019. edit. Roſtoch. cIↄIↄCCL.

c) Confer, ſi placet, *Albertum de Haller in Praelect. Boerhaauian.* Vol. IV. not. *a*) pag. 6. edit. cit.

lucro ſubiacent in vtraque phalange cum in dorſo tendines extenſorum muſculorum, longo itinere inde ab ipſo cubiti oſſe accedentium, tum in ea, quae volam reſpicit, parte flexorum muſculorum tendinei faſciculi, varia origine ab oſſibus carpi, metacarpi, radiique deductorum *d*). Hos inter vtrinque filamenta decurrunt neruorum, paullo ante nominatorum, cubitalis potiſſimum atque radialis, quae fibrillis ſuis a latere ſuper vtramque oſſium pollicis ſuperficiem concurrunt, et inter ſe coeundo vniuntur *e*). Vaſorum quoque, has partes perreptantium, haud exigua vis eſt, quae ex cubitalibus radialibusque truncis potiſſimum accedunt *f*). Interiorem denique locum occupant oſſa vtriusque praedictae phalangis: e quibus alte-

R 5 rum

cit. et in *Prim. lineis Phyſiolog.* §. CCCCXXXI. pag. 269. ſeq. edit. cit. itemque *Eſchenbach in Libr. et loc. cit.*

d) Explicate hos muſculos deſcripſerunt illuſtris *Bernhard Siegfried Albinus* in *Hiſtoria muſculorum hominis*, Cap. CLIX. ſeq. pag. 460. ſeq. edit. Lugd. Bat. cIↄIↄCCXXXIV. *Eſchenbach* in *Libr. cit.* §. 995. ſeq. pag. 731. ſeq. et *Iacobus Douglaſſ* in *Deſcriptione comparata muſculorum*, Cap. XXXVII. pag. 133. edit. latin. Lugd. Batau. cIↄIↄCCXXIX.

e) Conferri hic merentur iam *citata loca* auctorum paullo ante not *c*) commendatorum.

f) Videſis, verbi cauſſa, *Eſchenbachium* in *Libr. cit.* §. 1134. ſeq. *et* 1236. ſq.

rum ſiue medium os vtrinque, vbi articulatio fit, laeui ſed paullo inaequali cartilagine eſt incruſtatum, cetera vero parte ſuperne conuexum, inferne vero planum aut potius leuiter concauum, et hic in vtroque latere inaequalibus lineis diſtinctum deprehenditur; anterius vero os, quod tertiam ſiue extremam phalangem conſtituit, praeter cruſtam cartilagineam, circa articulum inductam, priori planiorem latioremque ſuperficiem conuexam habet, atque in apicem deſinit ſemicircularem *g)*. Vtrumque hoc os, vt oſſium ſtructura eſſe ſolet, perioſtium inuoluit.

§. XVIII.

Polletrorum effectus in partes adflictas.

Sed inſtituti noſtri nunc plurimum intereſt, expedire porro, quosnam effectus adacta in dictas, partes (§. XVII.) a tortore polletra ſingulariter edant? Duplicem autem huius argumenti diſputationem ipſa duplex, quam antea deſcripſimus (§. XV. XVI.), applicandorum huiusmodi praelorum ratio requirit. Si *legitima* fuerit applicatio, ſola media pollicis phalanx, eaeque, quibus com-

g) Amplius deſcripta haec oſſa videas ab illuſtribus viris, *Bernhardo Siegfried Albino* in *Libr. de oſſibus* C. H. §. 326. ſeq. pag. 281. edit. Vindobon. cIↄIↄCCXLVI. et *Philippo Adolpho Böhmero* in *Inſtitutionibus Oſteologicis*, §. DLXXIII. pag. 316. edit. Halae, cIↄIↄCCLI.

componitur, partes, per interualla, et gradu, adflictae partis robori accommodato, comprimentium polletrorum efficacitatem experiuntur (§. XV.). Acutiſſimum inde oriri dolorem, gemitus eiulatusque reorum, dum hunc in modum torquentur, locupletiſſime teſtantur. Qui vnde accidat, et quaenam potiſſimum partes, in pollice reperiundae, huius acerbiſſimae adflictionis ſint fontes, nunc porro inueſtigari oportet. Illuſtris *Ioannes Erneſtus Hebenſtreit h)* horum cruciatuum ſedem in ſubiacentium muſculorum tendines et perioſtium vnice deferre videtur. Verum enim vero in hac ſententia quo minus acquieſcamus, plurimae concurrunt cauſſae, pluresque hic ſubſunt partes, acutiſſimo dolori obnoxiae, illatam a tormento vim iniuriamque exquiſitiſſime profecto ſenſurae. Hoc nomine primo nunc inducimus ipſam cutim, partem, vti iam ſupra indicauimus (§. XVII.

h) In *Anthropolog. forenſ.* Sect. II. Membr. II. Cap. III. §. 4. et §. 5. pag. 592 ſeq. edit. cit. *Praelo*, inquit, *ferreo pollices ad mediam phalangem comprimuntur, qui locus ob tendinum extenſorum et perioſtii his immediate ſubſtrati, exquiſitam ſantiendi vim, dolores recipit acutiſſimos*; et paullo infra: *Acutiſſimus ſane, qui ex compreſſa media pollicis phalange conſequitur, adflictionis ſenſus eſt, ſubiacent enim cuti tendines extenſoris pollicis, qui bicornis dicitur, qua tergum huius digiti; aſt ventri pollicis tendines flexorum, tam longi, quam breuis, ſubſunt. Tendines enim minimam quamuis iniuriam ſibi illatam acriter percipiunt.*

XVII,); haud mediocri ſenſatione praeditam, dolorisque concipiendi capaciſſimam; quam eo grauius adflictum iri, certum eſt, ſi duro cuidam corpori, quod ſubiacet, verbi cauſſa, in praeſenti exemplo pollicis oſſiculo, violentius apprimatur. Admodum vero ſenſilem eſſe cutim plura demonſtrant phaenomena, quotidie fere obuia, exempli gratia hic adducenda: horripilatio ſcilicet a frigore, exquiſitiſſimusque dolor ab vſtione, punctione, conſtrictione atque compreſſione, ſi ſola cutis eleuatur, atque complicatur, aliisque id genus iniuriis ortus. Subiacentibus eidem tendinibus (§. *cit.*) parum tribuerim cauſſae, in dolore excitando efficacis; ſaltem longe hebetior iisdem ineſt ſenſus, quam vulgo aeſtimatur *i*). Eo plus autem lubenter

i) Hac in re conſentire nos iubet cum illuſtri *Hallero*, tendinibus omnem ſenſationem, omnemque irritabilitatem prorſus denegante in *der Abhandlung von den empfindlichen* etc. pag. 5. ſeq. et pag. 23. ſeq. edit. cit. ſequens experimentum, a Praeſide quondam Halae inſtitutum. Scriniarius quidam, triginta circiter annorum, cultro conciſorio maiori forte ſibi vniuerſam, quae ipſius huius mediae phalangis dorſum tegit, deſecuerat cutim, ita vt tendines extenſorum muſculorum prorſus eſſent denudati: tum, primo vulneris recentis dolore ſedato, Praeſes variis irritamentis, verbi cauſſa, oleo vitrioli, ſpiritu nitri ſalisque fumante, lapide, quem dicunt, infernali, acupunctura, et id genus ceteris, nudos hos tendines aliquoties ſatis efficaciter vexauit irritauitque, ſcriniario

ter conceſſerim efficaciae in doloris excitatione neruis vaſisque, coniunctim in pollice diſtributis, et in huius tergo inprimis ſuper conuexa reptantibus ſuperficie (§. *cit.*), quae grauiori eorundem compreſſioni maxime fauet. Tametſi enim nerui, docente illuſtri *Hallero k)*, irritabiles ipſi non ſunt, ſenſationis tamen, dum quomodocunque tenduntur, ſunt foecundiſſimae, doloremque ad connexos ſecum transferunt muſculos *l*). Proinde quoniam a polletris non ſolum ipſimet pollicis nerui per ipſam compreſſionem vtrinque adſtringuntur, verum etiam impeditus inde ſanguinis humorumque per canales ſuos tranſitus efficit, vt ad incendium vsque vaſa, adeoque etiam coniuncti cum iisdem nerui, celerrime efficaciſſimeque expendantur: fieri omnino nequit, quin his quoque ex partibus dolor, ab hoc tormenti genere concitatus, originem ſuam deducat. Tandem quoque ab illata per hanc carnificinam vi ſuam ad cruciatus ſenſationem conferre ſymbolam oſſium inuolucrum mem-

ario inde nihil doloris ſentiente; quam primum vero iidem tendines, forcipe minori anatomica comprehenſi, paullulum eleuarentur atque adducerentur, de inſignibus hic homo queſtus eſt doloribus, non in laeſa tamen parte conſpicuis, ſed paullo ſupra in carpo, metacarpo, proximisque locis ſuam exſerentibus efficacitatem.

k) In *Libro* paulo ante *excitato*, pag. 19.

l) Idem in *eodem Libro*, pag. cit.

membranaceum, quod perioſtium Anatomici vocant, haud abſonum a vero videtur nobis, proprio hanc rem edoctis experimento *m)*; licet ceteroqui ſubtiliſſimis illuſtris *Halleri* demonſtrationibus haec ſententia aduerſetur. Quocunque ergo intuitu legitime applicatorum polletrorum effectus ſpectes, in ſola dolorum acutiſſimorum conſiſtet excitatione.

§. XIX.

Huius argumenti continuatio.

Verum enim vero longe alia effectuum, qui ab *illegitime* iniectis polletris (§. XVI.) exſpectari

m) Conferatur illuſtris *Halleri Liber. allegat.* pag. 9. et 23. et adnotatio *Krauſiana* pag. 62. Dignum exiſtimamus memoratu exemplum, olim a Praeſide in puella, ex ſpina ventoſa, quam Pathologi vocant, grauiter laborante, obſeruatum. Haec inter alia plura vlcera ſordidiſſima, hunc morbum conſectantia, maius quoque quoddam in femore dextro habebat, in ipſum hoc os profunde penetrans: in quod ſi exploratorius immitteretur ſtilus, ipſumque os attingeret, alia parte maximus exinde ortus eſt dolor, alia vero omnino nullus. Paullo poſt mortua puella, ipſius cadauer diſſecuit Praeſes, deprehenditque ea parte, quae a ſtilo immiſſo non indoluerat, hoc femoris os perioſtio ſuo, per vlceroſam ichoris putridi materiem prorſus exeſo, eſſe orbatum; ea vero, quae ſtili attactum grauiſſime tulerat, hoc adhuc cingi inuolucro. Exemtum ex cadauere os etiamnunc Praeſes adſerat, alibique curatius deſcribet.

ri poſſunt, eſt conditio. In quibus exponendis eundem ſequemur ordinem, quo ipſi huius applicationis errores ſupra a nobis ſunt recenſiti. Primo ergo ſi vitioſa eſt polletrorum fabrica (§. *cit.*), aculeique interioris in laminis ſuperficiei iuſto magis eminent, ſub incauta conſtrictione non ſolum cutem perpungunt, ſed ſubiectas quoque reliquas partes, praecipue tendinum vaginam, vaſa hinc inde diſperſa, neruos, ipſumque perioſtium (§. XVII.) vnde, effuſo extra canales ſuos ſanguine aut oleo, tendines inungente, peſſimi generis oritur vlcus, os ipſum ſaepenumero exedens doloresque atrociſſimos, motus epilepticos conuulſiuosque, acutiſſimam febrem, deliria, animi defectiones, tandemque gangraenam ſphacelumque vniuerſi brachii haud raro inducens. Quod malum, quando ſingulariter extremam occupauit phalangem, vngues ſimul corrumpit, et inde quoque *παρωνύχιος*, latine reduuia, vulgoque panaritium appellatur *n*). Eo certius autem grauiusque hoc damnum illatum iri, ſi a polletrorum aculeis ipſum cuius-

n) Varia omnino horum vlcerum ſunt genera; ſed eorum diſputatio inſtituto noſtro foret longior, et ad chirurgicos ſcriptores pertinet; e quibus hic tantummodo excitaſſe ſufficiat illuſtre quondam noſtrae Iuliae Carolinae ornamentum, *Laurentium Heiſterum* in *Inſtitutionibus Chirurgiae*, Cap. CLXV. pag. 1076. edit. lat. Amſtelodamenſ. cIↄIↄCCL. et *Ioannem Zachariam Platnerum in Inſtitutionibus Chirurgiae*, §. 140. ſeq. pag. 75. ſeq. edit. Lipſienſ. cIↄIↄCCXLV.

cuiusuis phalangis oſſiculum punctum aut colliſum fuerit, haud difficile eſt intellectu. Eiusdem porro mali orituri metum eſſe oportet ab vſu huiusmodi forcipum, inaequali cochlearum adductione inaequaliter quoque conſtrictarum (§. XVI.): quippe, ſicubi os exinde fiſſum aut colliſum eſt, vna cum grauiſſima huiusce carie paullo ante expoſitum vlceris genus, illudque ex reliquis peſſimum, mox eſt ſubſecuturum *o*). Quod ſi vero non ab inſtrumenti vitio, ſed ab ipſius carnificis imprudentia inſcitiaque dependerit illegitima huius tormenti applicatio, plures omnino ſunt noxae, in ſanitatem vitamque reorum hinc efficaciſſime redundaturae. Primo enim temeraria aeque, ac crudeliſſima polletrorum ad extremam pollicum phalangem applicatio, praeterquam quod iam deſcriptam παρωνύχιαν certiſſime adfert, cum, a violenta hac compreſſione quin vnguis findatur, vix fieri poſſit, ad haec, ob maximam vim ſingularemque concurſum neruulorum in papillas hic collectorum, vnguiumque interiori fabricae implicatorum (§. XVII.), reos ſaepenumero tantis adficit cruciatibus, vt in illis vniuerſum neruorum ſyſtema conuellatur *p*). Quarum conuulſionum acceſſiones

o) Confer *auctores* praecedente annotatione *allegatos* Libr. et loc. citat. et *Hebenſtreitium* in *Libr.* et *loc.* ſupra *allegat.*

p) Videatur *Hebenſtreit* in *Libr. cit.* Sect. II. Membr. II. Cap. III. § 5. pag. 593.

ones eo vehementiores grauioresque ſunt futurae, ſi tortor inſuper incongrue conſtructis polletris, quae antea attigimus, vtatur. Idem exſpectandus eſt euentus, eademque reos manet pernicies, ſi compreſſio polletrorum fuerit intemperantior, aut concuſſiones huius inſtrumenti ſub ipſa fortiſſima conſtrictione adhibuerit carnifex: quippe vnde non ſolum faciliime conuelluntur nerui, ſed colliſo quoque ſaepius oſſe miſer reus nobili hoc membro mutilus ex quaeſtione euadit *q)*. Fac denique, carnificem nulla huic tormento adhibere laxamenta, compreſſis diutius vaſculis atrociſſima et gangraenam ſphacelumque productura incendia fiant, per Pathologorum neceſſe eſt demonſtrationes.

§. XX.

Fidiculae, alterum tormentorum, deſcriptae.

Ad quod nunc porro noſtra ſe confert oratio, alterum tormentorum genus (§. XIII.), *funes* ſiue *r) fidiculae* (*die Schnüre, die Leinen, die Bande,*) admodum ſimpliciſſime ſunt conſtructae. Funiculi enim ſunt, ex nouem decemue circiter cannabinis filis, vbiuis aequalibus et enodibus, contexti,

q) Conferri omnino prae aliis meretur *Idem* in *Libr.* et *loc. cit.*

r) Magno critico apparatu in haec nomina inuiſiuit *Grupen* in *Libr. allegat.* in *Diſſertat. praelimi·nar.* §. 7. pag. 31. ſeq.

texti, et calamum anſerinum craſſi, vtroque in fine ligno tranſuerſo, manubrii inſtar, annexo inſtructi. Longitudinis ſunt diuerſae, prout nempe ipſa, quae his funibus fit, diuerſa eſſe ſolet quaeſtio: rariſſime tamen tribus vlnis ſunt minores, aut quinque maiores *s*). Ex ſeta equina conſtructas adſerit fidiculas vir ceteroqui celeberrimus, *Ioannes Adolphus Engau t*): ſed lapſus eſt per errorem, teſtantibus omnibus iuris criminalis commentatoribus, et in hac deſcriptione ab vſu fori longiſſime receſſit. Supremi enim inter tormenta gradus pars hi funes, ex equinis iubis contorti, fuerunt, qui in ſumma animi reorum pervicacia interdum non modo brachio, ſed femoribus quoque, circumdati hinc inde fortiter adducebantur. Sed nunc vbique fere horum funium vſus propter ſummam dolorum crudelitatem inhumanitatemque obſoleuit *u*).

§. XXI.

Applicatio fidicularum legitima.

Dici autem vix poteſt, quantum vel inter ipſos legitimos applicandorum horum funium (§. XX.) modos

s) Teſtantibus tam ſcriptoribus, ad hoc argumentum pertinentibus, quam ipſis carnificibus, apud *Grupen in Libr. cit.* pag. 93. ſeq.

t) In *Elementis iuris criminalis* Libr. II. Tit. XIX. Membr. I. §. CCXXIII. (2)

u) Videſis *Wiederholdt Libr. allegat.* Cap. I. p. 54.

modos ſecundum diuerſarum regionum vrbiumque inſtituta intercedat diſcrimen; adeo, vt in crudeli hoc artificio exſequendo ipſi carnifices adhuc inter ſe maxime deprehendantur diſſentientes. Longiſſimi eſſet operis, tot tantosque expedire diſſenſus, licet hoc ob inde in reorum corpora redundantes effectus quodammodo diuerſos medicae omnino eſſet aeſtimationis. Sed hac in re laboris compendium otiumque nobis fecit vir clariſſimus et ſaepius iam honoris cauſſa nominatus *Chriſtianus Vlricus Grupen*, qui maximo exemplorum, ad omnia fora accommodatorum, apparatu hoc abſoluit argumentum *x*). Nobis, quippe medicis, ſatis eſt, ad duas quasdam praecipuas funium legitime applicandorum attendere rationes. Scilicet alia in ſuperiori Saxonia, alia in ceteris Germaniae regionibus, praeſertim borealibus, verbi cauſſa, noſtris Brunouico Luneburgicis, huius tormenti agitandi eſt ratio. Ex *Saxonici fori* vſu hoc cruciatuum genus accommodatiſſime meram vellicationem ſuccuſſationemque (*Rücken*, *Schlagen und Prellen*) dixeris. Rei nimirum, ad ſcalam deducti, manibus in tergum deligatis, et quidem binis ſimul, duos circiter digitos latos ſupra carpum, non in ipſo carpo *y*), diuerſis plicis circularibus, ſimpli-

S 2

x) In *Libr. cit.* Cap. II. ſeqq. Maxima enim eximii huius opuſculi pars de fidicularum tormento ſingulariter agit.

y) Hac enim re fallitur illuſtris *Hebenſtreit* in *Libr.* et *loc.* paullo ante *citat.* pag. 594.

ſimplici nempe et vna, ſi tantum tormenti huius initium (*Schnürenanfang*) imperatur, quinque vero vel ſex complicationibus, dum eiusdem abſolutio (*volle Schnüre oder Bande*) eſt dicta, iniiciuntur atque circumuoluntur. Tum duo carnificis miniſtri, comprehenſis funium manubriis (§. XX,), vtrinque per alternas vices laxant remittuntque plicas, protinusque iterum ſumma, qua poſſunt, vi vehementiſſime attrahunt, tanquam alter alterum vna cum ipſo reo ad terram rapere, et violentiſſimo tractu ſubuertere vellet. Inter haec ter quaterque, poſt triplicem quadruplicemque ſuccuſſationem cuiuslibet loci adflicti, plicae ſurſum verſus olecranum in recentem promouentur locum, donec huius tormenti abſolutio plerumque duodecim praedictis concuſſionibus, ſingulo brachio illatis, eſt facta; duabus autem tantummodo tribusue, ſi inchoandae ſolum huius torturae ſententia eſt lata z). Contra ea vero, quae *extra terras Saxonicas* in vſu fori eſt, funium applicandorum methodus, licet itidem paſſim nonnihil differat, generatim tamen rotationis, ſerraturae, aut limationis (*Sägen, Feilen und Fitſcheln*) nomen rectiſſime meretur. Scilicet apparato iisdem modis, quos Saxonicum forum requirit, ad hoc tormentum reo funes, ſupra olecranum in ſuperiori brachio plerumque, nonnunquam vero, vti priori methodo, proxime ſupra carpum, a carnifice iniiciuntur, ſemel-

z) Fuſius diſtinctiusque haec diſputata conferas apud *Grupen* in *Libr. allegat.* Cap. II. et ſqq.

melque tantum; vbi fidicularum exordium eſt imperatum, bis vero in ipſo abſolutiori hoc tormento circumplicantur: quo facto tortoris miniſtri, comprehenſis funium manubriis, hos ipſos huc illuc, tanquam ſerraturi, laxe pluribus, ad ſummum tamen viginti quatuor, vicibus trahunt retrahuntque, et ſubinde locum, in quo circumuolutae ſunt fidiculae, mutant, vt in circulos cuticula tantum ſecetur atque abradatur, neque cutis aut vlla alia, quae ſubeſt, pars exinde laedatur exedaturque *a*). Ex quo apparet, ſummam hic a carnifice adhiberi oportere circumſpectionem iudiciumque in aeſtimandis torquendorum corporibus exquiſitum.

§. XXII.

Illegitimae funium applicandorum rationes.

Verum enim vero in huius tormenti applicatione, ſiue ex Saxonicis, ſiue ex aliis fiat inſtitutis (§. XXI.), infiniti carnificum in foris occurrunt errores, a le-

a) De hac quoque funium iniiciendorum methodo itidem ampliſſime egit ſaepe iam laudatus *Grupen* in *Libr. cit.* Cap. III. et. ſeq. Aliquid circa hanc rem erroris admiſit illuſtris *Hebenſtreit* in *Libr. et loc. cit.* adfirmans: Aliquando funes ſupra olecranum atque vlnae flexuram duci, moris fuiſſe, ſed auerſari iſtam carnificinam nunc, qui ſententias ferunt. Hoc enim de Saxonici tantum fori, nequaquam vero de aliorum fororum more inſtitutisque valebit.

a legitima via (§. IV.) ſeducentes. Saepenumero vitium quoddam, vnde inopportuna huius tormenti euadit exſecutio ipſi, licet ceteroqui ſimpliciſſimo, inſtrumento inhaeret; ſi nimirum funes male ſunt contexti, et ob inaequalia fila nodis diſtincti (§. XX), inaequalem quoque, dum adducuntur, effectum edituri, et tam in ſuccuſſatione, quam in rotatione (§. XXI.), inſigniter nocituri. Ex equinis iubis confectas fidiculas, ſi forte contra fori vſum adhiberentur, iam ſupra (§. XX.) atro notauimus calculo. Porro autem ipſi carnifices, dum de inferendo hoc torturae genere latam exſequuntur ſententiam, ſaepenumero ſua culpa variis peccant modis. En! potiora huius generis errata! In *ſuccuſſatione Saxonica* (§. *cit.*) primo erroribus adnumeramus, ſi ipſi carpo aut ſaltem articulo, quocum vlnae radioque cohaeret, fidiculae circumplicantur; ſi conſtrictio brachii cum concuſſione modum excedit, vt ipſum radii aut vlnae os findatur; ſi conſtrictio poſt ſuccuſſationem nimis diu durat, neceſſariisque caret laxamentis *b)*; tandemque ſi diffiſſa forte cuticula funes non in recentem locum transponuntur. In altera vero *extra Saxonicum forum* vſitata methodo longe grauiores miſeroque reo pernicioſiores occurrere ſolent errores, a quibus plerumque non ſatis ſibi cauent carnifices, vel ipſa nonnullorum iure conſultorum, de tormentorum rationibus parum intelligenter diſputantium *c)*, auctoritate nonnunquam ſeducti.

b) Confer iam notata ad §. XVI. not. a)

c) Exemplo mox fidem huic adſerto faciemus, ne iniurio-

cti. His ex vitiis primo omnia ea huc quoque quadrant, quae de praecedente funium tractandorum genere monuimus: collidendorum tamen oſſium rarior hic eſſe poteſt metus, praecipue ſi ſupra vlnam fidiculae iniiciantur. Tum vero porro erronea et plane illegitima funium eſt applicatio, ſi non ſolum exeſa iam cute fidiculae in eodem ſemper loco circumaguntur, ſed ſubiecti quoque tendines, vaſa, neruique, immo, vt nonnullis ICtis placet *d)*, ipſa oſſa, omnibus partibus interiectis, reſectis et velut aduſtis, denudantur. Item ſi ſub rotatione funes non laxe, ſed magna cum adſtrictione adducuntur *e*), tortori oportet vitio verti. Tandem quoque incongrua haec eſt tortura, ſi fidiculae, ſanguine forte per cutim elapſo madefactae, non cum recentibus funibus permutantur *f*).

§. XXIII.

Partium, huic tormento ſubiectarum, recenſio.

Quo clarius autem appareat lectoribus, quaenam potiſſi-

iniurioſi contumelioſique in quosdam ICtos videamur.

d) Verbi cauſſa, celeberrimo ceteroquin *Carpzouio*, omnibusque eiusdem aſſeclis, notante *Grupenio*, in *Libr. cit.* pag. 131. ſeq.

e) Partim enim exinde rotatio difficilior impeditiorque redditur; partim etiam ex tanta conſtrictione doloris perit ſenſus, reusque ad eiusmodi cruciatus occaleſcit.

f) Vide, quae hac quoque de re monuit *Grupen* in *Libr.* et *loc. allegat.*

potiſſimum partes in reo, ad hoc tormentum rapto, adfligantur, quid? quod ſaepenumero grauiſſime laedantur, recenſebimus nunc easdem ſigillatim. Vniuerſam illam regionem, quae oſſa carpi, radii, vlnae, inferioremque oſſis humeri partem complectitur, variis ſeuerae huius quaeſtionis modis in foro exponi, ex hactenus diſputatis (§. XXI. XXII.) nemini eſſe poteſt obſcurum ignotumque. Atque hic etiam ante omnia commemorari oportet commune ſingularum harum partium inuolucrum, cutim; quippe quae, ſi omnia legitime in ſeueriori hac actione fiant (§. XXI.), propria quaſi huius torturae ſedes eſt. Cui integumento infinitam ſurculorum vim iidem, quos ſupra (§. XVII.) diximus, dant nerui, ſocios a cutaneo interno deductos pacti: vnde interior inprimis circa carpum, cubitique, vlnae, radiique articulum ſuperficies exquiſitam acquirit ſenſationem. Quam circa partem in flexura cubiti ſatis prominentem habent ſitum tendines plurium muſculorum, partim ad humerum, partim ad inferius pertinentium brachium, ramique maiores arteriae brachialis, venarumque cephalicae, baſilicae atque medianae, nec non ipſorum neruorum, mediani atque cutanei; ſinguli in nouos ſurculos, quos iam attigimus (§. *cit.*), circa radium, vlnam, carpumque diſtributi. Multa his omnibus partibus circumiecta eſt celluloſa tela, articulationibus vaginisque tendinum hic praecipue proſpiciens. Tandem quoque memoranda ſunt ipſa, ſuis perioſtiis inueſtita, oſſa humeri, cubiti, radii, carpique; cuius poſtremae partis multiformia praeſertim, parua, mirifice inter

ſe

ſe iuncti, facillimeque laedenda oſſicula deprehenduntur *g)*.

§. XXIV.

Funium in partes tortas vires.

Poſtremo igitur nunc ſupereſt, vt, quid funes hi hactenus deſcripti, et tam legitimo, quam illegitimo modo, applicati (§. XXI. XXII.) in reorum corporibus efficere poſſint, breuiſſime diſputemus. Iam vero huius quaeſtionis *legitime* inſtitutae (§. XXI.) maxima, inſons tamen atque innoxia, in inurendis doloribus vis eſt atque efficacitas, nonnihil tantummodo diuerſa, ſi more Saxonico aut quolibet alio rei ad hoc rapiantur tormentum. Succuſſationem Saxonicam (§. *cit.*) inſequitur non ſolum intolerabilis paene in ipſa adflicta parte dolor, ſed etiam ſingularis plane vniuerſi corporis tremebunda contuſio et quaſi conuulſio. Quod compoſiti doloris genus vix, ac ne vix quidem, accurate definiri poteſt, cum ab acerbiſſimo hoc irritamento rei omnes illos coniunctim et ſimul perſentiſcant cruciatus, qui alioqui verberum, ictus, vſtionis, contuſionis

S 5

g) Praeter iam ſupra ad §. XVII. in annotat. *h)* ad *f)* commemoratos ſcriptores, *Libr.* et *loc. citat.* hic quoque conferendos, plurimum quoque lucis huic materiae illuſtrandae dabit illuſtris *Chriſtophorus Iacobus Trew* in *Hiſtoria aneuryſmatis ſpurii*, inſerta *Appendici Actor. phyſico medicor. Acad. Caeſ. nat. cur.* Vol. X, pag. 354. ſeq. qui elegantiſſimas naturaeque conuenientiſſimas harum partium icones, viuis coloribus diſtinctas, ibidem adiecit.

ſionis atque vellicationis ſingulatim perpeſſae ſunt effectus. Rotatio vero, extra Saxoniam in fori vſum introducta (§. *cit.*), ſolam hanc habet efficaciam, vt is excitetur dolor, qui alias percipitur, ſi inciditur, ſecatur, atque aduritur cutis. Ex quo liquido apparet, in Saxonica funium applicatione plures ſimul, in alia vero vnicam aut ſaltem pauciores corporis reorum adfici irritarique partes. Hae ergo nunc porro ſtrictim ſunt inueſtigandae. Cutis, exquiſito ſenſu praedita illa machinae humanae portio (§. XVII. XVIII.), in hoc tormento quoque, vtrum applicationis eligas genus, praecipua et communis illatorum dolorum eſt ſedes, immo fere vnica, ſi rotando haec quaeſtio abſoluatur *h*). Quo autem tenerior, delicatior, et neruulis foecundior his in locis, vbi fidiculae applicantur, eſt cutis, vt eſt profecto (§. XXIII.), eo aſperiorem acerbioremque etiam doloris eſſe oportet ſenſationem. Reliquas vero, quae hic ſubſunt, quaslibet partes, ſi recte legitimeque funium inſtituatur rotatio (§. XXI.), parum vel nihil omnino pati doloris, haud obſcurum cuidam eſſe poteſt, ſiue ad ipſam tantummodo rotandorum funium methodum, ſupra a nobis deſcriptam (§. *cit.*), curate attenderit, ſiue illam ipſam, quae cutim a funibus inciſam et obtuſam inde neruulorum minimorum hic copioſiſſime diſperſorum aciem protinus

tinus

h) Quod exinde apparere arbitramur, quoniam, exeſa per funes cuticula (§. XXI.), vix nudi et a fidiculis tacti vltimi neruulorum cutaneorum ſurculi protinus obtunduntur, et tum agitatus idem locus nullum amplius doloris habet ſenſum.

tinus inſequitur, indolentiam attento iudicio aeſtimarit. Contra ea vero in Saxonica per funes ſuccuſſatione cum validiſſimo impetu, ad numeros quaſi verberentur, conſtringantur, et quatefiant omnes ſimul cuti ſubiectae partes (§. *cit.*), vix ſaepe ipſa cuti laeſa aut inciſa *i*), doloris quoque ſedem in his poni oportet. Quo nomine, praeter cutim, ceteras etiam ſingulas illas partes *k*) ſenſiles irritabilesque, quippe his in locis quoque praeſentes, quae a polletris in dolorem aguntur (§. XVIII.), huc, tanquam communes cruciatuum, Saxonica hac methodo excitatorum, fontes, reuocaſſe ſit ſatis, ne longiori ſermone lectores defatigemus. Hoc tamen ſilentio praetermitti non poteſt, quod ad iſtas alternas ſubſultim illatas ſuccuſſationes nerui inprimis brachiales (§. XXIII.), et his parariis, ope plexus brachialis, vniuerſa medulla ſpinalis ceterique corporis nerui vehementiſſime contremiſcunt, et per totum corpus dolorem diffundunt.

§. XXV.

i) Conferatur *Grupen* in *Libr. citat.* Cap. VI. pag. 160.

k) Quam potentiſſimum huius tormenti, hac ratione iniecti, in vaſa ſit imperium, ex eo patet, quod ſub ipſo funium tractu interdum ex ipſis vaſculorum exhalantium oſculis, inter atrociſſimos dolores, rubella quaedam lympha, liquori pericardii haud diſſimilis, transſudaſſe eſt viſa; teſtantibus carnificibus Dresdenſibus apud *Grupen* in *Libr. cit.* pag. 160.

§. XXV.

Idem argumentum continuatum.

Verum enim vero longe magis ſollicitum eſſe oportet iudicem de grauiſſimis atrociſſimisque noxis, quae, tanquam illaetabilia conſectaria, ab improuida *illegitimaque* fidicularum per carnificem tractatione (§. XXII.) certiſſime poſſunt exſpectari. Primo enim, quando fidiculae non ſunt enodes (§. cit.), vtraque methodo generatim promtiſſime cutem penetrabunt, mox interiores partes acerbiſſimis illis laeſionibus, quas ſtatim luculentius exponemus, adflicturae. Nominatim vero in Saxonica ſuccuſſatione grauiſſimum imminet periculum, ſi carpo iniiciantur funes (§. *cit.*), quoniam ipſius oſſicula tenera ſunt, ſpongioſa, et inaequalia, varia articulatione inter ſe vnita, et plurimis neruis, vaſculisque circumpoſita atque annexa, et a tanta vi atque iniuria, quantam fidiculae ſuccutiendo adductae inferunt, facillime disiunguntur, colliduntur ue, ipſos adeo vicinos interiectosque vaſorum neruorumque ramos in laeſionis conſenſum coniunctionemque pertractura. In idem veniunt diſcrimen rei, ſi ab extrema funium adſtrictorum vi, vlnae radiique os findatur (§. *cit.*). Binis enim his modis cauſſa praebetur atrociſſimo incendio, difficulter ſanando, et plerumque in gangraenam, et hinc, niſi in ipſam mortem, ſaltem brachii iacturam, deſinenti. Quod ſi vero vel in ſolum abierit abſceſſum, metus tamen hic eſſe debet, ob tendinum ligamentorumque in his articulis confluxum, grauiſſimi mali, μελίκηρας, barbare

re ſynouiae dictae *l*), malo euentu acceſſurae. Quantum denique conſtrictio diuturnior ſine laxamentis efficere poſſit, alio loco (§. XIX.) iam diſputauimus. Niſi tandem diſciſſa forte epidermide in alium transponantur locum funes (§. XXII.), promtiſſimus eorundem in interiores partes erit ingreſſus, qui quantum noceat vitae ſanitatique reorum, ſtatim dicemus. Scilicet ab altera, quae extra Saxoniam valet, funium tractatione, niſi legitima ſit (*§. cit.*), haud minora atque leuiora reos manent damna. Taceo nunc incendia, taceo gangraenam ſphacelumque, taceo vlcera, propter μελίκηραν difficillime ſanabilia: quae omnia et hos funes inſequuntur, ſi modo commemoratis vitiis haec quoque rotando peragenda applicatio laborarit (§. *cit.*). Periculoſiſſimae vero eſt methodi, protracta in eodem loco funium circumactione tendines, vaſa, neruos, et oſſa prorſus denudare velle (§. *cit.*) quippe quod exinde partim vehementiſſimi motus conuulſiui, neruorumque adfectorum reſolutiones, cum deperdito brachii vſu coniunctae, partim profuſiſſimae haemorrhagiae, a laeſa arteria brachiali (§. XXIII.) interdum in ſubitaneam mortem deſinentes, partim quoque paullo antea commemorata mala oriuntur *m*).

CAPVT

l) Vide *Platnerum* in *Libr. citat.* §. 357. pag. 220.

m) Paullo minus tamen periculi ſubeſt, ſi in inferiori brachio, circa vlnam radiumque haec denudatio fiat; ſicut ex principiis anatomicis demonſtrauit clariſſimus *M. Euert* apud *Grupen* in *Libr. allegat.* p. 242. ſq. Atque hic, appendicis loco, emendationem adducere liceat erroris cuiusdam, forte a nobis

****

CAPVT ALTERVM.

De Tormentorum effectibus, reorum valetudini imbecilli aut laeſae collatis, ſpeciatim.

§. XXVI.

Hoc capite dicendorum diſpoſitio.

Quo amplior autem ſuperior commentarioli huius fuit particula, quippe quae potiſſimum noſtri intererat inſtituti, eo magis nunc circumcidendum eſt, quod reſtat, opuſculum, nominatimque tantum enarrandae omnes reorem infirmitates corporis, animique aegritudines, quae, quo minus ad tormenta rapi poſſint, plurimum omnino in foro habent excuſationis. Cauete tamen, lectores, arbitremini, conciſa ſic opera vobis fieri damnum, nec abſolui adeo inſtitutum. Abſoluetur profecto; quandoquidem nunquam crambem bis coctam recoquere aliorumque celeberrimorum virorum, qui hac in re ſummam adhibuerunt perfeceruntque operam *n*) commentaria expilare inſtitui: ſed nudis tantummodo ſimplicibusque nominibus ſingulas commemorabo imbecillitates, quae reos a quaeſtionibus defendunt,

et

nobis ſupra pag. 20. ſtatim ab initio commiſſi; vbi haec verba; *non tamen abſolute* in *ſimul tamen abſolute* mutari oportet. Confer quoque §. XI.

n) Excitaui iam praecipuos huius generis ſcriptores in Praefatione ad annotat. *); quibus ſubiungi poteſt *Benedictus Carpzouius* in *Libr. cit.* Pa t. III. Quaeſt. CXVIII.

r

et tunc cum effectibus tormentorum, generatim antea conſideratis, comparabo, ſic adeo huius opuſculi vſum demonſtraturus. Recenſebo ergo primo ea, quae vel ipſam territionem prohibent; tum, quae a polletrorum iniectione liberant; tandem funium applicandorum impedimenta expoſiturus.

§. XXVII.

Reorum ſtatus, a territionibus vindicans.

Si qui ergo ſunt, qui vel a natura, vel a morbo, maxime irritabile neruum genus, motum ſanguinis humorumque inordinatum atque turbatum, viresque animi et corporis poſſident, ii omnes, ſiue verbali (§. VII.), ſiue reali in ipſos animaduertatur territione *(§. IX.)* de exacerbatione eorum malorum, quae, tanquam terroris effectus, ſupra (§. cit.) deſcripſimus, merito metuere debent. Proinde a medicis eorum claſſi, qui ne *terreri* quidem legitime poſſunt, adſcribuntur ſtupidi, amentes, impuberes, mulieres grauidae, puerperae, lactantes, menſtrua habentes, nec non febribus qualibuscunque laborantes, icterici, ex nimiis ſanguinis profuſionibus aut aliis copioſis profluuiis debilitati frequentioribus epilepſiis aut ceteris motibus ſpaſmodicis, hypochondriacis, hyſtericisque grauioribus obnoxii in animi defectiones aut neruorum reſolutiones proni, haemoptyci, in vertiginem caducam et apoplexiam procliues, continuis fere cordis palpitationibus adflicti, ac generatim omnes, qui graui quodam morbo detinentur *o*).

§. XXVIII.

o) Confer iis, quos paullo ante ad not. *n*) euoluendos

§. XXVIII.

Polletra ob valetudinis rationem non adhibenda.

Qui ne territionem quidem ſine noxa ferunt (§. XXVII.), tantum abeſt, vt quodlibet aliud ipſius verae ſeuerioris quaeſtionis genus ſuſtineant, vt potius nulla huius generis animaduerſio in ipſos ſtatui poſſit. Hac de cauſſa polletra (§. XIV.), licet in paruum tantummodo quoddam corporis humani membrum agant (§. XVII.), neutiquam tamen ſingulis praedictis hominibus applicari poſſunt. Verum enim vero etiam ſi per iſtas ſanitatis in reis conditiones omnino praelis pollices adfligere liceret; tamen aliquis reorum eſſe poteſt ſtatus, a quo in nobiliſſimum pollicis membrum omnia illa mala, quae alias ab incongrua polletrorum applicatione eueniunt (§. XIX.), ab harum forcipum, licet ceteroquin a carnifice recte adhibitarum (§. XV.), vſu ſunt redundatura. Hinc a polletrorum tormento liberi ſunt aeſtimandi, qui aetate adhuc minores ſunt, nec oſſa iam penitus indurata habent, qui maxime cachectici, ſcorbutici, lue venerea aut ſpina ventoſa infecti adeoque oſſium cariei praecipue ſunt expoſiti, et qui ex chiragra nodoſi, aut a παρωνύχια frequenter occupati deprehenduntur *p*).

§. XXIX.

Funium tormentum ob valetudinem prohibitum.

Poſtremo denique iisdem de cauſſis, quas modo

attigi-

dos commendauimus, etiam *Hebenſtreitium* in *Libr. cit.* Sect. II. Membr. II. Cap. III. §. 7.

p) Et huc referendi ſunt, qui amplius euoluantur, *auctores*. §. XXVII. *commendati.*

attigimus (§. XXVIII.), quaeſtio etiam per fidiculas, licet cum ex Saxonici fori, tum ex aliorum inſtitutis legitimo ceteroqui modo fiat (§. XXI.), non in omnibus reis valebit, niſi ob ſingularem corporis ſtatum de noxis inde certiſſime oriundis parum ſollicitus eſſe velit iudex. Hoc ergo nomine, nulla prorſus fidicularum applicandarum methodo tractandos aeſtimamus primo omnes, in quibus nondum corporis incrementum perfecte eſt abſolutum oſſiumque epiphyſes penitus firmatae; tum qui generatim iis morbis, in quibus facillima oſſium eſt caries (§. XXVIII.), vexantur, aut arthritide laborant; ſingulatim autem, qui horum artuum tabe aut calendario, quod medici barbaro dicunt nomine, adficiuntur, quibus plurimi varices his in locis ſunt enati *q*); aut aneuryſmata forte ſubſunt, aut diffracta quondam hac parte fuerunt oſſa. Huc quoque demum referre liceat aetate confectos, ſi ſaltem fori Saxonici legibus conuenienter iniiciuntur fidiculae (§. VXI.) quippe quorum oſſa admodum rigida atque fragilia validiſſimam hanc vix latura ſunt ſuccuſſationem *r*).

§. XXX.

q) Nouit, verbi cauſſa, Praeſes feminam Halenſem, circiter ſexagenariam, quae in vtroque brachio ſex ſeptemue varices circa brachii articulationem cum vlna radioque gerit.

r) De his quoque huic tormento ineptis reis videndi ſunt ſinguli *ſcriptores* hoc capite *citati.*

T

§. XXX.

Peroratio.

Tu, liber, interea doctos inquire bonosque,
Qui pauci ſunt; ſed paucis potes eſſe beatus.
Hos reuerenter adi, et merces his exſere noſtras:
Quas ſi laudarint, ſatis eſt; quid cetera dicat
Turba, parum cura, et vulgi conuicia ride!

MARCELLVS PALINGENIVS.

CONSPECTVS TOTIVS OPVSCVLI

CAP. I.

I. *Diſputandorum ordo ratioque;* §. *I.*
II. *Tormentorum*
a *notio definita;* §. *II.*
b. *diuiſio inſtituta*
aa. *generatim*
α. *ab ICtis;* §. *III.*
β. *a nobis;* §. *IV.*
bb. *ſpeciatim in,*
α. *territionem,* §. *V.* *eamque*
αα. *verbalem; cuius recenſetur*
aaa. *inſtituendae ratio;* §. *VI.*
bbb. *effectus;* §. *VII.*
ββ. *realem; vbi oſtenditur,*
aaa. *quaenam ſit?* §. *VIII.*
bbb.

bbb. *quid efficiat? §. IX.*
β. *ipſam torturam; cuius*
αα. *in genere exponuntur claſſes, §. X. deſumtae*
aaa. *a violentiae gradu; §. XI.*
bbb. *ab inſtrumentorum diuerſitate; §. XII.*
*) *interiecto Scholio; XIII.*
ββ. *in ſpecie tractantur*
aaa. *primum genus, polletra, eorundemque*
α. *deſcriptio; §. XIV.*
β. *applicatio*
a. *legitima; §. XV.*
b. *illegitima; §. XVI.*
γ. *effectus: vbi porro exponitur.*
a. *quaenam ſint partes adflictae; §. XVII.*
b. *quales ſint effectus; §. XVIII. XIX.*
bbb. *alterum genus, fidiculae; quarum exhibetur*
α. *deſcriptio; §. XX.*
β. *applicandi methodus*
a. *legitima; §. XXI.*
b. *illegitima; §. XXII.*
γ. *ratio actionis:*
a. *in quasnam partes, §. XXIII. et*
b. *quomodo agant? §. XXIV. XXV.*

CAP. II.

III. *Dicendorum diſpoſitio*; §. XXVI.
IV. *Rei eximendi a*
a. *territione*; §. XXVII.
b. *tormento*
aa. *pollstrorum*; §. XXVIII.
bb. *funium*; §. XXIX.
V. *Peroratio*; §. XXX.

C

A

C
Lo
I

lar v
volume,
detaine
Any
the ti
of